JOHANNIS
DE
FORDUN
SCOTICHRONICON,
CUM
Supplementis et Continuatione
WALTERI BOWERI,

Insulæ SANCTI COLUMBÆ Abbatis.

E CODICIBUS MSS. EDITUM.

VOL. II.

EDINBURGI,

Typis et Impensis ROBERTI FLAMINII.

MDCCLII.

JOHANNIS

DE

FORDUN

SCOTICHRONICON,

CUM

Supplementis et Continuatione

WALTERI BOWER,

Indule SANCTI COLUMBÆ Abbatis.

E CODICIBUS MSS. EDITUM.

VOL. II.

EDINBURGI

Typis et Impensis ROBERTI FLAMINII.

MDCCLII.

JOHANNIS DE FORDUN SCOTICHRONICON.

VOL. II.

Incipiunt tituli capitulorum libri noni.

De initiis regis Alexandri secundi; et de Othone imperatore excommunicato et depoſito. CAPITULUM I.
De creatione Frederici ſecundi in imperatorem, et aliis incidentibus. CAP. II.
De receſſu comitum Boloniæ et Flandriæ à fidelitate regis Philippi. CAP. III.
De propheta in Anglia, et tyrannide Johannis regis ejuſdem; et de legato Pandulpho. CAP. IV.
De interfectione ejuſdem prophetæ, et fuga baronum Angliæ. CAP. V.
Qyomodo reges Angliæ de genere ſive generatione Diaboli ex uno latere proceſſerunt. CAP. VI.
De nefandi generis præmiſſa ſucceſſione. CAP. VII.
De præparatione regis Philippi in Angliam. CAP. VIII.
Exemplum terribile de ambitione abbatis de Holme ad epiſcopatum. CAP. IX.
Adhuc de eodem. CAP. X.
Qyomodo vidit diverſas refectiones diverſis monachis præpararı. CAP. XI.

De consilio sibi per Mariam exhibito. CAP. XII.
De transitu Johannis in Aquitaniam, et pueris cruce signatis. CAP. XIII.
Quomodo rex Philippus perpetuò expulit à curia sua omnes mimos, joculatores et ribaldos. CAP. XIV.
Quòd ludens debet attendere condecentiam et honestatem ludi. CAP. XV.
De præparatione regis Philippi ad bellum; et de fidei ejus constantia, et clementia in conspiratores. CAP. XVI.
Quomodo comitem Boloniæ de ingratitudine redarguit, et ipsum incarceravit. CAP. XVII.
De divisione regni inter comites præconcepta; et de matre Ferrandi, maga et malefica. CAP. XVIII.
Quomodo rex Johannes Angliæ et Hiberniæ regna Romanæ ecclesiæ fecit feodatoria. CAP. XIX.
De carta aurea et forma juramenti ejusdem regis, et summa annuatim Romanæ curiæ solvenda. CAP. XX.
De errore Albigensium crudelitateque, et eorum hæresiarchâ. CAP. XXI.
De sancto hypocrisi beati Dominici, et disputatione ejus contra hæreticos. CAP. XXII.
De eodem Dominico, adhuc regulari canonico, transferente se in fratrem prædicatorem. CAP. XXIII.
De sanctissimo Francisco, et ejus conversionis primordio. CAP. XXIV.
De bello nostrorum contra Albigenses, et de Maria Oegenes. CAP. XXV.
De Jacobo Vitriaco, malo inobedientiæ, et concilio Lateranensi. CAP. XXVI.
De David comite de Huntingdon et morte ejus, et de Matilde ejus sponsa. CAP. XXVII.
De dissensione baronum Angliæ cum suo rege, et conquisitione amicorum aliunde. CAP. XXVIII.
De Ludovici Francorum principis, sive delphini, adventu ad Angliam, cui rex Alexander occurrit. CAP. XXIX.
De recessu ejusdem Ludovici ad Angliam, et quomodo rex Angliæ cepit Carleolum. CAP. XXX.
Quomodo regnum Scotiæ interdicitur, rex et prælati excommunicati denunciantur; Cultros fundatur. CAP. XXXI.
De absolutione cleri, fabula et rismo de legato. CAP. XXXII.
Quomodo legatus excommunicavit omnes albos monachos Scotiæ, et eosdem absolvit: cum aliis incidentibus. CAP. XXXIII.
De captione Jerusalem per Corradinum Turquie soldanum, et de desponsatione regis Alexandri. CAP. XXXIV.
De abbate de Kinlos, et mirabili visione sibi apparente. CAP. XXXV.
De legatione Georgianorum Christianor. et de arca Noë. CAP. XXXVI.
De martyrio Cathanensis episcopi et sui socii monachorum de Melros. CAP. XXXVII.
Quomodo clerus Scotiæ insinuabant Papæ de zelo et justitia regis, in præsumptores flagitii exercitis. CAP. XXXVIII.
De morte nobilis regis Philippi Francorum regis; et quòd potest fieri forma et exemplar regibus. CAP. XXXIX.
De ejusdem narrationibus solatiosis. CAP. XL.

De

De eiſdem. CAP. XLI.
De reditu regni Francorum ad ſtirpem Magni Caroli. CAP. XLII.
De ſubſidio ad maritandum ſorores regis Scotiæ, et de quodam maximo trucanno. CAP. XLIII.
De expugnatione et captione Avinionis Albigenſiacæ per Ludovicum regem Franciæ. CAP. XLIV.
De obitu ejuſdem Ludovici, et coronatione filii ſui Ludovici Sancti. CAP. XLV.
De tyrannide epiſcopi Dunelmenſis monachos de Durham profligantis, et aliis incidentibus. CAP. XLVI.
De fundatione Balmurynach, et aliis incidentibus. CAP. LXVII.
De aliis incidentibus, et de filiabus Alani de Galweya. CAP. XLVIII.
Quomodo rex Scotiæ domavit Galwidienſes. CAP. XLIX.
De epiſtola Helmandi, et planctu amici lapſi. CAP. L.
De eodem. CAP. LI.
Admonitio lapſi ut reſurgat. CAP. LII.
De tractatu inter reges, et morte reginæ Scotiæ. CAP. LIII.
De Othone legato et laude ejus, et falſo conſiliario. CAP. LIV.
De eodem, et ſecundæ ſponſæ regis Alexandri, et de imagine crucifixi, CAP. LV.
De mirabilibus incidentibus. CAP. LVI.
De probitate Francorum contra Tartaros. CAP. LVII.
De præparatione regum Franciæ et Angliæ contra ſe mutuo ad bellum, CAP. LVIII.
De combuſtione Patricii comitis de Atholia apud Hadington. CAP. LIX.
De inpacabili commotione Athollienſium contra Biſetos. CAP. LX.
De forbannitione Biſetentium de regno, et commotione regis Angliæ contra regem Scotorum. CAP. LXI.
De aliis incidentibus et eventibus. CAP. LXII.
De morte regis Alexandri ſecundi. CAP. LXIII.

LIBER IX.

CAP. I.

De initiis regis Alexandri ſecundi, et de imperatore Othone.

MORTUO* magnifico principe rege Willelmo, oppido Strivelino, in craſtino ſummo mane, de prælatorum et procerum conſilio, circa funus excubare decreverunt dominam reginam lugubrem, nimio mœrore confectam; à quo, licet voluerunt, rapere non quiverunt, unà cum epiſcopo Glaſguenſi Waltero, et electo Roſſenſi Roberto, necnon Willelmo de Boſco cancellario, cum aliis fidis familiaribus, exequiali more inſiſtere. Et raptim, de Stratherne, de Atholia, de Anguſia, de Menteth et Buchania, unà cum epiſcopo S. Andreæ Willelmo Malevicino, et aliis trium ſtatuum, in magna copia,

* *Mortuo Leone juſtitiæ, magnifico &c.* MSS. Copr. et Perth.

ad

ad transitum è corpore regis convolantibus, et electis assumptis, nobilem et bonæ indolis adolescentem filium regis Alexandrum, sedecim et semis annorum pubescentem, assumpserunt; et secum usque ad Sconam adducentes, sublimiùs et gloriosiùs quam eò usque quisquam, cum maxima lætitia, interpolatâ tristitiâ ob mortem patris, quasi diceres, "Quia pium est gaudere Alexandro, et pium est flere Willelmum;" coronatus est feriâ sextâ: et sabbato sequenti, festo scilicet S. Nicholai, necnon et imminenti dominicâ, apud Sconam festivitatem suam, non tam honorificè quàm regificè tenuit, ut decebat. Et in sequenti die lunæ, summo mane, cum omnibus prælatis et satrapis regni, necnon honorabili principe patruo suo David comite Huntingdoniæ, quamvis quamplurimum debili et ægroto, funebri tamen patris * cadaveri ad pontem de Perth processione percelebri obviavit; quod reverenter de Strivelyn usque ad monasterium Badocense †, id est Abirbrothock ‡, quod ipse à fundamentis construxit, et regiè satis dotavit, ferebatur; ibidem honorificè sepultus †: Cujus animæ propitietur Deus. Amen.

Circa idem tempus Otho imperator invadens patrimonium Petri, et multas munitiones in regno Apuliæ, quod totum est, ut præmisimus, de feodo ecclesiæ: missis propterea ab Apostolico diversis nunciis, cùm imperator ea quæ occupaverat resignare nequaquam vellet, quin etiam à suis, quos in castris posuerat, spoliari Romipetas faceret; Papa, communicato fratrum consilio, excommunicationis sententiam promulgavit in eum. Deinde cùm nec sic recipiscere vellet, sed magis ecclesiæ res occuparet, ac Romipetarum iter impediret, omnes subditos ejus à fidelitate ipsius absolvit Papa, sub anathematis interminatione prohibens, ne quis eum imperatorem haberet, aut nominaret. Sicque recesserunt ab eo langravius Thuringiæ, et archiepiscopi Maguntinus ac Trevirensis, duxque Austriæ et rex Bohemiæ, innumerabilesque alii, tam seculares quàm ecclesiasticæ personæ.

CAP. II.

De creatione Frederici secundi in imperatorem, et aliis incidentibus.

OTHONE igitur cognato Johannis regis Angliæ, auctoritate Innocentii tertii, qui eum creaverat, reprobato, et imperii collati potestate privato, electores, Philippi regis Francorum consilio mediante, Fredericum, Henrici quondam imperatoris filium, elegerunt unanimiter imperatorem; rogantes Papam ut ejus confirmaret electionem.

* *Regis*, pro *patris*, MSS. Cupr. et Perth. † Ita liber Perthens. ut supra cap. ult. lib. VIII. at *Bajocensi* hic loci libb. Coll. Edinb. et Cupr. ratio nominis nobis haud satis liquet, *Brudorensi* certe, aut *Brodocensi* ad loci ipsius nomen magis alluderet. ‡ "Quod "ad Abirbroth cum magno deferebatur honore sepeliendum, sicut ipse rex ante mortem "præceperat. Et prolequente universa nobilitate totius regni, præter paucos nobiles qui "extremas regni partes tuebantur, sepultus est pius rex Scotorum Willelmus, et sempiterno "tempore pie memorandus, IV. Idus Decembris, feriâ quartâ, in ecclesia monasterii de "Abirbroth, ante majus altare, quam ipse, ad honorem Dei et Sancti Thomæ martyris "Cantuariensis archiepiscopi, à fundamentis construi fecerat, multis prædiis et possessionibus "ditaverat, et monachis de Calkhow commendaverat. Cujus animæ propitietur Deus." *Editio Hearnii.* † Ita MSS. unde patet Bowerum dum Forduni narrationes in compendium redigit, id animo minus quam par erat ad syntaxin attento quandoque fecisse.

Qui

Qui licet ſatis vellet, quia tamen eccleſia Romana ſemper gravitatem et maturitatem in novis rebus obſervare conſuevit, diſſimulabat, et ad tempus diſtulit. Idem itaque Fredericus, hujus nominis ſecundus, cœpit anno Dom. MCCXI. mundi verò quinquies milleſimo centeſimo ſeptuageſimo quarto, et imperavit annis triginta quatuor. Tandem de conſilio regis Francorum, à baronibus Alemanniæ vocatus, Romam venit, et à Romanis honorificè ſuſceptus fuit. Inde diſcedens per mare venit Januam, et ibi cum honore ſuſceptus eſt, adjuvantibus Bonifacio marchione Montisferrati, et civibus Papienſibus et Cremonenſibus, et omnibus fere Lombardiæ civitatibus. Tranſiens quoque et Alpes intravit Alemanniam, et venit Conſtantiam. Cujus adventum ſciens, immò et ſitiens Otho, ſequebatur eum cum ducentis millibus pugnatorum. Jamque præmiſerat famulos et equos ſuos, in eandem civitatem ipſa die venturus. Itaque cùm jam ab urbe per tres leucas diſtaret, Otho cum ſuis viriliter repulſus eſt. Deinde Briſach, à quo etiam, quia Teutonici cives illius oppidi contumeliis et injuriis afficiebant, eorumque filias et uxores violabant, non minore dedecore quàm à Conſtantiis eſt repulſus. Fredericus autem ab his ipſis, tanquam ab aliis imperii baronibus, eſt receptus. Eodem anno celebratum eſt colloquium apud Vallem Coloris, mediante epiſcopo Methenſi, inter Fredericum imperatorem et Philippum regem Francorum: cui tamen non interfuit ipſe rex, ſed Ludovicus filius ejus, cum regni magnatibus. Percuſſeruntque inter ſe fœdus amicitiæ perpetuum, ſicut fuerat inter prædeceſſores eorum. Eodem anno rex Philippus totum Pariſius in circuitu circumſepſit. Et licet de jure ſcripto, propter publicum regni commodum, in alieno fundo poſſet erigere muros atque foſſata, ipſe tamen juri præferens æquitatem, ea quæ per hoc incurrebant homines, de proprio fiſco compenſabat damna. Hoc in anno rex quidam Sarracenus, nomine Memmilinus, id eſt rex regum, exercitu collecto Paganorum infinito, fines Hiſpaniæ aggreſſus, et in ſuperbia magna contra Chriſtianos loquens, obtulit eis bellum. Qui pauciſſimi admodum reſpectu Paganorum, pugnantes contra eum in fide et nomine Chriſti, vicerunt illum. Ubi fuerunt viri fortes de regno Francorum, et miles probatiſſimus rex Arragonum; qui etiam, in ſignum victoriæ, lanceam et vexillum Memmilini Romam miſit: et adhuc in eccleſia beati Petri poſita eſt in loco eminenti.

Fuit et alius Fredericus maximus tyrannus, de quo quidam ſic;

FRE *fremit in mundo,* DE *deprimit alta profundo;*
RI *res rimatur,* CUS *cuſpide cuncta minatur.*

Hic fuit rebellis Papæ, cui ſic ſcripſit:

IMP. *Luna refert, ſtellæque docent, aviumque volatus,*
Malleus urbis ero, ſolus dominabor in orbe.

CUI PAPA. *Fama refert, ſcriptura docet, peccata loquuntur,*
Quòd tibi vita brevis, pœna perennis erit.

IMP. *Fata canunt, ſtellæque docent aviumque volatus,*
Quòd cito totius malleus orbis ero.

Roma diu dominans, variis erroribus acta,
Corruet, et mundi desinet esse caput.

PAPA. *Fata cadunt, stellæque tacent, et nil sonat ales;*
Solius est proprium scire futura Dei.
Niteris incassum Petri dimergere classem.
Fluctuat, at nunquam desinet esse ratis.

De isto vide suprà libro VIII. cap. xiij. et lib. IX. cap. liij. Hic ultimus Fredericus fuit pessimus, de quibus ista lib. IX. cap. liij.

CAP. III.

De recessu comitum Boloniæ et Flandriæ à fidelitate regis Philippi.

ANNO Domini millesimo ducentesimo duodecimo Philippus rex, quia suspectum habebat Reginaldum comitem Boloniæ de fidelitate, eo quòd per internuncios obtulit se applicari Othoni deposito, et Johanni Anglorum regi excommunicato, petiit ab eo, ut sibi munitiones traderet. Quas cùm ei contra jus et consuetudinem patriæ denegâsset, congregato exercitu, rex ad quoddam castrum inexpugnabile, Moritonium dictum, in confinio Britanniæ Minoris et Neustriæ accessit: ipsumque præter spem infra triduum expugnans, quarto die per vim cepit; et eo fidelibus munito, inde aciem in Boloniæ partes direxit. Videns autem comes fortitudinem regis, cui resistere non poterat, totum Boloniæ comitatum omniaque castella Ludovico regis filio dimisit; à quo totum illud feodaliter tenebat. Rex verò jam totum comitatum Moritonii et Dompni-Martini et Albemarne, et Insulam bonam, et Dompni-frontem, omniaque illis appendentia, occupaverat. Quæ quidem omnia idem comes priùs, tam dono quàm regis patientiâ possederat. In eo quidem comite nonnulla erant laudabilia, sed plura etiam laudi contraria: nam ecclesias deprimens, fere semper excommunicatus erat; viduas et orphanos depauperabat; sed et vicinos suos nobiles odio persequens, eorum municipia destruebat. Et licet uxorem haberet nobilissimam et pulchram, cujus gratiâ Boloniæ comitatum obtinebat, et cujus filia Philippo filio regis nupta erat, spretis tamen ejus amplexibus, cum aliis mulierculis scortans, etiam concubinas publicè circumducebat. Cùm autem propterea excommunicatus esset, ad excommunicatos se transtulit, et confœderatus est Othoni quondam imperatori, et Johanni Anglorum regi. Hos enim Papa, ut prædictum est, excommunicavit; Othonem quidem, quia beati Petri patrimonium occupabat; Johannem verò, quia Stephanum, opinionis sanctæ virum, Cantuariensem archiepiscopum ab ipso Papa consecratum, ad sedem suam accedere non sinebat. Quin etiam omnes episcopos à regno suo ejecerat; omnesque res ecclesiarum et beneficia monachorum fisco applicaverat, et in usus proprios jam per triennium convertebat. Idem autem archipræsul et alii episcopi in regno Francorum exulabant, à rege Philippo, principe Christianissimo, liberaliter recepti. Audito hujusmodi subtractione à rege Philippo per comitem Boloniæ, occasionem sumpsit de hujusmodi factione Ferrandus comes Flandrensis, petens

tens ſibi reddi duo caſtella, Ariam ſcilicet et Sanctum Audomarum, quæ Ludovicus filius ejus tenebat. Rex autem obtulit ei excambium ad æſtimationem juſtam eorundam caſtrorum. At Ferrandus, hac compenſatione non acceptâ, receſſit; quia jam regi Johanni, mediante comite Bolonienſi, confœderatus erat, ut tunc primò regi Philippo apparuit. Et quia ſcriptum eſt, *Occaſiones quærit qui vult recedere ab amico*; ſimiliter comes Boloniæ petiit reſtitutionem terræ ſuæ abſolutè, ſed rex offerebat ei tantummodo ſub conditione, viz. ſi ſtare vellet judicio regalis aulæ.

CAP. IV.

De tyrannide regis Johannis barones Angliæ proſligantis, et de rurali prophetâ.

ANNO præmiſſo, circa Paſcha, novus propheta ſurrexit in Anglia, agreſtis quidam ruſticus, vir miræ audacitatis et abſtinentiæ, Petrus nomine, neſcio quo ſpiritu futura prædicens, ipſi regi Angliæ, crudelitatem ſuam adverſus eccleſiam de die in diem improperabat. Et quia in proximo honorem regni, et nomen regium amiſſurus eſſet, et quòd niſi per annum regnaret, et non ultra diem Aſcenſionis Domini in anno futuro. Cúmque conſtanter et planè hoc clamitaret, ad regem adductus eſt, et de præcepto ejus arctæ cuſtodiæ mancipatus. Erat autem vir ſimplex et idiota, ruriloquus et ſui negligens, veſte vili et cibis groſſioribus, ac aliis corporis neceſſariis mediocriter contentus: et, ut plerique teſtati ſunt, multis multa prædixit, quæ poſtea evenerunt. De quo habentur metra:

Anno milleno bis centeno duodeno
Prædixit quidam ſapiens, cognomine Petrus,
Illum poſt annum nunquam regnare Johannem.

Interim verò Pandulphus quidam ſubdiaconus cardinalis, quidam etiam converſus camerarius domini Papæ Innocentii III. ab eo miſſi Angliam intraverunt, mandatum ad hoc habentes, ut ſi rex ſatisfacere vellet Deo et eccleſiæ ſuper Cantuarienſi negotio, abſolveret eum ipſe Pandulphus à ſententia excommunicationis, et terram ab interdicto. Sed cùm induratum foret cor regis, et ad hoc nequaquam poſſet induci, receſſerunt Apoſtolici nuncii vacui, nullo negotio conſummato. Propter quod Papa commotus, tractabat de expulſione ejus à regno. Propter quod relaxatum eſt interdictum in partibus Wallenſium, eâ conditione ut in regem Angliæ totis viribus inſurgerent. Ipſi verò mandatum domini Papæ, ut obedientiæ filii, non ſegniter executi, ab interdicto abſoluti ſunt. Et ſic non ſolum propter ſubtractionem Wallenſium, ſed magis propter Petri prophetiam, rex pavidus et tremens, rei quam de ſe prædixerat præſtolabatur adventum. Diſſimulabat tamen metum, in priore obduratione perſeverans, tam circa eccleſiæ ſtatum, quàm circa optimates Angliæ, quos novis quotidie et variis vexabat injuriis; filios eorum capiens obſides, et tam quorundam terras et munitiones ſine judicio et ratione auferens, nulli fere ſuorum nobilium ſe vel conſilia ſua credens, ſed baliſtarum et rutariorum alienigenarum et

advenarum

advenarum globo conſtipatus : ipſe quoque cum eis die noctuque ſæpiſſimè armatus, pauciſſimos potentum Angliæ ad ſuum admittebat colloquium. Suſpectos enim eos habebat plurimum, quia ſuggeſtum erat ei multos, tam comites quàm barones, conjurâſſe de mandato domini Papæ, quòd ipſum caperent et tenerent, quouſque Deo et eccleſiæ, et ipſis de injuriis illatis et tranſgreſſione ſatisfeciſſet.

CAP. V.

De interfectione Petri prophetæ, et fuga baronum Angliæ.

DUM hæc itaque agerentur, anno ſequenti ſentiens ſe rex Johannes diem ſibi à Petro præfixum, ut præfatum eſt, evaſiſſe, et nullam infirmitatem corporalem incurriſſe, extractum de ergaſtulo Petrum pſeudoprophetam nuncupavit. Qui conſtanter regi in facie reſtitit, affirmans ſe vera fateri, aſſerens ipſum regem eo tunc non regnare; cùm interim, ut ſequentia declarabunt, regni ſui dominium alterius ſubdiderit ditioni. Convicto igitur per judicium tale quale Petro, et ad ſuſpendium condemnato, clarâ voce dixit regi, Se naturaliter in eccleſiam et ejus membra deſævire debere, utpote ab eo qui humanâ carne velatus, à Diabolo ſcilicet, proceſſit; ſed ad eum ne finaliter rediret, caritativè ſatis miſericordiam Altiſſimi precatus eſt. Hoc unum, inquit, tibi ſignificans, O non rex hominum, ſed fex ac crux omnium, proprium cum cognato tuo Diabolo poſſidere; cui competit laqueos tendere, lapſus parare, foveas fodere, ruinas aptare, ſtimulare corpora de animis, ut ſalventur non curare; virtutes odire, vitia amare, errores ſerere, diſcordias nutrire, turbare pacem, affectum diſſipare; violare humana, divina pertemptare. His ſuccinctè finitis ſermonibus, rex iratus, in uno ligno è vicino juſſit eum vitam finire ſuſpendio. Abhinc plus quàm ante ſuos nobiles habens de conjuratione contra eum, ut præmiſimus, ſuſpectos, principaliores et animoſiores eorum clàm capere diſpoſuit. Qui, quamvis innocentes, nominatim tamen fuerunt delati hujuſmodi conſpirationi interfuiſſe. Præmuniti quidam, utpote in curia amicos habentes, furenti ceſſerunt regis ferocitati et malitiæ, terras opeſque ſuas relinquentes, ſe cum uxoribus et liberis ſalvare cupientes, elegerunt potiùs ad tempus exulare, quàm regis indignationem ſuſtinere, vel ejus malitiæ aſſentire. Inter quos præcipui erant viribus et genere præclari, et rebus opulenti, duo barones; quorum alter Robertus filius Walteri, non parvâ armatorum ſequelâ comitatus, mare adiit: et, quia per omnes portus Angliæ prohibita fuit tranſfretatio, et aſportatis velis et gubernaculis, naves fuerant in ſiccam extractæ; ipſe prævalens viribus, audacter naves, quot ſibi ſuiſque fuerunt neceſſariæ, ſufficientibus inſtruens armamentis, inpulit in profundum; fecitque præconis voce proclamari per totam Dover, ut omnes transfretare volentes naves aſcenderent: ficque mare tranſito, à rege Francorum Philippo et filio ejus Ludovico honorificè ſuſceptus eſt. Alter verò Euſtathius de Veſſy gener regis Scotiæ Willelmi, cùm ad curiam regis Angliæ veniſſet, et in craſtino à rege capi ſive decapitari debuiſſet, præmunitus veſpere, Deo ſe protegente, cautè declinavit inſidias, et ad Scotiam cum uxore

et

et filio ſalvus pervenit; quem multi ſuorum dantes ſe diſcrimini è veſtigio ſunt ſecuti, cum equis et armis, et rebus aliis quas ſecum commodiùs poterant aſportare. Quorum rex Angliæ terras et poſſeſſiones proprios convertit in uſus, caſtella eorum diruens, parcos et pomaria exſtirpans, et alia gravamina ultra modum exercens. Sed et regi Scotiæ ſcripſit, ut felonem ſuum dictum Euſtathium ſibi transmitteret; qui ſub ſua protectione confugientem, nullâ cauſâ feloniæ compertâ, nequaquam decipere voluit, prout non decebat: quod propterea magnæ partis totius confœderationis et pacis præconceptæ, inter reges nuper initæ, noverca fuit, et diſcidii cauſa ſine cauſa.

CAP. VI.

Quomodo reges Angliæ de genere ſive generatione Diaboli ex uno latere proceſſerunt.

RUmore denique vaticinii Petri ſuſpenſi per ora quaſi omnium divulgato, cœperunt nonnulli de progenie in progeniem dicti regis inveſtigare. Et tandem ad hoc deventum eſt, quòd poſtmodum auctor in Polychronicon Anglorum clariùs deſcripſit; quomodo viz. quidam Galfridus comes Andegaviæ volens matrimonio copulari, fecit inquiri per nuncios, à latere ſuo miſſos, excellentioris pulchritudinis feminam, non habendo reſpectum qualemcunque ad progeniem vel parentes, ſed nec de ortu ejus aliquatenus curare, dummodo ejus corporalis ſpecies cæco ſuo amori complaceret. Quâ poſt aliqualem indagationem repertâ, et ſibi cum placentia præſentatâ, eam concitò conjugio vinculavit. Ex quorum ſobole Galfridus comes ille Plantgeneth Andegaviæ genuit ex imperatrice, filia bonæ Matildis reginæ Angliæ, Henricum ſecundum nomine; quæ poſt obitum imperatoris Henrici ſexti ſponſi ſui, eidem Galfrido Plantgeneth fuerat matrimonialiter copulata. Polychronicon. Ut autem lector quiſquam, tam regis hujus, quàm filiorum ſuorum, infauſtos exitus minùs obſtupeſcat, conſideretur origo hujus regis ex parte utriuſque parentis, necnon et uxoris ſuæ Diabolicæ conditio, de qua filios ſuſcitavit. Comitiſſa quædam Andegaviæ, de cujus ſemine Galfridus Plantgeneth proceſſit, ob ſolam corporis ſpeciem fuerat deſponſata; rarò tamen ad eccleſiam acceſſit; ſed et tunc vix uſque ad ſecreta miſſæ moram faciebat. Hoc dum à comite marito ſuo notaretur, die quadam detenta eſt in eccleſia à quatuor militibus. At illa, rejecto pallio, per quod tenebatur, relictiſque ibi duobus filiis quos ſub birro dextro pallii tunc fovebat, cum reliquis duobus natis, quos ad lævam tenebat, per feneſtram eccleſiæ, cunctis videntibus, evolavit, nec uſquam comparuit. Iſtud poſtmodum Richardus rex Angliæ, frater hujus Johannis regis, referre ſolebat, aſſerens non eſſe mirandum ſi de tali genere procedentes mutuò ſeſe infeſtent, tanquam de Diabolo provenientes, et ad Diabolum ituri. Unde et clericus quidam famoſus, à rege Henrico ad filium ſuum Galfridum comitem Britanniæ, fratrem dicti regis Richardi, pro pace refirmanda miſſus, hæc à filio audivit: Ut, quid me veniſti exheredare de jure meo nativo? Num ignoras hoc nobis naturaliter fore proprium, et ab atavis

inſertum, ut nullus noſtrum alterum diligat? Noli igitur fruſtra laborare, ut naturam à nobis expellere præſumas. Mater enim hujus regis Henrici, vivente priore marito, imperatore ſcilicet Henrico, eremiticè peregrinante ob culpam in proprium patrem, comitiſſam indebitè nupſit ſcilicet alteri, ſcilicet Galfrido Plantgeneth præmiſſo, de quibus iſte rex Henricus proceſſit.

CAP. VII.

Adhuc de nefandi generis præmiſſa ſucceſſione.

DE hoc etiam Galfrido deſcendit alter Galfridus cognomento Martellus, qui dominum ſuum comitem Pictavenſem aperto Marte cepit, ferreiſque vinculis innodatum ad ignobilis pacis conditionem coëgit, ut Burdegali civitate cederet, et finibus ejus, et de cetero annuum vectigal penſitaret. Qui comes Pictavenſis per eum incarceratus pro ferri injuria, et ciborum inopia, poſt triduum defunctus eſt. Cujus novercam Martellus duxit, fratres in tutelam ſuſcipiens: moxque Theobaldi comitis Bleſenſis ingreſſus limites, urbem Turonicam obſedit, et ipſum in eadem. Qui denuo captus, et in ergaſtulum recluſus, urbem ſibi omnibuſque ſuis heredibus imperpetuum abjuravit. De præmiſſo etiam Henrico, Galfridi et imperatricis filio, tunc infantulo, in curia Ludovici Francorum regis nutrito, beatus Bernardus Claræ-vallis abbas, præſente eodem Ludovico, ſic de eo vaticinatus eſt; De Diabolo, inquit, venit, et ad Diabolum tendit: notans per hoc tam tyrannidem patris ſui Galfridi quâ Sagienſem epiſcopum enecaverat, quàm etiam iſtius Henrici futuram atrocitatem, quâ in Sanctum Thomam Cantuariæ deſæviret. Hic Galfridus, pater hujus regis Henrici, Alienordem rapiens, ea abuſus eſt; quam iſte Henricus filius ſuus poſtmodum duxerat in uxorem. Quæ etiam interim, propter tranſcendentem ſpeciem ſuam, priùs nupta fuit Ludovico Francorum regi, patri nobilis regis Philippi, de qua Ludovicus ſuſcepit duas filias, ſcilicet Ahelidem et Mariam. Cúmque cum eadem uxore ſua Alienorde perrexiſſet ultra mare, audivit eam, ut fertur, à Salahadino crebra munuſcula ſuſcepiſſe. Unde poſt reditum ſuum in Franciam, non ſolùm ob cauſam prædictam, ſed etiam ob ipſius incontinentiam, voluit eam repudiare: quia, ut ſcribit Helmandus, non tanquam regina ſe gerebat, ſed fere tanquam meretrix. Quod illa intelligens, ab eo penitùs declinavit, et ad præfatum Normanniæ ducem Henricum, poſtea Anglorum regem, ſe tranſtulit, qui eam, ut dictum eſt, in uxorem duxit. Propter quod, inter ipſum et Ludovicum regem Franciæ nutricium ejus, inexplicabilis diſcordia ſuborta eſt. Qui quidem Henricus dux, mortuo Stephano Anglorum rege, Angliam intravit, et integritate regni potitus, ex ipſa Alienorde quatuor ſuſcepit filios, Henricum viz. regem præmortuum patri, Richardum et Johannem; qui tres ibidem regnaverunt ſucceſſivè; Galfridum quoque comitem Britanniæ: inſuper et quatuor filias, quarum una nupta eſt regi Caſtellæ, unde orta eſt Blanca regina Franciæ; altera verò Conſtantinopolitano imperatori nomine Alexi; tertia verò Saxoniæ duci, unde natus eſt Otho imperator, excommunicatus

ut

ut ſuprà; quarta comiti Tholoſano, unde ortus eſt Reymundus ejuſdem poſtea comes, qui etiam hoc eodem anno, ſcilicet Domini MCCXII. hæreticus judicatur, et ſuper hoc condemnatur.

CAP. VIII.

De præparatione regis Philippi in Angliam.

AD mandatum Papæ, Chriſtianiſſimus regum Philippus Franciæ, verè filius obedientiæ, eodem annò conſilium Sueſſionis convocavit; cui cum regni proceribus etiam Brabantiæ dux interfuit, eidemque rex ibidem filiam ſuam juvenculam, nomine Mariam, Philippi comitis Mamurcii relictam, deſponſavit. Ibidemque de transfretando in Angliam tractatum fuit. Placuitque baronibus ſermo, et ſpoſponderunt quòd perſonaliter transfretarent cum rege Philippo. Cauſa verò, quæ regem ipſum ad transfretandum in Angliam movebat, hæc erat; ut epiſcopos in regno ſuo exulantes, de mandato Papæ, eccleſiis ſuis reſtitueret; ibique divinum officium, quod jam per ſeptennium in Anglia ceſſaverat, renovari faceret; et ut regem ipſum Johannem, qui nepotem ſuum Arthurum occiderat, qui et plurimos parvulos obſides ſuſpenderat, et innumera flagitia perpetraverat, vel pœnæ condignæ ſubjiceret, vel à regno prorſus expellens, ſecundum interpretationem agnominis ſui, *Sine terra*, efficeret. Venit itaque rex cum exercitu ſuo Boloniam; et ibi per dies aliquot naves homineſque ſuos hinc inde venientes expectans, tranſivit uſque Gravaringas, villam opulentam in finibus Flandriæ ſuper mare ſitam. Ad quam tota claſſis ejus ſecuta eſt eum. Ibi ex condicto Ferrandus expectatus, nec venit, nec in aliquo ſatisfecit: licet, ad ejus petitionem, ille dies ad ſatisfaciendum de omnibus retroactis eidem aſſignatus à rege fuerit. Propter quod, communicato baronum conſilio, qui de omni provincia regni convenerant, rex, dimiſſo ad tempus propoſito eundi in Angliam, divertit in Flandriam, cepitque Caſſellum, Ypram, ac totam terram uſque ad Brugias; claſſiſque ſua per mare ſecuta eſt eum uſque ad portum prope Brugias, nomine Dam. Factâ etiam voluntate ſuâ de Brugiis, profectus eſt Gandavum, relictis ibi paucis militibus et ſatellitibus ad cuſtodiam navium. Propoſitum enim ejus erat, acquiſito Gandavo, transfretare in Angliam. Dum autem eſſet in obſidione Gandavi, venerunt de Anglia Reginaldus comes Boloniæ, et Willelmus Sariſberienſis, qui cognominatus eſt Longa-ſpata, et Hugo de Boves, cum multis aliis. Quibus etiam Ferrandus comes Flandrenſis, eorum præſciens adventum, cum Iſangrinis, et Bloetinis atque Flandrenſibus occurrit: ſicque ſubitò irruentes occupaverunt naves quæ per littora erant diſperſæ; quia portus, licet miræ amplitudinis eſſet, non poterat omnes capere, cùm eſſent numero mille ſeptingentæ. Omnes igitur extra portum inventas abduxerunt, et in craſtino portum ac villam obſederunt. Quo audito rex, obſidione Gandavi dimiſſâ, reverſus ad obſeſſos, obſidionem ſolvit, et illos uſque ad naves ſuas fugavit; multiſque occiſis, et ſubmerſis uſque ad duo fere millia, plures quoque probos et ſtrenuos captos abduxit. Sicque cum victoria Dam revertens, reſiduas

reſiduas naves victualibus et aliis rebus evacuari præcepit; igneque immiſſo, ipſas, ac villam, ac totam in circuitu regionem incendio conſumpſit. Receptis obſidibus de Gandavo, Ypra, Brugiiſque, obſides pro triginta millibus marcarum argenti in pace reddidit. Inſulam verò, propter malitiam inhabitantium in ea, funditùs evertit. Caſſellum ſemidirutum reliquit. Duacum in manu ſua retinuit. Hac occaſione eſt impeditum paſſagium Philippi regis ad Angliam.

CAP. IX.

Exemplum ſatis terribile, et ad cautelam legentium ſatis utile, de ambitione abbatis ad epiſcopatum.

HOC in anno, ſcilicet Domini MCCXII. cùm abbatizaret in domo de Holmeculter Willelmus de Curcy, et inde aſſumptus eſſet ad domum de Melros gubernandam, ſucceſſit ei, ad regimen de Holme, monachus quidam ejuſdem, Adam videlicet de Kendal. Hæc domus ſita eſt in Kaerliolenſi dioceſi, duodecim milliaribus à civitate diſtans. Cumque novellus abbas Adam, epiſcopum civitatis ejuſdem duplici vexatum incommodo, videlicet ætatis decrepitæ, et infirmitatis continuæ, ſicque mortem in januis ei cerneret imminere, cœpit ambitionis occultæ ſtimulo agitari, et, qualiter ad epiſcopatum poſſet aſcendere, votis omnibus meditari. Monaſticæ igitur ſimplicitatis et religioſæ humilitatis modum immoderatiùs excedens; Dei inſuper et profeſſionis memoriam poſtponens, laxatiſque habenis, per devia diſcurrens, ſubſtantiam monaſterii de eleemoſinis regis David, quam et de patrimonio crucifixi cuſtodiendam ſuſceperat, manu prodigâ diſtraxit. Amicitias inſuper et familiaritates nobilium civitatenſium, et clericorum, quorum patrocinio poſſet ejus affectus ad effectum perduci, frequentibus lautioris menſæ conviviis, et muneribus crebris ac eulogiis, quantum potuit, ſibi comparavit. Unde factum eſt, ut infra paucos annos domus illa quotidianis detrimentis, tam in ſpiritualibus quàm in temporalibus, miſerabiliter inclinata dejiceretur, et diſſimulantibus perſonis ordinis, per dominum regem Scotiæ et quoſdam ſeculares clamor tantæ calamitatis ad aures domini Ciſtertienſis, tempore capituli ſui generalis, opportunè ſatis perveniret. Qui ſtatim intelligens quòd ad Reyvallem pertineret domus illa, et filia eſſet de Melros, vocari fecit abbatem de Reyvalli, qui fortè tunc erat apud Ciſtertium, et eidem injunxit ut coabbati ſuo de Melros auctoritate paternâ præciperet, ut quantocitius remedium apponeret. Quod et factum eſt. Nam, viſitatione factâ, et veritate compertâ, dejectus eſt cellerarius ab officio; per cujus manus, de conſilio abbatis, ſubſtantia monaſterii fuit diſſipata. Dehinc abbatem depoſuit, et alium ſubſtituit. Depoſitus ergo, et conſiderans quòd merito hæc pateretur, et conventus ipſum propter dilapidationem bonorum monaſterii exoſum haberet; et propter hoc non eſſet ei quieta cum eis habitatio, miſericordiam petiit; et de conſenſu conventûs, ſed contra conſuetudinem ordinis, impetravit ut concederetur ei inhabitare cum ſocio quodam in foreſta de Inglewode, quæ Hildekirk vulgariter appellatur. Eſt autem locus ille pulcherrimo nemore vallatus,

vallatus, ſuas habens carucatas glebæ fertilis, amœnus admodum et ſecretus, et religionis propoſito cum decenti capellula ſatis accommodus. Aſſumpto igitur ſibi quodam monacho ſocio, Radulpho nomine, prout ei fuerat conceſſum, tranſivit ad ipſum locum quem inhabitandum cum ſua penſione elegerat.

CAP. X.

Adhuc de eodem, et de mirabili revelatione ſibi facta.

DUM hæc ſic ſe haberent, et epiſcopo Karliolis mortuo, ac die ad eligendum ſtatuto, Dompnus Adam, ſicut priùs ad epiſcopatum hians, accerſiri facit quendam ſecularem, ſpeciali quadam gratiâ ſibi familiarem, quem obnixè rogavit, ut die electionis ad civitatem accederet, et electorum ſecretis ſeſe prudenter ingereret, diligenter inquirens, quot et quales eſſent qui partes ejus in electione foverent, et ipſius intenderent promotioni. Qui, electione factâ, reverſus eſt durus nuncius, firmiter aſſeverans, in electione de ipſius perſona nullam penitùs factam fuiſſe mentionem. Quo audito, defecit ſpiritus ejus, et in ipſa perturbatione cordis ſocium ſuum inſtanter rogavit, quatenus pro ipſo ſeptem pſalmos pœnitentiales, per continuam quindenam ante ſacrum altare quotidie devotus perſolveret, eâ videlicet ratione, ut ſtatum ſuum Dominus monſtrare dignaretur. Cui monachus, tanquam vir diſcretus, reſpondit, quòd hoc nihil aliud eſſet, quàm Deum temptare, videlicet ſub tali forma pſalmos pœnitentiales decantare: quia tamen pſalmi ipſi fructu ſpirituali ſunt gravidi, et devotæ orationis formâ referti, petitioni ſuæ benignè favit, ita duntaxat ut Dominus gratiæ ſuæ conſolationem eidem largiretur. Et ecce, primâ nocte viſum eſt ei, quòd cerneret ſocium ſuum Dompnum Adam ſtantem in loco horroris et vaſtæ ſolitudinis, ſtupefactum quaſi et attonitum, denſiſſimis vepribus, ſpinis et ſentibus circumſeptum: et ignorantem penitùs qualiter deſertum illud egredi poſſet, cùm ejus viſui nulla via vel exitus appareret. Et hæc eadem viſio per totam quindenam ſingulis noctibus uniformiter ſibi monſtrabatur. Peractâ autem quindenâ, in ſeptimana pœnoſa intimavit Adam viſionem Radulphus. Et alter ſubſequenter aſſeruit, quòd ſibi ſtatus ſuus pleniùs fuerat demonſtratus. Adjuratus ergo Radulphus, ne cuiquam, eo vivente, revelaret, cœpit ei triſtis Adam cuncta referre ſub hac forma. Cùm membra, inquit, mea ſopori tradere voluiſſem, videbam quendam virum mihi aſſiſtere, qui quadam mihi præcepit auctoritate ut ſurgerem, et ejus veſtigia ſubſequens, viderem ea quæ mihi eſſet monſtraturus. Et ſtatim introduxit me in quoddam ampliſſimum palatium, ubi beatiſſima virgo virginum cum multitudine aſſiſtentium honorificè reſidebat. Quæ reverenter ſalutata dixit mihi; Velles, inquit, ſtatum tuum videre? vadas in hanc domum proximam, et invenies ductorem qui oſtendat tibi ſtatum tuum. Et oſtenſo mihi oſtio, ingreſſus inveni domum ampliſſimam in circuitu, et in medio plenam undique monachis diverſorum ordinum. Sedebant autem univerſi dimiſſis caputiis, in tantum quòd facies eorum penitùs velatæ eſſent, ne ab aliquibus cognoſcerentur. Et rediens ad miſericordiæ

matrem, præcepit ut iterum circumirem totam domum, et quærerem diligenter. Cúmque hoc feciſſem, et omnes ſediſſent immobiles, nec alicujus faciem videre poſſem, revertenti mihi præcepit glorioſa Domina ut dictam domum adhuc tertiò gyrarem, et indubitanter invenirem. Cui cùm obedientiſſimè paruiſſem, et ipſos, ut præceperat, viſitâſſem, unus eorum exſurgens caputium excuſſit, et revelatâ facie me reſpexit. Et cognoſcens eum, Eſne tu, inquam, Dompnus Thomas, quondam cellerarius meus? qui reſpondens ait, Sum miſer ille Thomas. Et quomodo, inquam, tibi eſt? Malè, inquit, ſupra modum, et multò deterius propter te. Sed ſcio, ait, quid quæris, et quid deſideras; quia præcepit mihi beata virgo Maria, ut manifeſtem tibi ſtatum tuum. Veni ergo, et ſequere me.

CAP. XI.

Quomodo vidit diverſas refectiones.

ET introduxit me in domum quandam maximam et pulcherrimam, habentem undique menſas ornatas in modum refectorii, optimis ferculis copioſiſſimè refertas: quorum omnium ſuaviſſimus odor ſe diffundebat, et nares meas ita mirabiliter reficiebat, quòd videbatur mihi de ſola tantæ ſuavitatis fragrantia, ſine ulteriore guſtu, vivere poſſe in æternum. Unde miro modo delectatus, quæſivi ab eo, quæ eſſet domus iſta, et in quorum uſus tam ſplendidè procurata. Hæc, inquit, domus eſt refectorium clauſtralium et pauperum converſorum, qui jugum interioris diſciplinæ et exterioris obedientiæ patienter et perſeveranter portantes, quotidianas et inæſtimabiles in tali loco percipiunt conſolationes. Et cùm vellem aliquantulùm immorari, et tantâ ſuavitate recreari, non permiſit dux meus, dicens, quòd non eſſet mihi pars neque ſors in domo illa. Et duxit me ſtatim in domum alteram ampliſſimam et fœtidiſſimam; et videbam menſas undique ſtratas ſordidiſſimis ferculis abundantiſſimè repletis: erant enim fercula de carnibus cadaverum horribiliter fœtentium, ita quòd nares ſuſtinere non poſſem continens. Cúmque requirerem ab eo, quæ eſſet domus iſta, reſpondit dicens, Hoc eſt refectorium cellerariorum, ſibi videlicet et ſocis ſuis præparatum, quos paulo ante videram cum eo ſedentes caputiis dimiſſis, et faciebus velatis, et aliis eorum ſimilibus, qui, pro placitis et forenſibus cauſis, curias regum et nobilium frequentare ſolebant. Et, quia fratrum ſuorum et vitæ clauſtralis paupertate poſtpoſitâ, gulæ vacantes et ebrietati, ſub occaſione neceſſariæ occupationis et communis utilitatis palliabant vitium propriæ voluptatis: propter hoc, ut pœna culpæ correſpondeat, quotidianis ab eis tormentis exigitur, ut talibus quotidie ferculis ingurgitentur. Sed veni, inquit, ulteriùs, et oſtendam tibi quæ reſtant. Et ingreſſi ſumus domum tertiam, amplam valde, ſed in modum cryptæ vel cellarii ſubterraneam. Dixitque mihi, Quæcunque videris diligenter conſidera, et univerſa memoriæ tenaci recommenda. Et reſpiciens vidi, ſub teſtudine domûs, carnes denſiſſimo ordine dependentes, quas nos vulgari nomine batones appellamus. Erant autem omnes igne teterrimo et ſulphureo vehementer inflammati,

in

in tantum, quòd pinguedo eorum grandi impetu ad inferiora decurrebat. Apparuerunt autem ſub baconibus foſſæ factæ in terra, videlicet in area domùs, ad humani corporis menſuram et capacitatem; et in ipſis foſſis jacebant homines reſupini, et omnes aperto ore et hiantibus faucibus pinguedinem ſulphuream impetuoſè decurrentem aviditate deteſtabili glutiebant. Et cum magno ſtupore et tremore quærenti mihi, quæ eſſet domus illa, reſpondit, quòd hæc eſſet conclavis abbatibus præparata, qui ſeorſum in cameris libenter morabantur; quorum fuit ſtudium comedere pinguia, et bibere multum: et propter hoc nunc in tormentis condignam vicem recipiunt; quia in poteſtate poſiti, delicias carnis contra Deum quæſierunt. Ego autem quæſivi ab eo, utrum quando morerer venturus eſſem ad hunc locum tormentorum. Et dixit mihi; Indubitanter ſcias, quòd expectat te locus tuus adhuc vacuus donec moriaris. Et ſtatim oſtendit mihi foſſam meam vacuam, et bacones deſuper imminentes: dixitque mihi, Ecce, certâ revelatione, vidiſti ſtatum tuum. Sed oportet ut revertamur, quâ venimus viâ, ad glorioſam miſericordiæ matrem. Cúmque ſtatuiſſet me coram beata virgine, regreſſus eſt Dompnus Thomaſius ad locum ſuum. Dixit autem mihi beata virgo; Ecce, vidiſti ſtatum tuum, qualem vivendo meruiſti; et certus eſto quòd morieris tu, et non vives ultra inſtantem ſolennitatem Dominicæ aſcenſionis. Sed quia mater ſum Salvatoris et miſericordiæ, ſalutis conſilium volo miſericorditer tibi dare, per quod pœnas tibi præparatas multum per omnem modum, ſi volueris, poteris alleviare.

CAP. XII.

De conſilio ſibi per Mariam exhibito.

MOdico, fili, tempore quo victurus es ſuper terram, totum conferas ad agendam ſalutarem pœnitentiam. Et, cùm hoc dixiſſet, juſſit ductori meo, ut ad locum, ubi me invenerat, ſine mora reduceret. Et ſic mihi ipſi reditus, et à tam terrifica viſione revocatus, tantâ mœſtitiâ et fluctuatione cordis turbatus ſum et diſtractus, quòd fere non ſuſtinens, in incredibilem deſperationis voraginem devolutus ſum. Sed precor te, frater cariſſime, quatenus hoc mihi perielitanti tribuas beneficium, ut ſi quid reſtat adhuc, impendas ſalutare conſilium. Cui ſocius ſuus reſpondit Radulphus; Certè non eſt aliud ſub cœlo ſalubrius conſilium, quàm quòd mater miſericordiæ miſericorditer tibi demonſtravit. Acquieſce ergo illi, et omne periculum promitto evaſiſti. Sic dicenti, et monita ſalutaria ſuggerenti, triſtis et turbulentus, anxius et tribulatus, reſpondit miſer ille Adam memoratus; Heu, inquit, ſcio quòd ſalvari nequeo. Et ſtatim tremens ac ſtupens, mente captus eſt, et à ſpiritu maligniſſimo vexatus. Cúmque tam miſerandæ paſſionis calamitas continuis agitationibus augeretur, indies furiâ vectus, vinculiſque mancipatus, et vehiculo impoſitus, ductus eſt ad abbatiam. Ubi ſeorſum poſitus, et officio caritatis exhibitus eſt, et cuſtoditus uſque ad feſtum Dominicæ aſcenſionis, quod ei fuerat terminus peremptorius à Domina Maria ſibi conſtitutus. Adveniente igitur die tantæ ſolennitatis, cùm eſſet conventus tempore miſſæ matutinalis in privatis miſſis

celebrandis

celebrandis occupatus, et ſervitores ipſius pro miſſis audiendis, ad eccleſiam divertiſſent, et ipſum ſine cuſtodia dimiſiſſent; mirabili et ſubito eventu vinculis expeditus, ad eccleſiam furibundus et clamans properavit. In qua cùm prædictus Radulphus, ſocius ejus, ſacerdotalibus indutus, ſacris altaribus exſtitiſſet, ſacramentis cœleſtibus celebrandis intentus; in impetu ſpiritûs ad ipſum currens, ambobus brachiis fortiter eſt amplexatus, clamans terribiliter et ejulans, Adjuva, miſerere! adjuva, miſerere! Ad cujus clamorem tam miſerabilem cùm eccleſia omnis reboaret, accurrentes qui aderant, non ſine violentia maxima, monachum celebrantem ab ejus amplexu liberaverunt, et furentem ſuo loco ſtatuentes, diligentiûs poſtea ſervaverunt. Cumque totus conventus ad miſſæ majoris ſolennitatem fuiſſet, ex more communiter, occupatus, et ipſe ſolito moleſtior fuiſſet, interim ſuâ paſſione fatigatus, ſubito, ſecundùm quod beata virgo prædixerat, die Dominicæ aſcenſionis inter manus ſervitorum ſuorum ultimum ſpiritum exhalavit.

Hæc autem, cariſſimi, ideo præſenti noſtro opuſculo ſcriptis commendare curavi, ut quiſquis prælatus, vel religioſus iſta corditer legerit, evidenter agnoſcat qualiter exemplificando, iſte Adam de Kendal, poſt profeſſam religionis regulam, interiora ſua negligens, per quotidianos defectus ad vagam et vanam devolutus eſt converſationem: et ſic ſemper ſeipſo deterior, noviſſimè miſerrimam, ut videtis, habuit conſummationem. Dum enim, ambitionis malignæ ſignatus cauterio, inſulas dignitatum, et vanam fallacis mundi gloriam, cui renunciaverat, aviditate famelicâ requiſivit; liquet manifeſtè, quod cum uxore Loth, et aratore evangelico retro reſpexit; et cum miſeris Hebræis cœleſte manna faſtidiens, ad ollas Ægypti corde rediit: et everſam Jericho, non ſine maledictione veri Joſuæ, reædificavit; et, velut canis Salomonicus ad vomitum, et ſus lota ad ſuum reverſa eſt volutabrum. Unde, demeritis ſuis exigentibus, per mundi arridentis oſculum incidit in labyrinthum Dædalicum, et irrecuperabilis caſûs præcipitium. A cujus oſculo et præcipitio, protegat Dei dextra tam viventes in ſeculo, quàm in clauſtro.

CAP. XIII.

De tranſitu Johannis regis Angliæ in Aquitaniam, et pueris crucefignatis.

EOdem anno Johannes rex Angliæ in Aquitaniam transfretavit, ac Rupellæ applicuit. Nec multo poſt reconciliatus eſt comiti Marchiæ, et Galfrido de Ladiniano, aliiſque proceribus Aquitanicis, qui priùs favebant regi Francorum Philippo. Quorum fretus auxilio, tranſiens in Andegaviam, ipſam occupavit, et caſtrum quod Bellum-forte dicitur, et quædam alia. Miſſi quoque curſores ejus, cum multa turba militum, collegerunt prædam trans Ligerim, juxta Nannetum. Ad quos repellendos incautè cum paucis militans Robertus, comitis Drocarum primogenitus, captus eſt ab eis cum quatuordecim militibus. Petrus autem ejus comitis filius filiam Guidonis de Thoarco, ſororem uterinam Arthuri, ex parte matris ſuæ ducisſæ Britanniæ, in uxorem duxerat; et cum eadem à rege Philippo totum Britanniæ minoris ducatum

catum acceperat. Hic Ludovico ipſius regis filio præſtabat auxilium, confinia protegens ac defendens. Alienordis autem, ſoror ejuſdem Arthuri, primogenita Galfridi quondam ejus provinciæ ducis primogeniti fratris Johannis Angliæ regis, ab ipſo Johanne capta, in Anglia tenebatur incarcerata: nolebat ſiquidem illam alicui matrimonio jungi, timens per eam amittere jura regni. Hic etiam Johannes rex urbem Andegavis, quam occupaverat, muro ex utraque parte uſque meridianam circumvallare cœpit: et, arridente ſibi fortunâ, cùm in brevi ſupradicta municipia obtinuiſſet, Aquitanorum et Pictavorum auxilio ſe poſſe de facili reſiduum terræ recuperare præſumens, caſtrum quod Rupes Monachi dicitur, à Willelmo de Rupibus Andegaviæ ſeneſcallo, ob tuitionem itineris de novo ædificatum, obſedit. Erectis itaque petrariis, et ceteris machinis bellicis, cœpit caſtrum fortiter expugnare; et obſeſſi non minus ſtrenuè ſe defendere. Tunc Ludovicus, regis Philippi primogenitus, patre ſuo per confinia Flandriæ et Normanniæ, cum militibus, diverſa municipia viciſſim viſitante, et ab hoſtium incurſibus defenſante, congregatum exercitum movit de Kinone ut prædictis obſeſſis ſuccurreret. Cúmque per unam jam dietam tantùm exercitus à loco diſtaret, rex Johannes ejus adventum in craſtino futurum non ſuſtinens, omnibus petrariis, mangonellis et papilionibus, cæteriſque belli utenſilibus dimiſſis, ac prædæ expoſitis, receſſit. Ludovicus autem urbem, quam rex Johannes muris circumſepſerat, recuperavit, et omnes muros ejus deſtruxit. Hanc autem victoriam Ludovici, modico tempore interjecto, ſecuta eſt victoria patris ſui Philippi; in qua, infra menſis unius ſpatium, filius in Pictavia de rege Angliæ Johanne, pater in Flandria de Othone imperatore excommunicatis, et de Ferrando cum ſuis Flandrenſibus, bello quidem difficili ſed victorioſo, Summi Regis dextrâ protecti, cum gloria triumphârunt. Eodem etiam anno pueri parvi uſque ad viginti circiter millia, ut æſtimatum eſt, cruce-ſignati ſunt; ac per legiones ad diverſos maris portus, videlicet Maſſillam et Brunduſium pervenientes, quia nullus eos tranſvehere curavit, zelo recuperationis Terræ Sanctæ, inanes et vacui reverſi ſunt. Dum igitur hîc tenelli nondum puberes adoleſcentuli, ſed pueri, in tantum zelati ſunt Terram Sanctam ſubſidio relevari, quid vos, barbati milites et commilitones ſatellites, eccleſiaſticos et colones quotidie aſſaltantes, et de eorum prædiis et prædis vos et complices veſtros, contra jusjurandum militare, reficientes, dicturi eſtis, cùm in illo extremo examine dicturus eſt Dominus, *Sinite parvulos venire ad me, talium eſt enim regnum cælorum*; et ad vos ſententiam retorquens, dicens, *Servos inutiles projicite in tenebras exteriores?*

Hoc etiam anno exiit edictum à ſummo pontifice generale, in omnem Chriſtianæ profeſſionis regionem, ut, omni ceſſante excuſatione, univerſi eccleſiarum paſtores ad terminum præfixum, ſciz. anno Domini MCCXV. Kalendis Novembris, Romæ congregarentur, generale concilium ibidem celebraturi, exceptis pauciſſimis, qui, communi conſilio, in unaquaque patria ob animarum cuſtodiam remanerent. Ipſi verò paſtores interim omni ſollicitudine verbum vitæ prædicarent, et infirmos in fide confirmarent, confirmatos animarent, ſed et ſanctæ crucis ſignaculo conſignarent, in ſubſidium Sanctæ Terræ repromiſſionis, quam tunc temporis Sarraceni nimis improbè poſſiderunt.

CAP. XIV.

Quomodo rex Philippus expulit perpetuò à curia ſua omnes mimos et joculatores.

HOC etiam anno Chriſtianiſſimus rex Francorum Philippus grandævus, et quadam infirmitate attactus‡, volens regum regi ſummopere complacere, et ſciens bella undique ex omni parte ſibi imminere, ſaniori uſus conſilio, pepulit à curia ſua perpetuò omnes ſcurras, illuſores, joculatores, præſtigioſos, aleatores, adulatores, gladiatores, et hujuſmodi iniquitatis filios, ludicros, et nimiùm jocoſos. Attendens quòd omnis jocus inordinatus eſt fomes libidinis. Unde et Venus dicitur jocoſa. De qua ſic ludit ſuus familiaris;

Non ſolet in mæſtos illa venire choros.

Et ne quis opinetur hunc Chriſtianiſſimum regum * velle omnem ludum condemnare, notandum eſt, quòd licentiùs etiam perfectus ludit ad horam, ut poſtea diligentiùs vacet ſtudio vel contemplationi: ſicut patet in Johanne Evangeliſta †, qui cùm perdicem, quaſi demulcendo, tangeret et contrectaret, quidam adoleſcens hoc videns, ad coævos ridendo dixit; Videte quomodo ille ſenex cum avicula, ſicut puer, ludit. Quod beatus Johannes per Spiritum recognoſcens, juvenem ad ſe vocavit, et, quid in manu teneret, inquiſivit. Cui, cùm ſe arcum tenere diceret, ait, quid inde facis? Et juvenis, aves inde ac beſtias ſagittamus. Cui Apoſtolus, Qualiter? Tunc juvenis arcum cœpit tendere, et tenſum in manu tenere. Sed cùm nil ei Apoſtolus diceret, juvenis arcum diſtendit. Cui Johannes, Quare, fili, arcum diſtendiſti? Et ille, quia ſi diutiùs tenſus teneretur, ad jacienda jacula infirmior redderetur. Et Apoſtolus ad hoc: Sic humana fragilitas ad contemplationem minus valida fieret, ſi ſemper in ſuo rigore perſiſtens, fragilitati ſuæ interdum condeſcendere recuſaret. Nam et aquila cunctis avibus celſiùs volat, et ſolem clariùs conſpicit; et tamen, naturæ neceſſitate, ad ima deſcendit. Sic et humanus animus cùm ſe modicum à contemplatione retrahit, crebrâ innovatione, ardentiùs ad cœleſtia tendit. Simile legimus de Sancto Antonio. Et ſic licet interdum etiam et perfectis ludere; quia requies eſt propter operationem, non operatio propter requiem. Verumtamen juxta TULLIUM, primo *de officiis*; "Non ita generati à natura ſumus, ut ad ludum et ad jocum facti eſſe "videamur; ſed ad ſeveritatem potiùs, et ad quædam ſtudia graviora." Hoc autem fortè dicit, quia quamvis ludus non ſit humanæ vitæ felicitas, eſt tamen conveniens ludus virtus quædam; quia ſicut homo indiget aliquando à vexationibus corporis quieſcere, ita indiget intentionem animæ à ſtudiis et ſeriosis relaxare, et à ſollicitudinum anxietate pauſare. Hoc autem maximè fit per honeſtum ludum, qui conſiſtit in colloquiis et collationibus convenientibus inter homines ordinatis.

Sciendum eſt igitur circa ludum, quòd ad hoc quod virtuoſè fiat, tria requirit, viz. condecentiam honeſtatis, providentiam identitatis, caren-

‡ *Provectus*, MS. Coll. Edinb. ſine voce *quadam*. * *Regem*, liber Cupr. † Quæ ſequuntur de S. Johannis cum puero colloquio deſiderantur in MS. Coll. Edinb.

tiam

tiam ſuperfluitatis. Primum igitur quod à virtuoſè ludentibus conſiderari debet eſt honeſtatis condecentia, ut videlicet ludus talis deceat perſonam ludentem et perſonas aſſiſtentes. Unde alius ludus convenit prælato, vel clerico, ſeu viro religioſo; et alius militi, armigero vel famulo. Alius etiam ludus decet ſenem, et alius juvenem; quamquam dicat metriſta,

Res eſt pulchra ſenem juveniliter eſſe jocoſum;
Sed magis eſt juvenem moribus eſſe ſenem.

Quia non omnes omnia decent. Fingit Æsopus, *de aſino et catulo*, quòd aſinus conſiderans catulum otioſum mirabiliter acceptum et gratum domino, deliberavit quæ poſſet eſſe cauſa, quare dominus catulum, nihil operis facientem, tantum diligeret; et deprehendit quòd quoties dominus domum rediit, catulus ei occurrit, voce, caudâ, et modis quibus potuit domino ſemper applauſit. Viſum eſt igitur expediens aſino effigiare catulum, et ſic domini gratiam promereri. Igitur domino de rure redeunti occurrit aſinus cum impetu, anterioribus pedibus humeros domini amplectens, clamore valido rudire cœpit. Dominus turbatus et læſus auxilium convocat famulorum, qui aſinum validiſſimè fuſtigatum à domino abegerunt. Iſto modo, multi ſunt qui putant quòd eos deceat omnis ludus, cùm in rei veritate inde diſplicent, unde ſe reputant complacere.

Fabula noſtra docet cunctis non cuncta licere;
Et debere ſuum quemque tenere modum.

Narrant etiam fabulæ, quòd Minerva, inventis tibiis, cœpit fiſtulare. Cùm igitur juxta fontem ſufflando tibias aſſederet, conſideravit buccarum ſuarum tumorem, et viſâ indecentiâ vultûs ſui, projecit à ſe tibias cum indignatione, nunquam poſtea fiſtulatura.

CAP. XV.

Quòd ludens debet attendere condecentiam et honeſtatem ludi.

COnſideret igitur ludens primò perſonæ ſuæ condecentiam et honeſtatem, et nihil attemptet quod eum vel ſtatum ſuum non deceat, et ſuper omnia turpia caveat quæ aliquo modo ad peccatum inclinent. Unde Seneca de quatuor virtutibus; "Omnia tolerabilia præter "turpitudinem crede. A verbis quoque turpibus abſtineto; quia li"centia eorum impudentiam nutrit." Sermones utiles, magis quàm facetos et affabiles, ama. Miſcebis interdum ſerlis jocos, ſed temperatos, ſine detrimento dignitatis et verecundiæ. Nam reprehenſibilis eſt riſus, ſi immoderatus, ſi pueriliter effuſus; ſi muliebriter fuerit fractus. Odibilem quoque facit hominem riſus, quia aut ſuperbus, aut elatus, aut malignus, aut furtivus, aut alienis malis ſuſpicabitur evocatus. Secundum quod ludus virtuoſus requirit eſt providentia identitatis, ut ludens ſemper provideat, quòd ludus ſuus ſit ſimplex, innocens, et innoxius, ne aliquis inde lædatur. Unde qui nihil in dictis ſuis ponderant, niſi ut riſum faciant, nec curant quem per dicta ſua contriſtent, deriſores ſunt et bomolichi, et non eutrapelii, ſecundùm Ariſtotelem

octavo

VIII. *Ethicor.* De tali loquitur Salomon; " Fraudulentus nocet amico " ſuo, et, cùm deprehenſus fuerit, dicit, ludens feci." Sed numquid virtuoſè ludens poteſt alteri convitiari? Ad hoc ſatis reſpondit Ariſtoteles, IV. *Ethicorum*, dicens; quòd quædam vitia ſunt contumelioſa, et quædam non. Dicere autem contumeliam alicui, eſt eum infamare; et ideo talia convitia dicere, nullo modo poteſt virtuoſè ludens exercere. Nam et hoc etiam apud Gentiles legibus prohibebatur. Sunt autem alia quædam convitia de levibus, quæ poteſt convenienter virtuoſus dicere, vel propter delectationem, vel propter hominum morum emendationem, ut ponit Sanctus Thomas. Tertium quod ludens virtuoſus requirit eſt carentia ſuperfluitatis, ne vel nimis frequentetur, vel nimis continuetur. Dicit autem S. THOMAS, ſuper quarto *Senten. di.* xvj. *q. ult. ar. prim.* Eſt, inquit, ludus turpis et inhoneſtus, qui in ſe deformitatem importat. Tales fecerunt Gentiles coram diis ſuis in theatris et in templis; et iſte eſt ſimpliciter inhibitus omnibus Chriſtianis, ut *de pe. d.* v. §. 1. *in fine.* Alius eſt ludus devotionis et gaudii ſpiritualis, qualem faciunt Chriſtiani in ſolennitate corporis Chriſti, qualem etiam fecit David coram arca Domini. Tertius ludus eſt humanæ conſolationis, cujus medietas vocatur eutrapelia; et virtuoſus illâ virtute dicitur ab Ariſtotele eutrapelus: quæ virtus eſt ita neceſſaria humano convictui, quòd, ſecundùm eum, proprium eſt eutrapeli epidexicen eſſe, ab EPI quod eſt *ſupra*, et DEXIOS quod eſt *aptus*, quaſi optimè aptum ad convictum humanum. Et de tali ludo exponi poteſt illud ZACHARIÆ octavo; " Plateæ civitatis complebuntur infantibus " et puellis ludentibus." Hæc propterea hîc inſerui, ut ſciant reges et prælati quales admittant in curiis, et quales expellant luſores ſive illuſores; ſicùt fecit hic rex Philippus, dans in hoc exemplum aliis principibus.

CAP. XVI.

De præparatione regis Philippi ad bellum.

JOhanne rege Angliæ, ut dictum eſt, in partibus Andegaviæ debachante, Otho imperator electus, immò à Papa neglectus, quia excommunicatus, ab ipſo Johanne rege avunculo ſuo, pecuniâ mediante, congregavit exercitum in comitatu Hannoniæ, in oppido Valenciano, in terra ſcilicet Ferrandi comitis Flandriæ. Fueruntque cum eo miſſi à Johanne rege ad ſtipendia ſua comites ſcilicet Boloniæ, Sariſberiæ, Flandriæ, dux quoque Brabantiæ, cujus filiam idem Otho duxit in uxorem, et multi alii proceres et comites de Alemannia, Hannonia, Brabantia, et Flandria. Rex autem Philippus, cujus militiæ majorem partem habebat filius ejus Ludovicus in Pictavia congregatum, movit exercitum in craſtino beatæ Mariæ Magdalanæ de Perrona, terramque Ferrandi comitis intravit, et tranſiens per eam, omnia incendio vaſtando ac deprædando, uſque ad urbem Tornacum pervenit; quam Flandrenſes quidem anno præterito fraudulenter ceperant, et multum damnificaverant. Sed idem rex ſine mora, miſſo exercitu cum fratre Guarino et comite Sancti Pauli, eam citò occupaverat. Deinde juxta pontem Bovinum, qui eſt inter Cæſonam et Savignium, congreſſi ſunt exercitus:

exercitus: ubi Otho ſibi pro vexillo erexerat aquilam deauratam ſuper draconem pendentem in erectâ perticâ in quadriga. Rex autem antequam congrederetur, hac brevi et humili adhortatione ſuos milites alloquitur, dicens: Otho, inquit, cum ſuis à domino Papa excommunicatus eſt, quia hoſtes et deſtructores ſunt eccleſiæ. Et pecunia quæ illis in ſtipendia à rege Anglorum Johanne, etiam excommunicato, datur de latrociniis pauperum et eccleſiarum Dei acquiſita eſt. Nos autem Chriſtiani ſumus, et communione pacis ſanctæ matris noſtræ eccleſiæ, et ſedis Apoſtolicæ benedictione fruentes, quamvis peccatores, tamen eccleſiæ Dei conſentimus, cujus hucuſque, laus Deo, cleri, pro poſſe noſtro, libertates defendimus. Unde de Dei miſericordia fiducialiter debemus præſumere; quia nobis licet peccatoribus, reſpectu eorum perpaucis, dabit de ſuis et noſtris hoſtibus triumphare. Ipſi regnum, gloria, et imperium in ſecula. His igitur dictis, milites juſtitiam regis in regno, et obedientiam eccleſiæ et Apoſtolico rememorantes, inclinatis capitibus, benedictionem humiliter à rege petierunt. Quâ præ gaudio cum lacrimis perceptâ, ſtatim, inſonantibus tubis, inſultum in hoſtes viriliter effecerunt. In ipſa enim hora capellani et clerici non procul à rege ſtabant retro ipſum; qui, audito clangore tubarum, altâ voce hos pſalmos et devotâ cecinerunt, viz. *Benedictus Dominus, Deus meus, qui docet*, P. *Exurgat Deus*. P. *Exaudiat te Deus*. P. *Domine in virtute tua*, &c. omnes uſque in finem, prout potuerunt propter irrumpentes lacrimas et ſingultus admixtos, devotè coram Deo recolentes, et libertatem quâ eccleſia Dei gauderet in Francia per Philippum regem; et è contra dedecus et opprobria quæ pateretur per Othonem, et per regem Angliæ Johannem: quòdque muneribus hoſtes illi provocati contra dominum ſuum in regno ſuo pugnare præſumebant. Pugnatum eſt acriter hinc inde, iij. Nonas Auguſti, die dominicâ, rege Philippo ſatis inſtante pro induciis uſque in craſtinum; ſed, ſpretâ Dei reverentiâ, in Francos irruerunt, et militem regis armis indutum occiderunt. Sed tandem Othone pedeſtre de campo effugato, et inter primos fugiente, dux Lovaniæ, et dux de Lamburgho, et Hugo de Boves, ac alii innumerabiles comites, proceres, et barones turmatim ſe mandaverunt fugæ turpi. Multi interfecti, multi vulnerati, multique ex parte Othonis capti; inter quos erant comes Boloniæ, et Ferrandus Flandriæ, cum aliis tribus comitibus, et viginti quinque aliis nobilibus vexillorum inſignibus gaudentibus. Licet omnes de regno ſuo, qui in ejus mortem conſpiraverant, tanquam rei læſæ majeſtatis, et ſecundùm leges capitibus plectendi eſſent; ille tamen, ut mitis et pius, vitam donavit omnibus. Etſi enim fervebat in eo contra rebelles ſeveritas, major tamen vigebat in eodem clementia in ſubjectos. Cujus intentio ſemper erat,

Parcere ſubjectis, et debellare ſuperbos.

Capti ſunt præter præmiſſos, ex parte regis Angliæ comes Saleſberienſis Tenebrok et comes Piloſus. Capti ſunt etiam barones et baronum filii, et nobiliores milites egregii de Flandria et Alemannia fere ſepties viginti. Numerus militum captorum ducenti viginti: interfectorum militum ſeptuaginta: peditum interfectorum tria millia. De Francis autem tres milites tantùm.

CAP. XVII.

Qualiter comitem Boloniæ de ingratitudine redarguit, et ipſum incarceravit.

QUamvis igitur eis de morte pepercit, omnes tamen ergaſtulis mancipavit; quibus incatenatis et quadrigis impoſitis, iter Pariſius direxit. Cùm autem eſſet Bapamis, nunciatum eſt ei quòd Reginaldus comes Bolonienſis, poſt prœlium miſerat nuncium ad Othonem, ſuggerens ei ut Gandavum accederet: et vires recolligens, auxilio Gandavorum et aliorum bellum renovaret. Quo audito, ſive veridico auctore, ſive non, rex admodum perturbatus aſcendit in turrim ubi duo majores comites erant, Ferrandus ſcilicet et Reginaldus. Itaque Reginaldo rex improperavit, quòd cùm homo ſuus liegius eſſet, novum eum militem, ac de paupere divitem, fecerat: ipſe verò pro bonis mala retribuens, unà cum comite Alberico patre ſuo ad Henricum quondam Angliæ regem, in regni perniciem, ſe tranſtulerat. Poſtea quoque reſipiſcens, in magnam ipſius amicitiam receptus fuerat; et præter comitatum Dompni-Martini, qui, Alberico patre ſuo in ſervitio regis Angliæ defuncto, ad eum hereditario jure devolutus erat, comitatum ei Boloniæ addiderat. Ipſe quoque poſtmodum culpæ culpam adjiciens, ad regem Angliæ Richardum tranſiens, quamdiu vixerat, ei ſemper contra ipſum adhæſerat. Sed et Richardo defuncto, eum iterum in amicitiam ceperat, et cum duobus prædictis comitatibus tres etiam alios, ſcilicet Mortonii, Albemarnæ et Warrennarum, eidem adjecerat. His omnibus beneficiis oblivioni traditis, contra ipſum, dominum ſuum regem, univerſam Angliam, Teutoniam, Flandriam, Hannoniam, Brabantiam, ſine cauſa commoverat. Naves etiam ejus apud Dam anno præterito, cum aliis, diripuerat: ſed et nuper cum reliquis contra ipſum corporaliter pugnaverat. Poſt pugnam quoque, et poſt vitam eidem miſericorditer condonatam, miſſis nunciis ad Othonem et alios qui de bello evaſerant, ad bella eos iterum incitare curaverat. Hæc, inquit, omnia mihi feciſti; vitam tamen, me adimente, non perdes; ſed, donec hæc omnia lueris, ergaſtulum non evades. His dictis, fecit eum Perronam adduci, ibique in turrim fortiſſimam includi, et cautiſſimè cuſtodiri ligatum compedibus mirâ ſubtilitate perplexis, ac fere indiſſolubilibus. Ferrandum quoque Pariſius devectum arctâ cuſtodiâ mancipavit, in turri nova extra muros incluſum. Porrò ceteri captivi in duobus caſtelletis Pariſius poſiti ſunt, in utriuſque pontis capitibus, et in ceteris per diverſa loca munitionibus. In his autem quæ dicta ſunt juſtum Dei judicium patet; quia conventus pravorum, qui in exterminium bonorum temere diſponunt, ſemper in contrarium vertit, ad vindictam ſciz. malefactorum, laudem verò bonorum. Ecce enim, non ſolùm iſti qui in hoc bello confecti ſive convicti ſunt, contra regem conſpiraverant, ſed etiam donis et promiſſis illecti, comes Herveus Nivernenſis, et omnes proceres trans Ligerim, et Cenomanniæ, et Andegaviæ, et Neuſtriæ, excepto tantùm Willelmo de Rupibus, ſeneſcallo Andegaviæ, Nihello * de Mediana,

* *Juchello*, Rigordus.

et

et vicecomite Sanctæ Suſannæ, et aliis quàm paucis, jam regi Angliæ ſuum favorem ſpoſponderant: ſed propter metum regis Philippi, quouſque certi eſſent quis eſſet pugnæ futurus exitus, ſua vota tegebant.

CAP. XVIII.

De diviſione regni inter comites præconcepta, et de maga matre Ferrandi.

JAM jamque quaſi de victoria præſumentes, univerſum regnum diviſerant; Viromandiam ſcilicet cum Perrona comiti Reginaldo, Pariſius autem Ferrando, et aliis alia oppida, Othone diſtribuente, temerè partientes *. Deo igitur ordinante, juſtiſſimè ſic factum eſt, ut Ferrandus et Reginaldus id quod pro honore ſuo petierant, vel putabant, pro ſuæ confuſionis ignominia haberent. Nam, ut puto, hi comites decepti per magam, matrem Ferrandi Flandrenſem comitiſſam, quæ in operationibus per oraculum recepit à ſpiritu maligno reſponſum hujuſmodi, dicente;

Rex ruet in bello, tumulique carebit honore.
Ferrandus, comitiſſa, tuus, mea cara Minerva!
Pariſius veniet, magnâ comitante catervâ.

Quæ omnia ut ſpiritus dixit, ſed non ut ipſa intellexit, evenerunt.

Quis autem vel verbo vel ſcripto valeat explicare, quæ in eorum adventu facta ſunt? Cantica dulciſona clericorum, tripudia populorum, pulſationes claſſicorum, ornatus eccleſiarum, vicos, domos, et vias cortinis et pannis ſericis intextas et intectas, flores et ramos arborum virides ubique ſtratos. Omnes etiam cujuſcunque generis, ſexûs et ætatis homines, ad tanti triumphi ſpectacula concurrentes, ruſticos et meſſores, intermiſſis operibus, falcibus, raſtris, et tribulis in collo ſuſpenſis, catervatim cum tripudio et inſtrumentis muſicis, pro ſuo modulo, ad bivias et vias ruentes, cernere cupientes Ferrandum in vinculis, quem nuper formidabant in armis. Nec ei verecundebantur illudere ruſtici pueri, et vetulæ, nactâ occaſione à nominis æquivocatione: nam et caſu mirabili, duo equi Ferrandi, id eſt ejus coloris qui hoc nomen equis imponit, ipſum in lectica vulneratum vehebant. Unde et ei improperabant, quòd ſic ferratus erat ut recalcitrare non poterat, qui priùs incraſſatus, impinguatus et dilatatus recalcitraverat, et in dominum ſuum calcaneum elevaverat. Hæc per omnia loca facta ſunt, quouſque Pariſius pervenerunt. Pariſiani verò, clerici et laici, cum hymnis et canticis obviàm regi proceſſerunt; nec ſolùm dies, ſed etiam noctes in ſumma lætitia tranſegerunt. Septem enim diebus continuis et noctibus, innumeroſis † luminibus utebantur, ita ut nox ſicut dies illuminari videretur. Comes verò Saliſberiæ, regis Angliæ frater, ipſo die pugnæ, traditus eſt à rege Philippo comiti Roberto, ut ipſe rex Angliæ filium ejuſdem Roberti, quem captum tenebat, commutaret pro illo: ſed ille tanquam naturæ contrarius, carnem ſuam et ſanguinem ſemper odio habens, noluit extraneum, quem tenebat captivum, pro fratre ſuo proprio commutare.

* *Præcipientes*, MS. Coll. Edinb. † *Numeroſis*, Rigordus.

Poſt

Poſt paucos dies Pictones tantæ famâ victoriæ perterriti, miſſis legationibus, elaborabant regi Philippo reconciliari. Rex autem eorum perfidiam multoties expertus, eorumque favorem ſciens domino ſuo ſemper fore oneroſum, et nunquam fructuoſum, eis non acquievit: ſed collecto exercitu, in Pictaviam, ubi rex Johannes erat, acceſſit. Cúmque Laudunum perveniſſet, vicecomes Thoarcii, qui potentiſſimus erat in terra illa, legatos ad eum, pro pace, vel ſaltem pro induciis, ſupplicantes miſit. Cúmque Laudunum perveniſſet, vicecomitem Thoarcii recepit ad gratiam. Sed et ipſe rex Anglorum cùm XVII. milliaribus ab ipſo loco diſtaret, et nec haberet quo fugeret, nec in apertum ut pugnaret procedere auderet, miſſo Ranulpho comite Ceſtriæ, cum Roberto legato domini Papæ, de induciis tractare cœpit. Cui rex Philippus, ob reverentiam ſedis Apoſtolicæ, quinquennes induclas ſolitâ benignitate conceſſit; ſicque Pariſius rediit.

CAP. XIX.

Quomodo rex Johannes regna Angliæ et Hiberniæ feodataria fecit Romanæ eccleſiæ.

REX igitur Johannes cernens ſe ad votum non poſſe proſperari, qui paulo ante pugillo præſumebat axem volubilem rotæ fortunalis ad ſe egyrare, tædere cœpit et pavere. Nam cùm paulo ante venerunt ad ipſum de Romana curia, ut prædiximus, duo nuncii à latere domini Papæ pro pace reformanda miſſi, non eos paſſus eſt ad ipſius præſentiam accedere. Quem tamen cùm cernerent induratum, nec poſt multas admoniſiones in aliquo emendatum, timore mortis abjecto, liberâ voce latam in eum ſententiam denunciaverunt; abſolventes omnes ſuos clericos et laicos à fidelitate et homagio ſuo, et de cetero omnes ei communicantes, niſi citò reſipiſcerent, excommunicabant. Sed in his omnibus non eſt averſus furor ejus, quem erga ſanctam Dei eccleſiam et cleram conceperat; ita quòd vix à ſuſpendio domini Papæ nunciorum, hâc commotus, ſe temperavit. Deinde Pandulphus ſubdiaconus cardinalis, et alius quidam camerarius domini Papæ, mandatum Papæ exſequentes, reliquerunt ſacerdotibus Angliæ ſignum apoſtaſiæ, manipuluni humeris eorum in miſſis affigendum; qui nihil aliud proficientes redierunt vacui, ut præſcripſimus. Sed tunc, auditis infortunio Othonis nepotis ſui, et victoriâ regis Philippi de ſuis confœderatis celebratâ, et indignatione ſummi pontificis contra eum conceptâ; timens ſibi et præcavens de futuro, ſcripſit humiliter domino Apoſtolico, pro præmiſſo Pandulpho; veniam petiit, et emendam ſpoſpondit. Ad quem remiſit Papa dictum Pandulphum domino Nicholao ſummo pœnitentiario Caſtellanenſi epiſcopo, Apoſtolicæ ſedis legato aſſociatum. Qui venerunt in Angliam paulo ante Aſcenſionem, anno Domini MCCXIII. qui etiam fuit Johannis regis decimus tertius. Coram quibus apud Londonias idem Johannes ſpontaneè, de communi conſilio baronum ſuorum obtulit, ac liberè conceſſit Deo et Apoſtolis ejus Petro et Paulo regnum ſuum Anglorum, et regnum Hiberniæ, ac etiam ſeipſum et heredes ſuos feodatarios, &c. ut patet per ſuam cartam auream; cujus tenor ſequitur, et eſt talis:

CAP.

CAP. XX.

De carta aurea.

JOHANNES D. G. rex Angliæ, dominus Hiberniæ, dux Aquitaniæ et Normanniæ, et comes Andegaviæ; omnibus Chriſti fidelibus, præſentem cartam inſpecturis, ſalutem in Domino. Univerſitati veſtræ per hanc cartam, aureâ bullâ noſtrâ munitam, volumus eſſe notum, quòd cùm Deum, et matrem noſtram ſanctam eccleſiam, offenderimus in multis, et inde Divinâ miſericordiâ plurimum indigere noſcamur; nec quid quod dignè* offerre poſſumus pro ſatisfactione Deo et eccleſiæ debitè facienda, niſi noſmetipſos et regna noſtra habeamus: volentes noſmetipſos humiliare pro illo qui ſe pro nobis humiliavit uſque ad mortem, gratiâ Spiritûs Sancti inſpirante; non vi inducti, nec metu coacti, ſed noſtrâ ſpontaneâ bonâ voluntate, ac communi conſilio baronum noſtrorum, OFFERIMUS et liberè CONCEDIMUS Deo et ſanctis Apoſtolis ejus Petro et Paulo, et ſanctæ Romanæ eccleſiæ matri noſtræ, et domino noſtro Innocentio Papæ tertio, ejuſque catholicis ſucceſſoribus, totum regnum Angliæ, et totum regnum Hiberniæ, cum omni jure et pertinentiis ſuis, pro remiſſione peccatorum noſtrorum, et totius generis noſtri, tam pro vivis quàm defunctis: et amodo illa à Deo et eccleſia Romana tanquam feodatarius recipientes et tenentes, in præſentia venerabilis patris noſtri Nicholai Caſtallanenſis † epiſcopi Apoſtolicæ ſedis legati, et Pandulphi domini Papæ ſubdiaconi et familiaris, exinde fidelitatem prædicto domino Papæ Innocentio tertio, ejuſque catholicis ſucceſſoribus, ac eccleſiæ Romanæ, ſecundùm ſubſcriptam formam, fecimus et juravimus homagium et liegium pro prædictis regnis Deo et Apoſtolis ſanctis Petro et Paulo, et eccleſiæ Romanæ, et eidem domino Papæ Innocentio, per manus prædicti ipſius legati, loco et vice ipſius domini Papæ recipientis, publicè fecimus, heredes et ſucceſſores noſtros de uxore noſtra imperpetuum obligantes, ut ſimili modo, ſummo pontifici qui pro tempore fuerit, et eccleſiæ Romanæ, ſine contradictione, debeant fidelitatem præſtare, et homagium recognoſcere. Ad indicium hujus perpetuæ obligationis et conceſſionis noſtræ, VOLUMUS et STABILIMUS, ut de propriis et ſpecialibus redditibus prædictorum regnorum noſtrorum, pro omni ſervitio, quod pro ipſis facere debemus, ſalvo per omnia denario beati Petri, eccleſia Romana mille marcas percipiat annuatim, ſcilicet in feſto Sancti Michaëlis medietatem, et in Paſcha quingentas marcas, ſeptingentas videlicet pro regno Angliæ, et trecentas pro regno Hiberniæ: ſalvis nobis, et heredibus noſtris, juſtitiis et libertatibus et regalibus noſtris. Quæ omnia, ſicut ſupradicta ſunt, rata eſſe volentes perpetua atque firma, obligamus nos et heredes noſtros non contravenire. Et ſi nos, vel aliquis ſucceſſorum noſtrorum, hoc attemptare præſumpſerit, quicunque fuerit ille, niſi ritè commonitus reſipuerit, cadat à jure regni. Et ut hæc carta oblationis ‡ et conceſſionis noſtræ ſemper firma permaneat;

*Al. *devote.* † Al. *Tuſculanen.* ‡ Al. *obligationis.*

Forma juramenti regis.

Ego Johannes Dei gratiâ rex Angliæ et dominus Hiberniæ, ab hac hora in antea fidelis ero Deo et beato Petro, et eccleſiæ Romanæ, et domino meo Innocentio Papæ tertio, ejuſque ſucceſſoribus catholicis. Non ero in facto, dicto, vel conſenſu, aut conſilio, ut vitam perdant vel membra, vel malâ captione capiantur. Eorum damnum, ſi ſcivero, impediam, et removeri ſi potero, faciam. Alioquin eis quantocitius potero intimabo, vel tali perſonæ intimabo * quam eis credo pro certo dicturam. Conſilium quod mihi crediderint, per ſe vel nuncios ſeu literas ſuas, ſecretum tenebo, et ad eorum damnum nulli pandam, me ſciente. Patrimonium beati Petri, et ſpecialiter regnum Angliæ et regnum Hiberniæ, adjutor ero ad tenendum et defendendum contra omnes homines pro poſſe meo. Sic me Deus adjuvet, et hæc ſancta Dei evangelia.

De quibus ne poſſit in poſterum aliquando dubitari, ad majorem ſecuritatem prædictæ oblationis † et conceſſionis noſtræ, præſentem cartam noſtram fieri fecimus, et aureâ bullâ noſtrâ ſignari: ac, pro cenſu hujus præſentis et primi anni, mille marcas ſterlingorum per manum prædicti legati eccleſiæ Romanæ perſolvimus. Teſtibus domino Stephano Cantuarienſi archiepiſcopo, Edwardo Elienſi, Hugone Lincolnienſi epiſcopis, Waltero Gray cancellario noſtro, Willelmo comite de Ferrariis, Willelmo comite Sariſberienſi, Ranulpho comite Ceſtrenſi, Willelmo Mareſcallo comite Pennybroch, Sayero ‡ comite Wintonienſi, Roberto de Roſs, Willelmo de Berwick ‖, Petro filio Hereberti, Matthæo filio Hereberti, Briano de Inſula dapifero noſtro. Dat. per manum Richardi de Mariſco archidiacono de Richmond, apud Sanctum Paulum Londoniis, tertio die Octobris, anno Domini milleſimo ducenteſimo decimo quarto.

CAP. XXI.

De errore Albigenſium et eorum crudelitate, et de eorum hæreſiarcha.

Hanc cartam tradidit rex in manus prædicti Nicholai legati; et ſic relaxatum eſt, poſt annos ſex et menſes tres, interdictum, poſt feſtum Sancti Johannis Baptiſtæ, priùs tamen ſufficienti cautione præſtitâ, quòd univerſa ablata eccleſiis et eccleſiaſticis perſonis et baronibus, et ceteris deſpoliatis, ſub pœna reincidentiæ reſtituerentur. Sed non valuit. Unde quidam:

Chriſti naſcentis bis ſeptem mille ducentis
Anni ſuccedunt, cùm mœſta ſilentia cedunt
Anglis Herticolis ‖, ubi celſo lumine ſolis
Juli ter reducem ſpargis per climata lucem.

Ante iſta tempora, circa annum quartum, Papa Innocentius miſit Gualonem in Franciam legatum Philippo regi, et omnibus ſuis prin-

* Al. *dicam.* † Al. *obligationis.* ‡ Al. *Gamero.* ‖ Al. *Briwer.* ‖ Vide C. Tacitum de moribus German. cap. 40.

cipibus,

cipibus, mandans ut cum exercitu magno, tanquam catholici, terram Tholoſanam et Albigenſium et Narbonenſium, aliaſque adjacentes invaderent; atque omnes hæreticos, qui eas occupaverant, delerent. Et ſi forte in bello, vel in via, contra illos* morerentur, ab ipſo Papa de omnibus peccatis ſuis, à die nativitatis ſuæ contractis, de quibus confeſſi eſſent, abſolvebantur. Ad cujus expeditionem innumeri, quaſi ſignati, non ſegniter contra Albigenſes iter arripiunt: eiſque adjungitur comes Tholoſanus priùs hæreſi depravatus, ſed tunc per legatum abſolutus. Obſidione factâ, in primis Biterris capitur; omneſque pariter ferro et igne ſeptemdecim millia hominum trucidantur. Dehinc Cartoſana obſidetur; cujus capitaneus Rogerus fortitudinem noſtrorum videns, facit pactum, ut liceat ſuis recedere, quo voluerint, ſine rebus. Illis recedentibus, diligentiſſimè cuſtoditur Rogerus: Simon autem dominus Montis-fortis toti regioni habitæ et habendæ præficitur. Albigenſes porrò, videntes receſſiſſe principes, multa mala noſtris irrogant. Quendam abbatem Ciſtertienſis ordinis, et ejus converſum, occidunt. Girardus de Papio per quendam capellanum fecit, cautione præſtitâ de aſſecurantia, ſex milites de noſtris ad ſe venire; qui, juxta perſuaſionem preſbyteri, promittentes, ſi venirent, Girardum converti. Qui, ipſâ nocte quâ veniebant, recepit eos ad menſam ſuam, quos † poſtea ſpoliat, ac ipſorum quinquaginta miniſtros, et eoſdem incarcerat unà cum prædicto capellano. Eductis verò militibus, ignem et ligna paleaſque miniſtri Girardi ponunt in carcere, blaſphemantes matrem miſericordiæ, quam in auxilium noſtri clamitabant. At verò capellanus cum ſociis triduo ſuſtinent incendium, nec tamen uruntur. Porrò duos ex militibus ceteris præeminentes, fidem catholicam abnegare nolentes, propriis pollicibus exoculant, aureſque radicitùs amputant, et nares cum labio ſuperiori obtruncant; ceteroſque diverſis mortibus extinguunt, et martyres faciunt. Hujus ſectæ hæreſiarcha Amalricus, poſtquam libellos ſuos veneneſos conſcripſiſſet, et per ſuos diſcipulos hinc inde in monopoliis et conciliabulis perlegiſſet; famaque perverſi dogmatis ad Petrum Pariſienſem epiſcopum, et fratrem Guarinum, regis Philippi conſiliarium animæ et confeſſorem, occultè perveniſſet, miſerunt eam magiſtrum Radulphum de Namureio clericum, qui hujus ſectæ viros Pariſius et circa diligenter inquireret. Hic ad ſingulos aſſutè accedebat, et de eorum fecta ſe eſſe fingebat, illique ſecreta ei ſua revelabant. Itaque plures hujus ſectæ ſacerdotes et clerici ac laici utriuſque ſexûs, detecti et capti, Pariſius ſunt adducti. Ibidem ergo concilio congregato, convicti et condemnati, atque ab ordinibus ſuis degradati, et curiæ ſeculari traditi, juſſu regis extra portam in Campellis cremati ſunt. Mulieribus autem et ſimplicibus, qui per majores corrupti ſunt ac decepti, pepercerunt. Hæreſiarcha verò Amalricus, licet jam fuiſſet, ut putabatur, in pace eccleſiæ ſepultus, quia tamen plenè conſtitit ab ipſo ſectam illam originem habuiſſe, ab univerſo concilio condemnatus eſt et excommunicatus, ac de ſacro cœmeterio ejectus, ejuſque cinis et oſſa per ſterquilinia ſunt diſperſa atque dejecta. Nota ‡ cautelam

* *Contra illos peregrinando*, MS. Cupr. † *Ipſos*, MS. Coll. Edinb. ‡ Hujuſmodi cautelam contra Lolardos exercendam multum improbat. A. &c. *MS. Cupr.*

lam

lam contra Lolardos exercendam, cujuſmodi improbat multum AUGUSTINUS, in libro *contra mendacium*, ubi * dicit: "Non mihi "perſuadetur eos de latebris ſuis noſtris eſſe mendaciis eruendos." Et poſt pauca: "Quid enim eſt aliud, Mentiamur ut hæreticos mendaces "ad veritatem adducamus, niſi, Faciamus mala ut veniant bona?" Et in fine libri: "Et ſi tantum ſibi uſurpat infirmitas, ut ei aliquid venia- "liter permittatur, quod improbat veritas, tamen ut inconcuſſè teneas "et defendas, in divina religione nunquam omnino eſſe mentiendum." Hæc ibi.

CAP. XXII.

De ſancta hypocriſi beati Dominici canonici regularis; et diſputatione ejus contra hæreticos.

INterea in eccleſia Dei magnis virtutibus effloruit divinus Dominicus Oxomenſis † ſub-prior et canonicus regularis; quem ſecum Didacus Oxomenſis † epiſcopus aſſumpſit, ut fidem Chriſti Albigenſibus prædicaret. Ubi dum inter catholicos et hæreticos ibidem frequenter diſputationum conflictus fierent, ad quas utriuſque ſexûs multitudo populi confluebat; factum eſt, ut apud Fanum Jovis celebris indiceretur diſputatio, ſub judicibus deputatis, quibus ab utraque parte ſcripto præſentari deberet ipſa aſſertio fidei quam docebat. Quapropter ſuper hoc diverſis à ‡ catholicis, diverſis † diligenter libellis, et in communi redactis, ac mutuâ collatione inter ſe diſcuſſis, libellus quem ſcripſerat beatus Dominicus adhuc Oxomenſis * canonicus communiter et commendatur præ ceteris, et decernitur præſentandus. Statuto itaque die, ac multitudine populi circumſtante, libelli utriuſque partis in medium proferuntur. Verùm, judicibus inter ſe diſcrepantibus, hæc fuit tandem communis eorum ſententia, ut utroſque libellos in flammas ∴ injicerent; et quem ab igne contingeret non comburi, ille veram fidem procul dubio teneret. Fidelis ſermo, et omni acceptatione dignus. Accenſus eſt in publicum magnus ignis, libelli projiciuntur in medium. Libellus partis hæreticæ ſtatim comburitur; libellus verò ſervi Dei Dominici non ſolùm non læditur, verumetiam ab igne foras proſilit in longinquum; ſecundóque injectus, ac tertiò, æquè prodiit incombuſtus. Ut ſic Divinâ potentiâ, quod olim in tribus pueris geſtum cognovimus, in uno eodemque libelli prorſus ab igne conſervati ſtupendo prodigio, et orthodoxæ fidei veritatem, et ſui comprobaret auctoris ſanctitatem. Eo tempore, ſciens Dei famulus ſecularium corda exemplis potiùs moveri, quàm verbis; ideoque quamplurimos, ſubdolâ hæreticorum ſuperſtitione illectos, protrahi ad errorem, excogitavit exemplis exempla retundere, et veris virtutibus ſophiſticas expugnare. Quaſdam enim nobiles dominas, incredulorum familiares, adiit, et apud eos hoſpitio receptus, per tòtam Quadrageſimam ibi manſit. Igitur ut ipſe eas oſtenſione ſanctitatis alliceret, tantâ ſeipſum cum ſocietate ſua cœpit auſteritate afficere, quantam, ſine auxilio Divinæ gratiæ, ſuſtinere nequaquam infirmitas humana potuiſſet. Etenim cùm ſibi cibi more

* Ubi expreſſe ſic dicit, *MS. Cupr.* † *Exonienſis*, MSS. ‡ *Ei* pro *a*, MS. C. Ed.
† Ita MSS. * *Exonienſis*, MSS. ut ſupra. ∴ *Flammis injicerent*, MS. C. Ed.

ſolito

ſolito præparati ab ipſis hoſpitibus præferrentur; Nos, inquit, hujuſcemodi nunc alimentis non utimur; panem nobis tantùm et aquam frigidam exhibite. Jejunavit ergo vir ſanctus, cum ſocio ſuo canonico, in pane et aqua quotidie per totam Quadrageſimam uſque ad Paſcha: ita ut mirarentur familiares hæreticorum, et dicerent; Verè iſti homines boni ſunt.

CAP. XXIII.

De eodem, et ſancta hypocriſi ejus.

STratus quoque cùm ſibi pararetur ad quieſcendum idoneus; Non, inquit, in hac mollitie, ſed ſuper tabulas quieſcemus. Stratiſque ſibi nudis tabulis accubuerunt, quotidie nudo dormientes in ligno, exemplo ejus qui ſomnum mortis ſuſcepit in crucis patibulo. Somnus autem eorum brevis erat: ſurgebant enim quàm citius, et anticipabant vigilias, orationibus inſiſtentes. Allocutus eſt etiam beatus Dominicus aliquas ex dominabus illis, ut ſibi et ſocio cilicia quærerent; addiditque, Nemo ſciat, ſervetur ſecretum. Hæc autem faciebat vir ſpiritu Dei plenus, non ut ſibi favorem humanæ laudis acquireret, ſed ut mentes infidelium ad amorem catholicæ religionis alliceret. Hinc nonnunquam pater ille ſanctus admonebat fratres ſuos, etiam poſtquam habitum fratrum ſuſcepit, ut, cùm apud ſeculares eſſent, ad proximorum ædificationem aliquam oſtenderent in ſeipſis virtutis apparentiam, in abſtinentiis viz. et vigiliis, verborum quoque ac geſtuum diſciplina: et ſic eos ſanctâ quadam hypocriſi, ad fidei reverentiam et virtutis amorem propenſiùs invitarent. Unde et Apoſtolus ſumptus recuſabat accipere, ne quod offendiculum præſtaret evangelio Chriſti: qui virtutes etiam ſuas et labores, necnon et Dei revelationes enumerat, ut plures lucrifaciat. Poſt hæc autem cœpit de inſtitutione ordinis cogitare; cujus officium eſſet per mundum prædicando diſcurrere, et contra hæreticos fidem catholicam communire. Cùm igitur manſiſſet in partibus Tholoſanis confutando hæreticos, cum Tholoſano epiſcopo, Romam ad concilium generale Lateranenſe adiit: ac à ſummo pontifice Innocentio tertio ordinem, qui Prædicatorum diceretur et eſſet, confirmari ſibi ſuiſque ſucceſſoribus poſtulavit. Qui, cùm aliquantulum difficilem ſe præberet, nocte quadam, idem pontifex vidit in ſomnis, quòd Lateranenſis eccleſia gravem ſubitò ruinam minaretur. Quod cùm tremensa ſpiceret, ex adverſo vir Dei Dominicus occurrebat, humeriſque ſuppoſitis totam illam caſuram fabricam ſuſtentabat. Evigilans autem, et viſionem intelligens, petitionem viri Dei hilariter acceptavit; hortans ut ad fratres ſuos rediens, regulam aliquam approbatam ſibi eligerent, et ſic ad ipſum rediens, confirmationem ad libitum reportaret. Regreſſus igitur, verbum ſummi pontificis fratribus patefecit: erant enim tunc fratres ſedecim eodem voto ſecum anhelantes. Qui, invocato Spiritu Sancto, regulam, quam profeſſus fuit Dominicus, beati patris Auguſtini doctoris et prædicatoris egregii, ipſi pariter et re et nomine prædicatores futuri, unanimiter elegerunt; quaſdam arctioris vitæ conſuetudines, quas ſibi per formas conſtitutionum obſervandas ſtatuerunt, inſuper aſſumentes. Verùm interea Innocentio defuncto,

et Honorio in ſummum pontificem ſublimato, confirmationem ordinis ſequenti anno concilii Lateranenſis, id eſt Domini MCCXVI. à prædicto Honorio impetravit. Incepit tamen ante per ſedecim annos.

CAP. XXIV.

De Sancto Franciſco, et ejus converſionis primordio.

EOdem quoque tempore beatus Franciſcus, ordinis fratrum minorum inſtitutor, vitæ ſanctitate floruit. Qui nimirum ſub Innocentio Papa curſum ſuum in Domino cœpit, ac ſub ejuſdem ſucceſſore Honorio feliciter conſummavit. Hic quondam in Vallis Spoletanæ finibus civitate Aſſiſio negotiator fuit officio; dives terrenis opibus, et mundi vanitatibus indecenter nutritus, ſuis nutritoribus inſolentior effectus. Itaque cordis inquieti laſciviam, jocis et luſibus, geſtu et habitu, verbis impudicis et cantibus, oſtentabat. Et quia prodigus erat, ac per inanem ſuorum diſſipationem humanus et affabilis videbatur, multorum ſibi cohærentium caudam iniquam poſt ſe trahebat. Sic uſque ad annum ætatis ſuæ fere viceſimum quintum, in via perditionis inceſſit; donec, ad exemplum peccatoris in gratiam reſpirantis, mutatio dextræ excelſi apparuit. Et primò quidem à Domino languoribus attritus, cogebatur ſolitis diſſimilia cogitare: cœpitque quicquid in deſiderio priùs habuerat ſtatim faſtidire; ſed et talium amatores ſtultiſſimos reputare. Audiens autem die quadam in Miſſa ea, quæ Chriſtus in evangelio miſſis ad prædicandum diſcipulis loquitur, "Ne ſcilicet "aurum vel argentum poſſideant; ne peram in via vel ſacculum; ne "virgam vel panem portent; ne calciamenta, vel duas tunicas, ha"beant:" et hæc eadem intelligens, gaudio repletus, ait; Hoc eſt, inquit, quod quæro, et totis præcordiis concupiſco. Duplicibus igitur ſine mora depoſitis, ex hoc jam calciamentis, virgâ ſacculoque vel perâ non utens, tunicam contemptibilem plurimùm et incultam fecit: rejectâque corrigiâ, funiculo ſe cinxit; et pœnitentiæ verba ſimpliciter in publicum proponere cœpit, cum hujuſmodi ſalutatione, Dominus det tibi pacem; in omni prædicatione ſua pacem annuncians, populum in ſermonis exordio ſalutabat. Aliquando intra ſe cogitans, quomodo ſe melius poſſet Deo placare, et illum agnoſcere, ſubitò talem vocem audivit: Franciſce! amara pro dulcibus ſume, et teipſum contemne, ſi me cupis agnoſcere. Dominus Oſtienſis, qui poſtea fuit ſummus pontifex, Dominico et Franciſco coram ſe ſimul aſtantibus, et de materia multùm ædificativa ſermocinantibus, dixit; Cur non facimus de veſtris fratribus epiſcopos et prælatos, qui documento et exemplo ceteris prævalent? Fit inter ſanctos de reſpondendo longa contentio. Vicit tandem humilitas Franciſcum ne proponeret ſe; vicit et Dominicum, ut primus reſpondendo humiliter obediret. Dixit igitur Dominicus; Domine, gradu bono, ſi cognoſcunt, ſublimati ſunt fratres mei, nec pro meo poſſe permittam ut aliud aſſequantur ſceptrum dignitatis. Poſt hæc reſpondens Franciſcus, dixit; Domine, Minores ideo dicti ſunt fratres mei, ut majores fieri non præſumant. Sacerdotalibus manibus, quibus conficiendi Dominici corporis ſacramentum eſt collata

lata potestas, magnam volebat reverentiam exhiberi. Unde et sæpe dicebat; Si jam Sancto cuiquam de cœlo venienti, et pauperculo alicui sacerdoti me contingeret obviare, ad sacerdotis manus deosculandas citiùs me conferrem, et Sancto dicerem; Expecta, Sancte Laurenti, quia manus hujus verbum vitæ contrectant, et ultra humanum quid possident.*

CAP. XXV.

De bello nostrorum contra Albigenses.

ANNO Domini MCCXIII. mense Septembris, commissum est mirabile prælium in terra Albigensium. Quinquennio namque jam elapso, cùm viri venerabiles archiepiscopi Petrus Senonensis, et Robertus Rothomagensis; episcopi verò Robertus Bajocensis, ac Reginaldus Carnotensis, et alii plures; sed et Odo Burgundiæ dux, ac Henricus comes Nivernensis, et alii multi barones, et infiniti populi de regno Francorum cruce-signati, in partes illas, ad debellandum hæresin nuptias detestantem, et carnem comedi prohibentem, aliaque fidei contraria asserentem, accincti fortitudine deveniissent; urbemque Biterrim opulentissimam cepissent, septemdecim † millibus hominum et ampliùs in ea trucidatis, ac funditùs evertissent. Inde quoque ad urbem Carcassonam accedentes, eam in brevi debellâssent; repatriare volentes, invocatâ Spiritûs Sancti gratiâ, de communi assensu Simonem Montis-fortis comitem elegerunt, ut Christianorum præesset exercitui, totique terræ illi. Qui privatum commodum utilitati publicæ postponens, urbes et castella debellavit, hæreticos et eorum fautores interire sævâ morte coëgit; et multa Dei prælia gessit, multasque victorias, non sine Dei miraculo, consecutus est. Ad ultimum verò, rex Arragonum et sui complices, comes scilicet Sancti Ægidii, comes etiam Fasi ‡, et alii infiniti hujusmodi hæresi depravati, obsederunt eum in castro quod Murellum † vocatur. Qui subitò circumseptus, cùm non haberet secum nisi ducentos et sexaginta milites, et circiter quingentos satellites equites et peregrinos, pedites verò septingentos inermes, auditâ Missâ, et invocatâ Spiritûs Sancti gratiâ, de castro intrepidè exeuntes, et in solo Deo sperantes, cum hæreticis pugnaverunt, et, inaudito fere miraculo, septemdecim millia de exercitu percusserunt, ipsumque regem Arragonum occiderunt. Porrò de omni numero suo non nisi octo peregrinos illo die amiserunt. Hunc itaque Simonem in partibus illis, propter virtutem ejus admirabilem, populus Comitem Fortem vocabat. Qui cùm esset in bellis strenuissimus, quotidie tamen Missam audiebat, et omnes horas canonicas dicebat.

* *Addit liber Cupr.* Super omnia detestabatur fratrem prætendentem se tristem vel turbulentum, faciens in quodam capitulo grandi literâ hæc verba scribi: "Caveant summopere "fratres ne se ostendant exterius nubilosos, et hypocritas tristes; sed ostendant se gaudentes in Domino, et jocundos ac convenienter gratiosos: quia non possunt offendere "dæmones Christi famulum, quem viderint sancta jocunditate perfusum. Quando verò "tristis est animus desolatus et mœrens, facile vel absorbetur tristitiâ, vel ad gaudia vana "transmittitur. Studeat proinde Christi servus lætanter servare Spiritus unctionem, oleum-"que lætitiæ quo eat prætendere." † *Septuaginta*, MS. Cupr. *decem*, Rigordus.
‡ *Fuxi*, Rig. † *Raurellum*, MSS. Cupr. et C. Ed.

Hoc

Hoc in anno obiit Reginaldus Roſſenſis epiſcopus, monachus de Melros *; cui per electionem vocatus eſt magiſter Andreas de Moravia, qui renuens omnino epiſcopari, quæſitâ licentiâ à domino Papa, tantæ dignitatis honorem humiliter reſignavit: loco cujus ſubrogatus eſt Robertus capellanus domini regis. Hoc tempore floruit magiſter Jacobus de Vitriaco, qui ſcripſit admirandam vitam Mariæ de Ognies†, quæ hoc anno obiit in epiſcopatu Leodienſi. Hic etenim Jacobus antè fuerat in villa prope Pariſius, quæ dicitur Argentiolum, preſbyter parochialis; qui ſecularem vitam relinquens, in monaſterio de Ognies factus eſt canonicus regularis. Cujus itidem parochiæ cura cùm ei commiſſa eſſet, eidem Mariæ in eadem parochia converſanti, propter vitæ ipſius ſanctitatem, valde familiaris effectus eſt: cui etiam illa ſpecialem, ut refertur, gratiam impetravit omnibus ſuis. Unde et ipſe crucem contra Albigenſes in Francia prædicans, eloquii ſuavitate atque dulcedine multos atque innumerabiles ad ſignum crucis accipiendum provocavit.

CAP. XXVI.

De Jacobo de Vitriaco, et de malo inobedientiæ.

PAPA famam tanti viri audiens, ipſum in epiſcopum Achonenſem præfecit; et inde tranſlatus auctoritate Apoſtolicâ factus eſt epiſcopus Tuſculanus, ſedis Apoſtolicæ cardinalis. Hic admirabile volumen de prædicta S. Maria, et ſanctis mulieribus, quæ tunc abundabant in partibus Leodii, compegit; ac venerabili Tholoſano epiſcopo Fulconi tranſmiſit. Aliud etiam in quo multa de naturis rerum, et præcipuè de miraculis mirabilibus quæ in tranſmarinis partibus reperiuntur, inſeruit. Hic venerabilem Fulconem de Gandavo, canonicum apud Inſulas exiſtentem, ſerioſius rogavit, ut unà ſecum contra Albigenſes crucem in Flandria prædicaret: qui hoc renuit. Cui cùm inſiſteret per amicos, ut eum audiret in negotio eccleſiæ tam neceſſario et devoto, renuit ille ſecundò, et nullo modo hoc ſe facturum aſſeruit. Tunc magiſter Jacobus illum magis præceptum timere confidens; Et ego, inquit, virtute legationis meæ præcipio vobis, et auctoritate quâ fungor, ut in nomine Jeſu Chriſti, et in remiſſionem omnium peccatorum veſtrorum, iſtud negotium aſſumatis. Cui dominus Fulco; Nullo modo, inquit, aſſumam: ſed et ego rogo vos, ut nequaquam me de hoc ulterius fatigetis. Mox magiſter Jacobus, graviter commotus in corde, et fere uſque ad lacrymas fatigatus, ait illi; Cùm utique dignè poſſem auctoritate commiſſâ vos excommunicare, et omni beneficio jam privare inobedientiam contumacem, nolo tamen, ne gravamen tantum ingerere videar tanto viro. Rogo tamen Deum, qui omnium cordium eſt inſpector, quatenus reddat vos, non ſolùm ad iſtud quod ſpernitis, ſed prorſus inutilem ad omne opus. Mira res! mox ad hæc verba, quartana febris eum cum fluxu ventris invaſit, et uſque ad finem vitæ ſuæ, per viginti quinque annos, irremediabiliter fatigavit. Et audi, lector, mirum Dei judicium de hoc viro, cùm tantus et talis eſſet, ei

* *Ipſo die S. Luciæ*, addit Chron. Mailr. † *Cagnies*, MS. C. Ed. *Oegenes*, MS. Perth.

Dominus

Dominus Jeſus Chriſtus, ſicut probatum fuit, ante mortem quaſi recenter extenſus in cruce viſibiliter appareret: et cùm ante finem menſis Auguſti, revelante ſibi eodem crucifixo, prædicaret ſe liberè eſſe moriturum; nullo modo tamen illi Dominus in hac vita parcere voluit, quin eum pro inobedientia tanti temporis ſpatio flagellaret. Anno ſequenti, ſciz. Domini MCCXIV. intravit magiſter Stephanus Langton Cantuariæ archiepiſcopus et legatus Angliam, qui pſalterium de noſtra Domina compoſuit. Et anno ſequenti per Innocentium tertium celebratum eſt Romæ concilium Lateranenſe, Kalendis Novembris, pontificatûs ſui anno decimo octavo; ubi interfuerunt epiſcopi quadringenti duodecim. Inter quos fuerunt duo patriarchæ, (Conſtantinopolitanus ſciz. et Hieroſolymitanus, Antiochenus autem et Alexandrinus legatos pro ſe miſerunt) primates et metropolitani ſeptuaginta et unus, abbates et priores ultra octingentos: et aliorum legatorum et populorum tantus fuit numerus, quòd quidam epiſcopus ſuffocatus exſpiravit. Hoc audiens Papa, juravit per Sanctum Petrum, quòd mauſoleum ejus in marmoreo lapide ſignaretur. In quo concilio multa ad extirpationem vitiorum, et deſtructionem hæreticorum, et ad expeditionem ſuccurſûs Terræ Sanctæ, necnon ad confirmationem fidelium, Spiritu Sancto inſpirante, conſtituta ſunt.

CAP. XXVII.

De David comite de Huntingdon, et morte ejus.

DEfuncto, ut præmiſimus, magnifico principe Willelmo Scotorum rege, comes David, quamvis nec alacris animo, nec corpore vegetatus, ad regem Alexandrum nepotem ſuum quanto citiùs potuit venit, atque ipſius coronationem feſtivam apud Sconam per biduum cum rege tenuit. Inde verò cum rege profectus obviàm corpori fratris ſui regis, in capite pontis de Perth ab equo deſcendens, unum feretri brachium humero ſuſcepit, et, cum ceteris comitibus qui aderant, devotè corpus uſque ad terminum, quo crux erigi juſſa eſt, deportavit: et poſtea ſepulturæ regiæ præcipuus aſtitit, ut fratrem decuit, gemibundus.

Eidem verò David rex quondam Willelmus, frater ejus, poſtquam de captivitate ex Anglia * rediit ad ſua, dedit comitatum de Huntingdona de ſe tenendum, et comitatum de Garviach, cum dominio de Strathbolgi, et villam regiam de Dundé, unà cum Inverbervy et territorio de Langforgrond, cum aliis terris et poſſeſſionibus latis et ſpatioſis. Duxerat utique † in uxorem nobiliſſimam puellam Matildem, filiam Hugonis glorioſi comitis quondam de Ceſtria, filii Ranulphi famoſiſſimi comitis ejuſdem; ex qua ſuſcepit tres filios, Robertum ‡ ſcilicet inmaturâ morte prævèntum, et Henricum, necnon Johannem, Scotum ab Anglis vocitatum, qui ſibi ſucceſſit, et etiam Ranulpho,

* *Captivitate Angliæ*, MSS. noſtri. † *Namque*, iidem. ‡ Robertum nomine, qui immaturâ, proh dolor! morte prævèntus, ſatisfaciens naturæ, apud abbatiam de Lundoris, quam pater ſuus à novo fundavit, locum ſortiens ſepulturæ, non nullos Scotiæ, nec non et Angliæ ceterarumque regionum replevit lacrimis et dolore. *Edit. Hearn.*

poſt obitum, ad comitatum Ceſtriæ. Quem poſtea patruelis * ejus Alexander rex, et plures alios nobiles, tam Angliæ quàm Scotiæ, in die Pentecoſtes, feſto ſuo regali, militaribus induit armis. Qui quidem Johannes et ipſe ſine liberis deceſſit. Genuit † etiam dictus comes David ex uxore ſua tres inclitas filias, viz. Margaretam deſponſatam Alano de Galweya filio Rotholandi, et Iſabellam nuptam Roberto de Brois, et Adam Henrico de Haſtingis matrimonizatam. De quibus infrà dicemus. Qui quidem comes David diutinâ infirmitate decubans, apud Jerdelay in Anglia obiit die Lunæ, die ſcilicet Sancti Botulphi, et in craſtino apud abbatiam de Sautreja ſepultus, A. Dom. milleſimo ducenteſimo decimo nono. Quo die et anno obiit Guido primus abbas de Londoris, cùm ipſum locum à fundamentis conſtruxiſſet, et officinas competentes maxima ex parte perfeciſſet, et fere per viginti octo annos monaſterium ſtrenuè rexiſſet; monachos viginti ſex ſuperſtites relinquens, ordine et religione plenariè informatos; omnes fratres de caritate mutua exhortans, et à tranſgreſſionibus abſolvens, et ab ipſis abſolutus et oſculatus, inter verba collocutionis caput in manu fratris ſibi aſſidentis reclinans, quaſi dormiens, hilari vultu quievit in Domino. Cui ſucceſſit Johannes ejuſdem domûs monachus.

Alexander rex Scotorum, poſt natale Domini, quod apud Forfar A. D. MCCXV. feſtivum tenuerat, cum regina matre ſua et multis nobilibus regni proceſſit ad Strivelyne; ubi feſtum Epiphaniæ regaliter continuavit. Et dehinc proceſſit in Laudoniam, et apud Edinburgum tenuit parliamentum: ubi ad modum exiſtentem in vita patris ſui, reddidit Willelmo de Boſco cancellariam, Alano de Galweya conſtabulariam, et Philippo de Valloniis camerariam. Similiter inconcuſſè ceteris regni officiariis, ſicut feoda eorum exigebant, commiſit ſua jura. Sed citò poſt, apud Hadingtonam habito quodam à paucis conſilio, quidam qui priùs pacati erant, jam impacati à curia receſſerunt. Inde veniens rex in Scotiam, reginæ matri ſuæ obviavit apud Forfar, et abhinc profecti ſunt pariter ad Abirbroth ad viſendum ſepulchrum regis Willelmi. Anno Domini MCCXIV. obiit Johannes de Leyceſter epiſcopus Dunkeldenſis apud Craumond, et ſepultus eſt in inſula Sancti Columbæ; ſicut prædeceſſor ſuus Richardus de Præbenda, qui obiit A. D. MCCX.‡

CAP. XXVIII.

De diſſenſione baronum Angliæ et regis, et conqueſtione amicorum aliunde.

HIS itaque temporibus barones et nobiles Angliæ non ferentes gravamina regis Johannis, neque aſſiſas et abuſivas conſuetudines quas inducebat quotidie, communi ſe juramento conſtrinxerunt, quòd

* *Patruus*, MSS. Col. Ed. Cupr. et Perth. † "Genuit itaque idem comes David ex "eadem uxore ſua Mathilde unum filium, nomine Johannem, qui ſibi poſtea ſucceſſit, et "tres filias, Margaretam, Iſabellam et Adam. Margaretam quoque nubendam tradidit "Alano Galwalliæ, filio Rotholandi, qui genuit ex ea filiam, nomine Darlwrgillam; et "Iſabellam, ſecundam filiam, Roberto Bruce dedit in uxorem, ex qua genuit filium, no-"mine Robertum: et terſiam verò filiam Adam Henrico de Haſſingis matrimonio copula-"vit, de quo idem Henricus ſuſcepit filium, nomine Henricum, &c. *Editio Hearnii.*

‡ MCX. MSS. Col. Ed. et Perth.

unanimiter

unanimiter apud regem inſtarent, ut antiquas libertates et liberas conſuetudines, eccleſiæ et regno Angliæ olim conceſſas ab Henrico Beauclerk filio Willelmi Baſtard, ſecundùm tenorem cartæ ipſius, ipſis concederet; alioquin ab ipſius ſe dominio ſubtraherent. Quos cùm idem rex falſâ promiſſione et repetitis induciis protraxiſſet, tandem unanimiter concitati, inducias negantes, ipſius colloquium vitabant, et armis rem agere diſponebant. Pulſati tandem precibus et promiſſis Alexander rex Scotorum, et Leulinus rex Walliæ baronibus Angliæ fœderati ſunt, quamvis rex Walliæ filiam regis Johannis duxerat in uxorem. Collectis ſtatim anno ſequenti rex Scotiæ ſuis copiis, in Angliam profectus caſtrum de Noreham obſedit. Sed in brevi, ſuorum conſilio dans inducias obſeſſis, ſuum duxit exercitum in Northumbriam, eam ſibi ſubjugans, et hominum * ſuſcipiens ſubjectionem. Ut autem audivit rex Angliæ Johannes, quòd rex Scotiæ cum baronibus Northumbriæ compoſuiſſet, aſumptis rutariis et ſatellitibus ſuis, iter verſus Scotiam arripuit, omnia devaſtans, et comburens quæcunque infra regnum Scotiæ potuit attingere. Et tranſiens per maritima expugnavit Dumbar. Et inde in Laudonia progreſſus, ultra Hadingtonam non proceſſit. Quos duos burgos, Dumbar ſcilicet et Hadingtonam, combuſſit. Rex autem Alexander, collectâ interim circumquaque totius regni potentiâ, congreſſum cum Anglis peroptans, ſuper amnem de Eſk, viâ qua tendebat rex Angliæ Johannes remeare, juxta Pentland tentoria fixit. Quo comperto, rex Angliæ per aliam viam reverſus eſt in regionem ſuam: et non tam contra Scotos, quàm contra proprios barones, fremens, terras et poſſeſſiones eorum in redeundo combuſſit, ſcilicet villam de Werk, et de Alnewick, Midford, et Morpeth, Roxburgum cum ſuburbiis ſuis. Cùm et ante hoc, in expeditione ad Scotiam, xviij. Kal. Februarii, villam cepit et caſtellum de Berwick, ubi utriuſque ſexûs homines per articulos manuum et pedum ſuſpendentes ejus miniſtri, multos cruciaverunt. Quod cùm rex Alexander, recurſum ſcilicet regis Angliæ, cerneret, qui etiam in reditu ſuo abbatiam de Coldingham deprædari fecit, et ſic Berwick ſuccendit, ipſo rege Johanne domum, in qua hoſpitatus fuit, propriâ manu, contra honorem regium, incendente, ipſum Johannem feſtinanter Northumbriam de novo rebellantem comburens, inſequitur; et per epiſcopatum Dunelmenſem omnes ad deditionem ſuam recipiens, Richemonth uſque pervenit, deſiderans congreſſum habere cum Anglis. Sed quia rex Johannes interiores Angliæ partes repetiit, rex Alexander verſus occidentales partes Weſtmeriæ iter recurvans, omnes eaſdem penè terras depopulando uſque ad Kaerleolum combuſſit. Tunc etiam temporis Scoti qui domum de Holmcultrane exſpoliaverunt, et monachum in extremis agentem, ſuper cilicio impoſitum, denudaverunt, in quodam fluvio Edan nomine ſubmerſi ſunt.

* *Hominium*, MS. C. Ed. *A. D.* MCCXV. XV. *Kal. Novemb. cepit dominus A. rex Scottorum homagium baronum de Northumbria apud Feltuniam*, Chron. Mailroſ.

CAP.

CAP. XXIX.

De Ludovici Francorum delphini adventu ad Angliam.

INterim nobiles et barones Angliæ, ſub jugo diræ ſervitutis tyranni, regis viz. Johannis, conſtituti, ſcripſerunt Francorum Chriſtianiſſimo regi Philippo, ut filium ſuum Ludovicum eis tranſmitteret, quem in regem ſuum unanimiter conſentirent aſſumere, ſpreto occupante. Qui, votis eorum annuens, præſertim pro libertate eccleſiæ et baronum reſtituenda, acceptis obſidibus, ab Angliæ baronibus, Ludovicus armis inſtructus, inæſtimabili militiâ comitatus, navigio, victualibus et machinis advectus, et de regis Alexandri Scotiæ confœderati perſonali aſſiſtentiâ confortatus, miſit manus ſuas ad fortia, et applicuit in Anglia, primò in quadam inſula quæ vocatur Thened, rege autem Angliæ cum exercitu ſuo morante apud Sandwich, portum ſcilicet inſulæ proximum: cui cùm non auderet congredi, ad tutiora loca ſe contulit. Ludovicus autem Londonias veniens, inenarrabili gaudio baronum et ſuorum ſequacium, die Pentecoſtes A. Dom. milleſimo ducenteſimo decimo ſexto ſuſceptus eſt. Nam eo temporis curriculo barones, ejus adventum expectantes, Londoniis morabantur. Alexander autem rex Scotorum, ſuo collecto exercitu, circa Nonas Auguſti Angliam penetrans, eccleſiis eccleſiarumque poſſeſſionibus, et terris ubique baronum Angliæ parcendo, ſed et terras regis atque ſatellitum ejus vaſtando, ad Ludovicum venit apud Dover; qui ab eo honorificè ſuſceptus eſt: et per quindenam ibidem moram faciens, poſt tractatus diverſos et negotia cum eo ſecretò confecta, tandem ad propria ſe præparat tranſmeare. Cui, poſt eorum colloquium, et negotiorum tractatum, in Scotiam revertenti rex Angliæ Johannes ſuum præcludebat iter, pontibus et batellis fluvii Tharenti fractis et ſubverſis, vadis etiam foſſatis vias ubique per quas terrâ marique tranſire poterat obſidens. Sed et Deo diſponente, malitiam et inſidias cum vita finiens *, die Sancti Lucæ evangeliſtæ obiit apud Newerk, villam juxta fluvium Tharent ſitam. Cujus exercitûs diſperſi caſtra rex Scotiæ diripuit, ac cum magnis gazis et ingenti gloria Scotiam proſperè rediit ſine damno.†

Intoxicatus enim fuit rex per quendam ſimplicem monachum, zelum habentem ſed non ſecundùm ſcientiam, qui audiens, quòd de facto ipſe rex (timore Dei poſtpoſito ‡) monaſterium ſuum propoſuit deſtruere, monachos expellere, et in ſecularem uſum prophanare; utpote ibidem aulam ſuam venaticam (ob loci placabilem ſituationem) conſtituere: cùm idem rex ibidem ‡ (ad id intentus) pernoctaret, obtulit ei in xenium infatuatus proditor poſt cœnam monachus platellam argenteam intoxicatam, plenam pulchris prunis veneno forti delibutis; monachus etenim de mandato regis de ipſis prunis hilariter prælibens, conſequenter rex de eiſdem avidè comedens, uterque feſtinæ morti ſuccubuit. De ipſo tamen rege paulo ante præmortuo ſic idem monachus metrificavit:

* Al. *finiendo.* † *Addit lib. Cupr.* Non enim, ut quidam ait, poteſt bene mori qui male vixit uſque finem. Rex igitur Johannes, nondum ſatisfaciens eccleſiæ Dei, quam, ut præmiſimus, nimium læſerat; intoxicatus fuit per quendam, &c. ‡ Verba hac et ſequenti parentheſi incluſa deſiderantur in cod. Col. Ed.

Quis

Quis dolet, aut doleat regis de morte Johannis,
Qui bona pauca fecit, mala plurima, plurimis annis?

Huic Johanni ſucceſſit filius ejus Henricus hoc nomine quartus, ſed in catalogo regum Angliæ tertius, pro eo quòd Henricus, filius Henrici filii imperatricis, contra patrem ſuum inſurrexit, qui propterea de catalogo deletus eſt. Hic Henricus filius Johannis puer ſeptennis, ſed ut alii tradunt novennis, apud Winceſtriam, ubi pater humatur, coronatus eſt à Gualone legato, qui eodem anno, ætate videlicet præcedenti, cardinalis miſſus eſt in Angliam per Papam Innocentium tertium, pro ſuccurſu Johannis regis Angliæ; cui pro ſolutione annui tributi, et ſubjectione Angliæ amiciſſimus erat. Qui, adunato exercitu qui Johannem regem patrem ſequebatur, cum manu valida coronationem acceleravit; reclamantibus abbate Weſtmonaſterii, et Priore Cantuariæ, archiepiſcopo à concilio Lateranenſi nondum adhuc reverſo, pro libertatibus ſuis pro coronatione regis. Hoc anno mortuus eſt Papa Innocentius tertius, qui ſedit annis XVIII. menſibus quatuor diebus viginti tribus. Hic quàm fuerit glorioſus, opera ejus teſtantur. Fecit enim, inter cetera, hoſpitale Sancti Spiritûs; compoſuit decretales, ſermones, et librum de miſeria humanæ conditionis. Item dedit univerſis eccleſiis in Roma unam libram argenti, pro ſingulis calicibus earum non habentium calices argenteos, tali pacto quòd vendere eos non poſſent. Hic coronavit Othonem, et depoſuit, quia non ſervavit fidelitatem. Hic celebravit concilium Lateranenſe pro ſubſidio Terræ Sanctæ, et ſtatu fidei, ac univerſalis eccleſiæ: in quo fuerunt prælati mille ducenti quindecim.

CAP. XXX.

De reditu Ludovici ad Angliam.

MOrtuo Johanne rege Anglorum, Ludovicus omnes obſides liberavit, et Angliam honorificè remiſit. Et confidens de Anglis, quos, tempore regis eos lethaliter perſequentis, ab imminente morte liberaverat, et quorum juratoriam cautionem habebat, cum paucis iterum in Angliam tranſfretavit, et multos ex Anglicis converſos comperit vel perverſos; qui et Thomam comitem Perticenſem occiderunt, portus munierunt, et Ludovicum intra Londonias quaſi recluſerunt. Itaque anno ſequenti, menſe Septembri, videns Ludovicus dolos Angliæ baronum, et impedimenta portuum, ac perſecutionem totius regni præter Londonias contra ſeipſum; ſed et intentionem Gualonis legati, ad cujus arbitrium inclinavit regnum, qui totis viribus procurabat ipſius impedimentum atque ſuorum; timenſque quòd ſi Londonias exiret claderentur revertenti, diffinierat quidem cum Anglis ad pugnam congredi. Sed Anglis pugnam devitantibus, factâ compoſitione, rediit in Franciam. Qui utique mirabilem victoriam ut ſperatur habuiſſet, ſi debitam fidelitatem inveniſſet. Interim dum hæc agerentur, Philippus rex Franciæ audiens filium ſuum Anglis inimicis circumſeptum, pro ipſius celebri ſuccurſu præparavit claſſem. Unde factum eſt bellum navale, utroque populo in medio mari confligente: ubi Angli victores exſtiterunt, et archipiratam Francorum Euſtachium Monachum nomine, cum

aliis innumeris occiderunt, Ludovico proſperè tunc ad propria reverſo, et de claſſe non inſtructo. Alexander rex Scotiæ ſumpſit Carleolum, et obſedit caſtrum ejuſdem. Tandem poſt longam obſidionem, dans dextram obſeſſis de vita et membris, idem caſtrum ſibi traditum recepit et munivit. Interea adhuc Ludovico Londonias commorante, caſtrum Lincolniæ civitatis obſidetur à baronibus, et robore exercitûs Ludovici: ſed ſuperveniente Gualone legato cum exercitu novi regis Henrici, amota eſt obſidio; et, ſub unius horæ momento, capti ſunt omnes barones et nobiles Angliæ qui ſequebantur Ludovicum. Interfecto, ut præmittitur, comite Perticenſi Franciæ, ducuntur potentes Angliæ captivi munitionibus incluſi. Cernens itaque Ludovicus verſam eſſe aleam fati, et duros ſibi imminere eventus, diffinierat tanquam princeps magnanimus, auxilio regis Scotorum fretus, cum ipſis Anglis, ut præmiſimus, congreſſionem habere: ſed per intercedentes prælatos, et proceres pacificos, qui multum timebant inopinatum regis Scotorum manu validâ adventum, ſicut condictum erat inter ipſum regem et Ludovicum, ſaniori uſus conſilio, pacem iniit cum rege Angliæ Henrico, acceptâ priùs ab eo ſecuritate, quòd omnes qui inſurrexerant contra ipſum, aut patrem ſuum Johannem, reſtituerentur ad ſtatum quo fuerant tempore moti belli. Quo facto, Ludovicus ſalvo conducto transfretavit, circa feſtum Sancti Michaëlis. Datâ redemptione ſuâ, captivi nobiles Angliæ liberantur; et facto homagio regi Henrico, omnibus ſua prædia reſtituuntur, anno Domini milleſimo ducenteſimo decimo ſeptimo.

Poſt mortem regis Johannis, ut præmiſimus, filius ejus Henricus tertius apud Wincheſtriam, ſed alibi legi apud Gloverniam, coronatus eſt; quia tunc temporis Londoniæ et Weſtmonaſterium, (locus ex conſuetudine conſecrationi regiæ deputatus) intercepta erant per Ludovicum Franciæ et Alexandrum ſecundum regem Scotiæ. Sed anno quarto ſequenti, regno pacato, apud Weſtmonaſterium recoronatur.

CAP. XXXI.

Regnum Scotiæ interdititur; rex et prælati excommunicati denunciantur.

HOC in anno rex Scotiæ obſedit caſtrum de Midford, in itinerando verſus Ludovicum. Sed, audito ejus receſſu de Anglia, poſt hebdomadariam obſidionem ad propria reverſus eſt. Malcolmus comes de Fyfe fundavit abbatiam de Culenros iſto anno; et poſtea monaſterium monialium de North-Berwick ordinis Ciſtertii. Eodem anno obiit Walterus abbas Sanctæ Crucis, quondam Prior de Æmonia inſula Sancti Columbæ, pridie Idus Januarii: cui ſucceſſit Willelmus eleemoſinarius ejuſdem domûs. Ipſo itidem anno orta eſt in eccleſia Scoticana magna tribulatio: nam rex Scotiæ Alexander, omnes comites, barones, magnates et milites, epiſcopi et prælati, immò et totum regnum excommunicati, et interdicto denunciantur. Audiens namque Guido legatus moleſtias, gravamina, et intolerabilia mala quæ per regem

gem Scotiæ in Anglia facta ſunt, (nam et ipſe totaliter Anglicatus *) ipſum regem cum exercitu † et totum regnum Scotorum interdixit. Ad cujus inſuper inſtantiam, miſſo reſcripto ab Honorio Papa ad Priores Dunelmi Gyſburne, et Tynmouth, per ipſos,‡ denunciati ſunt excommunicati rex Scotiæ, et quotquot cum eo erant, qui communicaverunt regi Angliæ Johanni tempore interdicti regni ejus: tum ejus prælati Scotiæ, pro eo quòd communicaverant regi Scotiæ et exercitui ejus, qui inciderant in ſententiam latam in concilio Lateranenſi; in quo excommunicati fuerunt omnes impugnantes Johannem regem Angliæ tunc reconciliatum, et eccleſiæ Romanæ feodatarium: tum etiam ob favorem quem præbuit rex Scotiæ Ludovico regis Francorum primogenito: tum inſuper quòd rex Scotiæ ſubvertit caſtrum de Twedmouth ex oppoſito Berwici, quamvis contra jusjurandum dicti regis Johannis reædificatum: tum ultra præcipuè quòd, ad rogatum et præceptum Gualonis legati, Carleolum regi Henrico reddere non conceſſit. Deinde regi Scotiæ Gualo legatus per internuncios abſolutionem promittens, de pace perpetua, et redditione Carleoli, atque damnorum reparatione tractare cœpit, et obtinuit. Et quamvis magiſter Walterus de Wiſebech, ex auctoritate domini Papæ interdictum relaxaturus, in Scotiam veniret; nihilominus Gualo, ſuis cautè verſutiis ipſam abſolutionem fecit prorogari, donec ſecura pax inter reges firmaretur, vel, ſecundùm quoſdam, donec ſuæ ſitim crumenæ pecuniariis bibulis et aureis poculis interim mitigaret. Abſolutus eſt tandem dominus rex, et omnes laici qui ipſum ſequebantur, apud Twedmouth ‡ ab archiepiſcopo Eboracenſi, et epiſcopo Dunelmenſi. Et inde, ſub ſalvo conductu regis et baronum Angliæ, perrexit Northamptonam; factoque homagio debito regi Angliæ pro * honoribus, et terris ſuis ibidem ſituatis, redditoque Carleolo quod ceperat, et pace confirmatâ, cum gratia regis et legati reverſus eſt ad propria; tamen impetrare non potuit, ut prælati et clerici terræ ſuæ ſub pacis ipſius conditione poſſent includi. Sed ad conſilium quorundam, neſcio quo ſpiritu ductorum, promulgatum eſt generale interdictum in tota Scotia circa feſtum Sancti Nicholai; et eccleſia ceſſavit à laudibus divinis, exceptis monachis albis, qui, ſecundùm privilegia, celebrârunt. Ceteri habebant ſe omnes clerici, tam religioſi quàm ſeculares, tanquam ſuſpenſos et excommunicatos, præter Willelmum Malevicinum epiſcopum S. Andreæ, qui paulo ante rediens de Galliis, ubi moram fecerat hoſtili tempore, abſolutionis beneficium à prædicto Gualone legato vix obtinuerat; præſtito tamen priùs corporali ſacramento, quòd non dederat ∴ adverſariis regis Angliæ Johannis conſilium, auxilium, vel favorem.

* Verba parentheſi incluſa deſiderantur in cod. Col. Ed. † *Singillatim excommunicatos denuncians*, addit MSS. Cupr. et Perth. ‡ *Ex abundantia malitiæ ſuæ denuo excommunicati*, iidem libri. ‡ Al. *apud Berwick.* * Pro terris ſuis et honoribus in Anglia ex antiquis regi Anglorum debito, *Edit. Hearn.* ∴ *Præſtiterat*, ibid.

CAP.

CAP. XXXII.

De abſolutione cleri.

CIRCA purificationem beatæ Mariæ, venerunt in Scotiam Prior Dunelmi, et archidiaconus † Eboracenſis, miſſi à legato Angliæ, et abſolverunt clericos Scotiæ ſub hac forma. Fecerunt ad aliquem burgum vel civitatem totius viciniæ clericos, tam religioſos quàm ſeculares, convenire; et receptâ ab eis cautione juratoria, quòd ſtarent mandatis legati, et quòd facerent veram et puram confeſſionem de his quæ quærerent, ipſos nudipedes abſolverunt * ante foras abbatiarum, vel eccleſiarum ad quas convenerant: et tali modo perambulaverunt Scotiam à Bervico uſque ad Abirdene †, de loco ad locum prout eis placuit divertentes; procurationes ſumptuoſas cum infinita pecunia, et donariis plurimis, per conſilium quorundam eis placere cupientium, ubique percipientes. Epiſcopos autem regni, et clericos domeſticos regis, et pingue-beneficiatos, qui vel bello interfuerant, vel bellantibus aliquomodo miniſtraverant, retinuerunt abſolvendos. Abbates autem et quoſdam alios prælatos quos abſolverant ab officio tenuerunt ſuſpenſos, donec ipſius legati gratiam pleniùs mererentur. Propter quod, circa ſequens feſtum Paſchæ, omnes fere Scotiæ prælati occurrerunt Angliæ legato apud Alverton, quorum quoſdam miſit Romam abſolvendos, quoſdam copioſâ pacatus pecuniâ ibidem abſolvit: nonnullos etiam beneficiis ſuis vel omnino privavit, vel tamdiu ſuſpendit donec ſuæ cupiditatis exactioni placenter foret ſatisfactum. Contigit autem hoc juſto Dei judicio, ut quia privilegia ſua paulo ante à Romana curia indulta evolvere neglexerant, et in tali perturbatione prætimida ſanum conſilium ſequi noluerant, ſed et inanibus rumoribus ſolemnis legati Gualonis nimium terrerentur, utpote conſimilem caſum non experti. Et ſic Æſopus, in fabulis, cuidam civitati recitat contigiſſe, quòd quidam magnus mons ſupereminens civitati, ſicut dolor in utero habentis, parturiebat, et gemitus magnos dabat. Tota civitas, ut audivit, timuit; cunctiſque perturbatis, nullus ſui memor erat. Mons ille tandem peperit murem. Hujuſmodi fama volat, et, quod maximum malum putabant, in nihilum omnibus venit quos timor invaſerat. Propter quod poëta:

Parturiens collis; exivit ridiculus mus.

Sic clerici noſtri, timentes tunicæ ſuæ magis quàm conſcientiæ, de non ſuo judice ſuum judicem fecerunt: tyrannidem ipſius experti didicerunt, pro ſuis privilegiis et regni libertatibus tuendis, de cetero velle contendere.

In præſenti relatu apparet noſtros tunc prælatos et præſules defeciſſe, vel ignaros nimium fuiſſe, qui vel nec privilegia ſua intelligentes, aut ab hujuſmodi gravaminibus Romanam curiam provocantes, jacturam paſſi ſunt ultra modum; ubi forte pro expenſis mille marcarum, expoſita eſt ſumma, etiam cum dedecore, decem ‡ millium librarum. Propter

† *Archiepiſcopus*, MS. Col. Ed. * Abſolverunt eos quoque nudos et diſcalceatos, *Ed. Hearn.* † *Abirbroth*, ibid. ‡ *Triginta millium librarum*, MS. Cupr.

quod

quod tunc forte quidam religioſus, attendens debilitatem noſtrorum prælatorum et clericorum, regnum iſtud in libertate conſervare debentium, ſic ſuum threnum exorſus eſt, dicens;

Papa, ſi attenderet hujus regni ſtatum,
Semper ad obſequia ſua inclinatum,
Nunquam tam ancipitem, ut Gualonem datum,
Nos omnes ſubjicere permitteret legatum.
Non fuit eccleſiâ quondam Scoticanâ
Aliqua liberior iſta in Romana:
Jam ſerva ſubjicitur. Cauſa patet plana
Gualonis; quem ſuggerit ad hæc gens prophana.
Duo à ſe clerici, nos præſtigiantes,
Mittuntur, qui nuncium durum ſunt portantes.
Quicquid illi præferunt, quaſi prophanantes
Creduntur; et ſimplices fallunt circumſtantes.
Sunt prædicti clerici nuncii caudati,*
De terra perfidiæ falſa procreati:
Quos illi decipiunt duo ſophiſticati;
Noſtri ſunt terrigenæ Latino nudati.
Noſtri dolor capitis in membra redundat;
Quem ſentimus ſinguli dolor hic inundat:
Gualonis, heu! nimiùm pietas abundat;
Ut Scotos in poſterum nos omnes confundat.
Ultra modum Gualonem Scoti formidamus;
Totum, quod expoſtulat, illi miniſtramus:
Et quod volet petere, niſi tribuamus,
Dicit, Vos ſuſpendimus, excommunicamus.
Sed ſi noſtri præſules ſimul vellent ſtare;
Et ejus ſententiam nihil formidare,
Nos ipſum poterimus excommunicare
Ratione ſimili, juris modo pare.
Eſt nobis ſuperior, ut nos tueatur,
Papa; non ſuppeditet, neque proſequatur:
Quod ſuum eſt cuique reddere putatur,
Sed ab eo ſæpiùs miſſus debacchatur.

CAP. XXXIII.

De his et aliis incidentibus.

IN reditu verò iſtorum duorum ſubdelegatorum ſubtilium ab Abirdene, apud Londoris ipſis hoſpitatis, per incuriam thalamus in quo dormiebant igne ſuccenditur. Unde de ipſo fumo Prior Dunelmenſis apud Coldingham exſpiravit. Collega ſuus Walterus de Wiſebech archidiaconus Eboracenſis, aliàs ut reperi de Eſt-riding, clericus ſubdolus et ſubtilis neſcio quo inſtinctu, omnes monachos albos infra regnum Scotiæ auctoritate ſuâ, quæ modica fuit, excommunicavit, et à celebratione ſuſpendit divinorum. Poſtea in die Palmarum, et in craſtino, apud Berwick celebravit concilium, in quo omnes albos monachos, et eiſdem communicantes, excommunicatos publicè denunciavit.

*Vide fabulas de caudis Anglorum, ſuprà lib. III. cap. xxxiij.

Anno Domini millesimo ducentesimo decimo octavo, rex Alexander, missis nunciis ad Romanam curiam, renovavit privilegia prædecessoribus suis olim indulta; quia repertum est legatum fines mandati excessisse circa Scotos. Sed quia non fuit provocatum ad curiam, respicere non convenit ad emendam. Gualo namque legatus, in toto Anglicatus, recessit de Anglia; et Pandulphus clericus domini Papæ, legatus per Angliam, electus est in episcopum Winceſtriæ. Ipso etiam anno, profecti sunt fere tam Walliæ, Scotiæ, quàm Angliæ omnes abbates albi ad concilium generale Cistertii, de arduis negotiis sui ordinis tractaturi. Et quia tunc missus fuit Pandulphus electus Norwicensis à domino Papa Honorio legatus Angliæ, revocatus est Gualo à legatione; qui fortissimos habebat accusatores Romæ, sciz. abbates ordinis Cistertii, pro eo sciz. quòd ordinem superfluis probationibus, indebitis accusationibus, et insolitis vexaverat gravaminibus; contra privilegia ipsis ab Apostolica sede indulta. Tam prudenter autem et strenuè iidem abbates in defensione suæ libertatis se habuerunt, quòd in ipsa curia obtinuerunt, et melioribus quàm solebant authenticati sunt privilegiis: et insuper quidam ipsorum abbatum in cardinales eo tunc promoti fuerunt. Profecti sunt etiam Romam de Scotia, quærendæ absolutionis gratiâ, episcopi, scilicet Walterus Glasguensis, Bricius Moravienſis, et Adam Cathanensis: qui benignè à Papa susceptì, et de facili absoluti, à quodam cardinale lepidè sunt irrisi, dicente eis, in præsentia Papæ; "Quòd piarum mentium est crimen agnoscere, ubi nec quidem culpa "reperitur." Et anno sequenti prosperè ad propria sunt reversi. Obiit Otho olim imperator, cui, non dico succeſſit, sed accessit Fredericus, dictus infans Puliæ. Obiit et Henricus abbas de Kalco; cui succeſſit Richardus Prior ejusdem domûs. Obiit et David comes de Huntingdona, de Garviach, et Levinax, dominus de Dundee et Inverbervi, de Londoris, Forgrond et Inchemartin, de quo suprà. Hoc etiam anno Ludovicus, filius regis Francorum, contra Albigenses resumit crucis signum. Quo in tempore, treugâ Christianorum et Paganorum exspirante, in primo passagio generali post concilium Lateranense, congregatus est exercitus Domini in Achon copiosus, cum tribus regibus, Jerusalem scilicet, Hungariæ, et Cypri. Affuit et dux Austriæ, et dux Bavariæ, magnaque militia regni Theutonici; archiepiscopus quoque Nichossienses, et alii plures episcopi peregrini.

Itaque patriarcha Hierosolymitanus, cum magna humilitate cleri et populi, tollens reverenter vivificæ crucis lignum, (imminente siquidem conflictu Sarracenorum cum Christianis tempore Salahadini, crux fracta fuit; cujus pars ad prælium delata ibi est amissa, alia pars reservata, cum patriarcha præmisso custodita) primâ dominicâ adventûs Domini, cùm legeretur evangelium, *Ite in castellum quod contra vos est*, multum exinde exhilarati processerunt, et absque sanguinis effusione, Damietam civitatem inexpugnabilem virtute crucis cepetunt, innumerabilibus gazis et divitiis refertam: et, non minore miraculo, civitatem munitissimam Thanet, de qua dicit DAVID, "Coram patribus eorum fecit "mirabilia magna in campo Thaneos." Ad hanc expeditionem, post crucis prædicationem, excitati undique milites et communes, maximè ex provinciis Colonienſi, Bremenſi, Treverenſi, per signa quæ apparuerunt in cœlo. Nam in provincia Colonienſi, mense Maio feriâ sextâ ante Pente-

Pentecoſten, triplex forma crucis apparuit in aëre; una candida verſus Aquilonem, alia ejuſdem coloris verſus Meridiem; tertia viridis, habens crucis patibulum et figuram hominis ſuſpenſam, elevatis brachiis et extenſis, cum infixione clavorum in manibus et pedibus, capite inclinato: hæc media fuit inter alias duas. Similes apparitiones viſæ ſunt in prædictis aliis provinciis. Hæc famoſiſſima civitas Damieta, poſtquam fere per triennium à Chriſtianis obſideretur, capitur: de qua habentur hujuſmodi metra;

Anno ſub nono decimo, cum mille ducentis,
Capta fuit celebris Nonis Damieta Decembris.

CAP. XXXIV.

De captione Jeruſalem per Corradinum Turquiæ ſoldanum; et de deſponſatione regis noſtri.

ANNO Gratiæ MCCXIX. regina civitatum Jeruſalem, quæ videbatur inexpugnabiliter munita, deſtructa eſt à Corradino filio Saphaldini foris et intus: muri enim cum turribus redacti ſunt in acervos lapidum, præter templum Domini et turrim David. De ſepulchro glorioſo deſtruendo conſilium habuerunt Sarraceni, et per literas inſinuaverunt civibus Damietæ captionem Jeruſalem ad eorum conſolationem, petentes conſilium de ſepulchro deſtruendo; quia huic temeritati nemo manus apponere de facili præſumpſit.

Hoc anno obiit Willelmus de Valoniis, et apud Melros in capitulo eſt ſepultus: et ſimiliter Gervaſius de Avenal. Obiit etiam Radulphus abbas de Melros; cui ſucceſſit Adam abbas de Neubotil.

Anno ſequenti, i. e. A. D. MCCXX. Alexander rex Scotorum, circa feſtum Sanctæ Trinitatis, apud Eboracum ſub ſalvo conductu occurrit regi Henrico; et habito inter ſe diligenti tractatu, rex Scotorum de ducenda primogenita ſorore regis Angliæ; et rex Angliæ de maritandis condigne ſororibus regis Scotorum, quas olim, ut prædictum eſt, maritandas ſuſceperat pater ejus: præſtito utrinque corporali juramento, coram Panduſpho, quondam legato Angliæ, et aliis pluribus utriuſque regni proceribus, ſe obligaverunt. Et ſic pace firmatâ, reverſus eſt rex Scotorum ad ſua. Qui etiam rex Scotorum anno ſequenti, cum magno apparatu, et multitudine copioſa nobilium, etiam ſub ſalvo conductu, poſt Pentecoſten perrexit Eboracum, ſicut anno præcedenti inter reges conditum fuerat: ubi deſponſavit prædictam ſororem regis Angliæ, puellam adhuc ætatis tenerrimæ, feriâ ſextâ ante nativitatem Sancti Johannis Baptiſtæ, cum magna utriuſque partis lætitia; et continuò rex Scotiæ ad propria proſperè rediit cum ſua ſponſa. Hæc cùm adulta fuiſſet, ad decentem et ſpecioſiſſimam pervenit formoſitatem.

Eodem anno rex, coacto exercitu de Laudonia et Gallwallia, et aliis provinciis circumadjacentibus, navigavit in Erthgael *: ſed, ortâ tempeſtate, redire compulſus eſt, quamvis cum periculo, et ſalvus applicuit apud Glaſgow. Sed et anno ſequenti, poſt Pentecoſten, exercitum in Erthgael reduxit; quia multis de cauſis offenſus erat indigenis. Ti-

* *Argael*, MS. Col. Edin.

mentes

mentes autem Erthgalenſes, quidam datis obſidibus et multâ pecuniâ, in pace ſunt recepti. Alii quidam, qui ampliùs regis animum offenderant, relictis prædiis et poſſeſſionibus, fugerunt. Dominus autem rex tam terras ipſorum quàm bona † contulit his qui eum fuerant ſecuti pro ſua voluntate; ſicque pacificè cum ſuis reverſus eſt.

Eodem anno Humbertus de Burgo, juſticiarius Angliæ, deſponſavit Margaretam ſororem regis Alexandri apud Londonias, dominicâ proximâ poſt feſtum Sancti Michaëlis, præſente rege Angliæ Henricò, et eam tradente coram optimatibus Angliæ. Hoc anno obiit Radulphus abbas de Kinlos; cui ſucceſſit Robertus abbas de Deer. Qui Radulphus quanti meriti penes Deum fuerit æſtimatus, quod ſequetur indicat.

CAP. XXXV.

De domino Radulpho abbate de Kinlos.

COntigit anno Domini MCCXIV. ut dominus Radulphus abbas de Kinlos, ſecundùm ſtatuta ordinis Ciſtertii, in ordine vicis ſuæ, cùm quibuſdam coabbatibus ejuſdem ordinis, generale capitulum Ciſtertienſe adire teneretur; quibus cùm transfretaſſet, quadam die unus converſorum coquus, qui abbatibus miniſtrare ſolebat, labori eorum et laſſitudini compatiens, zelum habens, ſed non ſecundùm ſcientiam, ad eorum refectionem piſces, quales reperire potuit, emit; et, ad opus garcionum, carnes abundanter comparuit. De quarum carnium pinguedine, per fervorem ignis in olla ſupernatante, non modicam quantitatem, ceteris ignorantibus, idem converſus clam collegit, et in pulmentum abbatum ſecretè projecit; ita, ſcilicet, ut ſi quiſquam illorum de pinguedine pulmenti quicquam interrogâſſet, ipſe ſe butyrum in pulmentum miſiſſe reſponderet. Cùm igitur abbates quæ eis apponebantur, more ſolito, comediſſent, nihil interrogantes propter conſcientiam, immò ſuper hujuſmodi nullam ſuſpicionem habentes; ſecundùm conſuetudinem, poſt refectionem quieti membra dederunt. Ceteris igitur omnibus poſt laborem alto ſapore ſtatim depreſſis, prædictus abbas de Kinlos, neſcio quid pſalmorum vel conſuetarum orationum rumitians, per feneſtram à terra longiùs erectam quendam nigerrimum et aſpectu horribilem Æthiopem, feneſtrâ tamen integrâ, ingredientem contuetur. Ad cujus aſpectum cruce ſe muniens, eventum rei tacitè præſtolabatur. At ille hoſpes funeſtus ſingillatim dormientium lectos perluſtrans; quaſi quid odore ſapidum et ſibi ſatis placidum ſentiens, cùm aliquantulam moram antè ſingulos feciſſet, cachinnans et lætus receſſit. Sed cùm ante lectum memorati converſi veniſſet, illi præ ceteris applaudere, et quaſi oſcula geminata offerre, et eum ulnis amplecti, et quaſi de beneficio ſibi impenſo inclinare ac gratias agere morioſius non ceſſavit. Ante prædictum verò abbatem Æthiops tranſiens, et ipſum torvo oculo intuens, propiùs non auſus accedere, per feneſtram clauſam ab oculis intuentis, ſicut fumus, elabitur. Abbas autem, quidnam hæc viſio ſignificaret, et cur præ ceteris ante lectum converſi, ille nequam hoſpes majori gaudio exultaret, dubitare cœpit ne idem converſus

† *Bona mobilia*, lib. Cupr.

quicquam

quicquam admiſiſſet, quod vel Spiritum Sanctum offendiſſet, vel nequam ſpiritum lætificâſſet. Meridianâ igitur finitâ, converſum abbas accerſivit, et clàm eum conveniens, quid, ceteris dormientibus, viderit ei pleniùs intimavit: Certus ſum, inquiens; quòd niſi plus ceteris in aliquo offendiſſes, nequaquam malignus ſpiritus, qui ſemper de bono opere noſtro contriſtatur, et de noſtris exceſſibus gratulatur, tibi præ ceteris applàuſiſſet. Converſus ſibi conſcius, mox pedibus patris proſtratus, geſtæ rei ſeriem ei pandit per ordinem. Et confeſſione factâ, et pœnitentiâ ſuſceptâ, deinceps nihil tale præſumpſit, nec de hujuſmodi præſumptione, contra ſtatuta ordinis, ſe aliquatenus intromiſit. Quàm exultabundus ergo erit ille peſtifer ſpiritus fratribus illis qui, contra ordinis ſtatuta, carnes manducare præſumunt!

CAP. XXXVI.

De legatione Georgianorum Chriſtianorum, et de arcâ Noë.

INterea civitas Damieta obſidione longâ, ut præfatur, ferro, fame, et peſtilentiâ graviter, et ultra quam ſcribi poteſt, afflicta, et noviſſimè à noſtris ſolâ Dei manu capta, fama per totum orbem diſcurrens, aures Georgianorum pulſavit: qui literas ad caſtra catholicorum tranſmiſerunt; in quibus perſuaſum eſt, quòd indignata gens illa Georgianica, vel excitata rubore, rege eorum convocante principes, decrevit et juravit ſe obſeſſurum famoſam aliquam civitatem Sarracenorum; allegans ſibi verecundum eſſe, quòd Franci, de tranſmarinis partibus, et ultimis terræ finibus, venientes per mare ſpatioſum periculis plenum, tam munitam civitatem obſidione longâ cepiſſent, niſi et ipſi, quibus erat facilius perfidos impugnare, Damaſcum vel alium locum nominatum virtute armatâ caperent. Sunt igitur Georgiani cultores Chriſti, ritus habentes Græcorum, Perſis vicini, longo terrarum tractu à Terra Promiſſionis diſtantes: quorum dominium extenditur uſque ad Aſpios montes. Sed hoc tempore, ſciz. anno Domini milleſimo ducenteſimo viceſimo, Tartari Georgiam intraverunt, et eam vaſtaverunt. Quo in anno Corradinus princeps Damaſci deſtruxit Saphath, quod fuit caſtrum firmiſſimum, quod Saladinus, flagellum Chriſtianorum, per longam obſidionem in tantum arctavit, ut defenſores fame deficientes, requiſitâ licentiâ magiſtri militiæ templi, redderent illud tyranno: quod et factum eſt, et, de conſilio noſtrorum et magiſtri militiæ templi, cum Damiata commutatum. Quod cùm multis laboribus captum, per annum, vel paulo ampliùs, à noſtris eſt poſſeſſum. Poſt deſtructionem Georgianorum, intraverunt Tartari majorem Armeniam, et eandem vaſtantes ſibi ſubjecerunt. In Armenia eſt civitas nobilis, quæ Any vocatur, ubi ſunt mille eccleſiæ, ac centum millia familiæ domus inhabitantes, quam Tartari ceperunt in duodecim diebus. Eſt etiam ibi prope Any mons Arath; ibi requievit arca Noë. Et in pede montis ipſius eſt prima civitas quam ædificavit ibi Noë, et vocatur Ladimine: circa illam defluit fluvius Arathaſi, qui fluit per medium Mongan. Eſt autem mons ille Arath mons excelſiſſimus, nec unquam illuc aſcendiſſe dicitur homo, niſi monachus unus. Ille ſiquidem, devotionis

ardore commotus propter arcam Noë quæ ibi requievit, multoties illuc aſcendere, quibus potuit conatibus, attemptavit. Cúmque aliquando partem montis aſcenderat, et membra corporis fatigata quieti dabat, ſemper poſt quietem evigilans, in pede montis ſe inveniebat. Tandem verò Dominus, ejus affectui condeſcendens, ejuſque votum et orationes exaudiens, per angelum ſuum eum monuit, ut ſemel aſcenderet; ita tamen ut de cetero aſcendere ullatenus non temptaret. Tunc ergo ſecurus aſcendit; et poſtea deſcendens, inde ſecum ex arca unum aſſerem detulit, et in montis pede monaſterium ædificavit, in quo eundem aſſerem pro ſacris reliquiis devotè collocavit. Hoc anno tranſlatio Sancti Thomæ martyris. Unde;

Anno milleno bis centenoque viceno,
Sunt tranſlata ſacri martyris oſſa Thomæ.

Hoc etiam anno quidam canonicus de Scona, Innocentius nomine, factus eſt Prior apud Inſulam Miſſarum, amoto quodam Scotico propter inſufficientiam. Hoc etiam anno congregati ſunt omnes prælati Scotiæ, ad mandatum domini Ægidii nuncii Apoſtolici: ubi recepit viceſimam partem omnium bonorum eccleſiaſticorum trium annorum, in ſuccurſum Terræ Sanctæ, ſicut proviſum fuerat in concilio Lateranenſi. Et conſequenter venit in Scotiam alius legatus, magiſter Jacobus, canonicus Sancti Victoris, qui diſpenſavit ut Innocentius, Prior Inſulæ Miſſarum, de Priore abbas fieret, et ſui ſequaces; qui benedictionem recepit ab epiſcopo Dumblanenſi.

CAP. XXXVII.

De martyrio epiſcopi Cathanenſis, et aliis incidentibus.

ANNO Domini milleſimo ducenteſimo viceſimo primo, magiſter Jacobus, canonicus S. Victoris Pariſius, Apoſtolicæ ſedis pœnitentialis, Scotiæ et Hiberniæ legatus, convocatis totius regni prælatis, apud Perth tenuit generale concilium quatuor continuis diebus. Anno ſequenti obiit Bricius epiſcopus Moravienſis; cui ſucceſſit magiſter Andreas de Moravia. Quo anno paſtor egregius Adam epiſcopus Cathanenſis, quondam abbas de Melros, poſt multos paſſiones, unà cum monacho ſuo Serlone cœleſtium promeruit conſortium. Poſt minas enim ſæviſſimas impiorum, poſt livorem vulnerum et cruenta vulnera, poſt fuſtes Jacobi, poſt lapides Stephani, tandem incendium perpeſſus Laurentii, in propria domo, quæ Hawkirk dicitur, concrematus eſt: cujus corpus torridum ex incendio, et lividum ex lapicidio, integrum ſub acervo lapidum poſt incendium reperitur, et in eccleſia honorificè ſepelitur. Pro eo autem quòd decimas et alia jura eccleſiaſtica à ſuis ſubditis exigebat, ab eiſdem furiâ ſuccenſis, et in unum congregatis pluſquam trecentis viris, die dominicâ, infra octavas nativitatis beatæ Mariæ, lapidatus, captus, verberatus, ligatus, vulneratus, nudatus, et in coquinam propriam projectus igne ſuccenſam, combuſtus eſt, occiſis priùs ab ipſis monacho ſuo ſocio et uno ſervorum. Comes autem Cathaniæ Johannes, quamvis in proximo maneret, et confluentem undique

que populum armatum vidiſſet, etiam de auxilio ferendo à quibuſdam ejuſdem epiſcopi ſervientibus requiſitus, diſſimulavit, dicens; *Si timet epiſcopus, ad me veniat:* unde et ejuſdem ſceleris conſcius à multis credebatur. Dominus autem rex Alexander, cùm eſſet in procinctu itineris verſus Angliam, pro regni ſui negotiis, apud Jedword conſtitutus, et hujus ſceleris fama certis nunciis ad eum perlata fuiſſet, omiſſis eiſdem negotiis, ut vir catholicus, et princeps à Deo conſtitutus, coacto exercitu, Cathaniam uſque profectus eſt. Prædictus autem comes, quamvis ſuam probaret innocentiam bonorum virorum teſtimonio, quòd eiſdem flagitioſis nullum præſtitiſſet favorem vel conſilium; tamen, quia protinus ab eis dignam non expetiit vindictam, magnam partem terræ ſuæ cum magna pecuniæ ſumma regi, pro impetranda ipſius gratia, conceſſit.* Multos etiam ex ipſis, qui hoc facinus perpetrabant, puniendos tradidit: quos membris truncatos rex diverſis affligi fecit tormentis. Eodem anno Willelmus abbas de Sancta Cruce, adquieſcente conventu, à legato Jacobo, ejuſdem religionis canonico, à cura paſtoralis officii abſolutus eſt; cui ſucceſſit Willelmus filius Owini, vir † fere in omnibus commendabilis, quia à primævo inconſtantiæ vitio laboravit.

CAP. XXXVIII.

De ſucceſſore epiſcopi Adam, et de nunciis ad Apoſtolicam ſedem miſſis.

ELectus eſt ibidem in epiſcopum Cathaniæ Gilbertus, archidiaconus Moraviæ, domino rege præſente cum exercitûs ſui optimatibus. Quo facto, rex cum ſuis, quamvis maxima tunc temporis eſſet tempeſtas et pluviarum inundatio, ſoſpes ad propria, Deo dante, reverſus eſt. Dum hæc itaque agerentur, timentes prælati Scotiæ, ne ſi tanta fama flagitii ad dominum Papam perveniret, et ad inquirendum de facto forte legatum mitteret aut nuncium, (quia multum verebantur inſatiabilem voraginem legatorum, quam paulo ante experti ſunt) per nuncios proprios eidem ſummo pontifici, et rei veritatem, et zelum regis in ultionem delicti ſignificaverunt. Qui et ipſorum induſtriam, et regis propoſitum, plurimum commendavit. Conſequenter anno ſequenti, ſtatim poſt Pentecoſten, Cantuariam peregrè rex proficiſcitur, et redeundo, cùm rege Henrico aliquotam moram faciens, et de communi bono tractans utriuſque regni, circa autumnum proſperè rediit ad propria, cum feſtinatione pergens in Moraviam. Vigiliâ S. Thomæ Apoſtoli, tanta et tam ſubita tempeſtas nivis et venti exorta eſt, ut ſimilis eatenus viſa non fuerit tanto tempore de quo habebatur in memoria tunc viventium ſuper terram. Per plurima etenim loca homines periclitabantur et pecora: ſed, Deo dante, infra diem tertium tempeſtatis violentia conquievit; quamvis nix ipſa, et propter congelationem, et propter ſui profunditatem, iter viantibus, paſcua pecoribus, et etiam aquam molendinis præriperet. De hac tempeſtate metra:

* *Addunt libb. Cupr. et Perth.* Quia, ut canunt decreta, qui poteſt et non repellit à ſocio injuriam, tam eſt vitio quàm ille qui facit; et qui deſinit defendere cùm poteſt, conſentit.

† Verba, *in omnibus*, deſunt in cod. Cupr. et *vicem*, pro *vitio*, habet cod. Coll. Edinb. nec in utrovis videtur lectio ſatis ſana. Forte *vix* pro *vir* legendum.

Anno

Anno milleno bis centenoque viceno,
Tris vigili Thomæ Apoſtolicique beati,
Tempeſtas fuerat horrida facta nimis.

Dominus rex tenuit natale ſuum apud Forfar, cui occurrit comes Cathaniæ, et ibidem, datâ pecuniâ, recuperavit terram illam à rege, quam anno præterito quietam clamavit pro morte et combuſtione præfulis memorati.* Nec tamen impunè ſibi comiti contigit illud ſcelus: nam, tranſactis deinde ſeptem annis, idem comes à ſuis inimicis circumſeptus, in domo propria occiſus eſt et combuſtus:† ut verificetur quod ſcriptum eſt;

Rebus in humanis non eſt lex æquior ulla,
Quàm necis artificem arte perire ſuâ.

Per idem tempus emerſerunt quidam iniqui de genere Macwillam, ſciz. Gillaſcop, et filii ejus, et Rodericus in extremis Scotiæ finibus. Qui, cùm regnum opprimere vi niterentur, tradidit eos Deus cum ſuis fautoribus in manus regis, qui, de ipſis judicio expedito, terram de cetero ab eorum malitia‡ conquievit. Iſabella ſoror regis Alexandri, anno ſequenti, i. e. milleſimo ducenteſimo viceſimo tertio, rediit ad fratrem de cuſtodia regis Angliæ adhuc inupta‡. Obiit Willelmus abbas de Dumfermlyne. Et Johannes rex Hieroſolymorum, ex amiſſione Damietæ et debilitate ſuorum, ultra modum dolens effectus, à partibus tranſmarinis transfretat cum paucis in Galliam, petiturus ſubſidium à rege. Fredericus Romanorum imperator, ſigno crucis aſſumpto, ducit uxorem, per verba de præſenti, unicam filiam ipſius regis Hieroſolymorum: et hoc juramento affirmat coram Papa Honorio. Anno autem ſequenti celebrantur nuptiæ ſolenniter inter eos. Hoc anno Ludovicus transfretat in Angliam; cui conferuntur dona plurima. Hoc anno obiit Gilbertus fundator canonicorum Inſulæ Miſſarum.

CAP. XXXIX.

De morte nobilis Philippi Francorum regis, et quòd potuit fieri forma et exemplar regibus.

ANNO Domini MCCXXIII. menſe Julio, Francorum rex potentiſſimus, qui Othonem imperatorem et quamplures alios in bello campali devicerat nobiles et potentes, Normanniam quoque acquiſivit, et ſibi appropriavit; Aquitaniam, et maximam partem Pictaviæ, ſibi ſubjugavit; qui ſemper proſperos habuit ad vota* ſucceſſus, eccleſiæ libertatis conſervator præcipuus, dormit in Chriſto; et in eccleſia beati Dionyſii ſepelitur. Multos in regno comitatus acquiſivit, ſcilicet Niromandenſem, Bellomontenſem, Pontinenſem, Aleſionenſem, Cænoman-

*Fuerunt tunc temporis plurimi, qui, apud ſemetipſos hoc factum non approbantes, dominum regem à malis conſiliariis ſuper hoc circumventum ſuſpicati ſunt. Nec tamen, &c. *Editio Hearnii.* †Et meritò talem promeruit mortem, qualem venerabili epiſcopo Adæ intulit ſine cauſa. *Ibid.* ‡A concurſantium fævitia, *MS. Capr.* ‡Non obſtantibus regis Angliæ promiſſionibus ſuprà dictis ad fratrem. Et nota in hoc fidem fragilem et perfidiam Anglorum. *MS. D. G. M.* *Al. *in vita*, pro *ad vota*.

nenſem,

nenſem, Andegavenſem, Pictavenſem. Mirabile enim fecit teſtamentum; qui legavit quinquaginta millia librarum Pariſienſium templo Hieroſolymitano, et tantum hoſpitali ejuſdem; et tantum Johanni Brenhe nobili principi et militi ſtrenuiſſimo, regi Jeruſalem præmiſſo. VINCENTIUS tamen, in Speculo, clarè ponit eum delegâſſe unicuique iſtorum trium centum millia librarum Pariſienſium. Propter quæ poteſt hic Philippus fieri forma et figura, et imago depingi cuicunque regi Chriſtiano; quia propter ipſius laudabiles actus multùm affecto, quin et delector, de eo recordari. Nam narrationes ſequentes ad conſolationem legentium, ſicut ſparſim in diverſis codicibus reperi, hic duxi inſerendas. Unde cùm ad ſubſidium Terræ Sanctæ transfretaret, ortâ in mari ſæviſſimâ tempeſtate, cùm omnes de vita deſperarent, ſpem firmam in Deo habens de ſalute, quæſivit à nautis quæ erat hora noctis. Et cùm quidam diceret, media; aſſecurabat eos de vita, dicens, Quia iſtâ horâ nigri monachi et canonici, pro ſtatu regis interpellant per totum regnum Franciæ. Conſequenter ad reſponſa horarum dixit; Et nunc albi monachi; et in aurora, collegiati clerici; et ſic de ceteris. Cujus regia collocutio omnibus fuit grata conſolatio, et ſic ceſſavit interea quaſſatio. Et aſcriptum fuit magnæ fidei regis quòd liberati ſunt. Appropinquante horâ mortis, ait prælatis et proceribus ſuis aſtantibus, O quot habui in curia mea ſervientes ſtrenuos et audaces, qui ad nutum obediebant, et citiùs quo dirigebam eos currebant: modò non habeo ita ſtrenuum qui iret hac die præparare mihi hoſpitium. Valete ergo amici, et pro me orate; iter enim pergo extremum, quod nunquam ambulavi, et in regionem longinquam quam nunquam vidi; et ad ſeculum alterum animarum, unde nullus revertitur; et ad manſiones metuendas, ad quas mecum nullus comitatur; et ad judicem terribilem, ubi neſcio quid mihi contingat. Ecce, quæro adjutorem, et non eſt qui eripiat; quæro qui me comitetur, et non eſt qui veniat. Miſeremini igitur mei; miſeremini mei ſaltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me. Et his dictis, receptis priùs eccleſiaſticis ſacramentis, commovit aſtantes ad fletum, et Factori ſuo reddidit ſpiritum, anno regni ſui quadrageſimo tertio.

CAP. XL.

De eodem.

REGI quondam in jardino ſpatianti, advenit quidam ſacerdos genua flectens, et dixit; Domine mi rex! ego à te repeto terram meam, quam balivi tui injuſtè auferunt à me. Cui rex ſubitò reſpondit; Certe non reddam. Et ſacerdos erectus; Scio quid faciam. Et rex, Quid? Vere conquerar de te. Et quis, inquit rex, de me poterit vobis juſtitiam exhibere? Certe, dixit alter, rex gloriæ, qui infinities major eſt te, quem in craſtino infra meas manus, qui continet omnia, continebo in altari. Verùm, ait rex, major me eſt, utpote rex regum: cui abſit ut de me queremoniam imponatis; quia ipſe eſt ille judex, qui quid faciet de injuſtis judiciis ignoro; ſed et unum ſcio, quòd ipſas etiam juſtitias judicabit, et malè judicata rejudicabit. Abeatis in pace

veſtra, et me, ut dicitis, in craſtino, regi meo, quem manibus tractabitis, recommendare curetis. Ad hunc regem Pariſius exiſtentem advenit ſemel quidam armiger, queremoniam de quodam cive Pariſienſi, hoſpite ſuo, faciens; et dixit, quòd cùm veniſſet Pariſius ut debita domini ſui perſolveret, et manticam cum pecunia hoſpiti ad ſervandum tradidiſſet; alter conſtanter negavit. Quòd cùm rex audiſſet, et per teſtimonium probari depoſitio pecuniæ non potuiſſet; et uterque tanquam veridicus apparuiſſet; rex, quaſi jocando, annulum aureum, quem in digito civis gerebat, aſſumpſit; et ipſum, clanculò pro ſigno, ad uxorem civis miſit, ut ipſa quantotius mitteret manticam marito, quam armiger apud * ipſos depoſuerat. Quod et fecit; et civem ſtatim ſuſpendi fecit, utpote qui talia multa perpriùs confecit. Rex aliquando in quadam neceſſitate, utpote in obſidione rebellium, poſitus mandavit capi boves in quadam grangia Ciſtertii ordinis, de reſtitutione ſatis cogitans. Quòd cùm audiſſet abbas, miſit ad regem ſimplicem monachum, injungens ei quicquid, quantumque breviter poſſet ei verbum proponeret; et quod bene de reſponſo regis adverteret; et etiam faceret quodcunque rex eidem præcepturus erat. Inveniens autem monachus regem in menſa, nullâ ſalutatione præmiſſâ, ſic exorſus eſt loqui, dicens; Animalia habebamus, cepiſti ea; reſtituantur. Ad quem rex, Bene veneritis, domine monache. Et, monacho in menſa locato, miſit rex parapſidem cum illis carnibus bovinis, præcipiens ut viriliter comedat; qui libenter et cum hilaritate fecit. Quem rex poſt prandium accerſivit, et quaſi jocando quæſivit, Quare regulam ſuam in eſu carnium fregerat? Non ſic, rex; regulam non fregi; quia per obedientiæ præceptum habebam de loquendo breviter, et mandatis tuis de parendo: et quia ſcivi illas carnes eſſe de animalibus noſtris, et neſcio an reſtitutio vel recompenſatio fiet; idcirco injunctum mihi feci, ut puto, ſine culpa. Rex, de reſponſo contentus, laudabat monachum, et reſtituit decuplum.

Idem habebat duos capellanos, quorum unus habebat longam miſſam, alius brevem. A quibus cùm rex quondam quæreret cauſam, unus ait; Quando ſum in ſecreto tantum delector, quod de facili non poſſum recedere. Alter dixit; Tantum in ſecreto timeo aliquid malum vel indecens coram Deo cogitare, quod quanto citius potero, ne temptationes me præoccupent, miſſam cenſeo terminare. Ad quos rex; Bona eſt brevis, bona eſt et longa miſſa.

CAP. XLI.

Item de eodem.

REGI Philippo eunti per viam obviavit quidam ribaldus, petens ab eo ſatis importunè eleemoſinam ſibi dari. Sed quia rex antea hujuſmodi ſcurros et mimos † ſequeſtrari fecit à ſua curia, non attendit ad eum. Teneris, inquit ſcurrus, mihi eleemoſinam dare, quia cognatus ſum tuus. Cui rex; Ex qua parte? At ille, de Adam. Dimitte

* *Penes*, pro *apud*, MSS. Cupr. et Perth. † *Joculatores*, iidem.

eum,

eum, ait cuidam, et da ſibi obolum*, quia clamat poſt nos. Reſpondit harlo, non eſt hoc donum regium. Si, inquit rex, tantum darem cuilibet attinenti mihi de genere ex parte iſta, nihil ad exponendum mihi remaneret in ciſta †. Quo reſponſo ribaldus repercuſſus, amodo receſſit de curia confuſus. Hic aliquando clericos pauperes habebat in menſa; nam ſemper hoc de more habebat, ſcilicet unam menſam coram ſe Pariſius hujuſmodi plenam. Tandem ad finem menſæ vidit unum de clericis reponentem ſeorſum bonum caponem, quem, pro truſa, in ſecreto quærit rex, In qua ſcientia ipſe ſtudebat. In theologia inquit clericus. Cui rex; Nonne legitur, *Nolite cogitare de craſtino*; quare ergo repoſuiſti caponem? Quia volebam, dicit alter, juxta conſilium evangelii deponere ſollicitudinem, ut nec quiddam de craſtino cogitarem. De quo reſponſo rex contentatur, et in publicum jocus recitatur. Idem rex aliquando febricitans ſitiebat vinum, quod nullatenus ſibi voluit miniſtrare ſuus phyſicus ſine aqua. Ex quo, ait rex, non permittitis ut bibam niſi in gemino, genuinæ vitis hujus Lyæi et Thetidi maritandæ, et non poteſt à me calix iſte tranſire, niſi bibam ex eo. Veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu: fiat voluntas tua. Hoc ſaltem mihi pro Deo concedatis, ut primò bibam vinum, et poſtea aquam. Et conceſſit. Quo hauſto, et magno calice evacuato, obtulit ei phyſicus aquam, quam omnino refutavit rex, dicens; Docuiſtis me aliàs non bibere niſi quando ſitirem, et vere modò non ſitio. Et ſic lætitiâ jocoſi poculi rex ſenſit ſe leviùs habere. Cùm quidam abbas Ciſtertii ordinis veniſſet ad regem, pro negotiis monaſterii loquuturus; rex videns ejus calciamenta, quæ erant nimis ſtricta, interrogavit unde eſſet. Et ille, De iſta paupercula domo, nomen ejus exprimens. Et rex; Bene apparet in calciamentis veſtris; nam corium eſt ibi valde carum. De quo verbo abbas confuſus expedivit negotium pro quo venit, et in Botellis deinceps fratribus ſe conformavit. De hoc vide lib. VIII. cap. lv. quia non ſcripſi ‡. Rege etiam aliquando nimium curis et placitis magnatum et mediocrium perſonarum in ſuo parliamento fatigato, cupiebat aliqualem invenire recreationem; unde à tumultu pauliſper valuit declinare. Aſſumptis igitur ſecum nonnullis ſatrapis, aſcenſâ quadam naviculâ, ſuper Sequanam hac illac remigare cœpit: cùm ecce ripa tenus quidam religioſus frater, accurrens concito gradu, acclamavit unum verbum loqui cum rege. Qui rex, aliquantulum motus quòd ſic fuit inquietatus, reſpondit fratri: Tu petis loqui niſi unum verbum, loquaris audacter; ſed ſi verba multiplicaveris, intentum nullatenus aſſequeris. Frater ad hæc conſternatus, et pauliſper aviſatus, extenſâ manu infert, *Caritatem*. Quod rex audiens, poſuit manum in marſupio, et replevit volam denariis aureis, et ſatisfecit unico verbulo fratris caritatem flagitantis.

* *Pichellum*, MSS. Cup. et Perth. † *Arca*, ibid. ‡ Intellige fabulam ibi ſcriptam, hic non denuo exhiberi.

CAP.

CAP. XLII.

De reditu regni Francorum ad ſtirpem Magni Caroli.

MOrtuo magnifico principe Philippo, Ludovicoque coronato, ſtirps Caroli Magni reincepit ſceptrigerare. Franci namque, ſicut aliàs dictum eſt, origine Trojani, adhuc Pagano ritui dediti, regnum ſuum in Gallia ſtabilierunt, ut in præſenti cernitur; quæ nunc etiam ab eis Francia nominatur. Anno itaque Domini quadringenteſimo octogeſimo quarto, Hilderico eorum rege mortuo, qui civitatem Trevirim cepit, Clodoveus filius ejus regnum fortiter tenuit et ampliavit; qui à Sancto Remigio baptiſmi gratiam cum ſibi ſubjectis percepit: ejuſque progenies uſque ad annum Domini ſeptingenteſimum quinquageſimum feliciter regnavit; excepto quòd per annos fere octoginta octo, à tempore Clotharii regis, et Sanctæ Batildis reginæ, regibus à fortitudine ſolita degenerantibus, regni potentia diſponebatur per Majores domûs. Inde factum eſt ut Pipinus, qui erat Major domûs ſub rege Hilderico, à Stephano Papa apud eccleſiam Sancti Dionyſii, cum uxore et filiis, in regem ungeretur; eorumque generatio in hereditatem regalis ſucceſſionis imperpetuum benediceretur; et omnis alienigena ab ejus invaſione Apoſtolico anathemate interdiceretur. Regnavit igitur eorum progenies in regno Francorum uſque ad annum Domini nongenteſimum viceſimum ſextum. Tunc Hugone Caputio, comite Pariſienſi, Francorum duce, invadente regnum, tranſlatum eſt de genealogia Carolenſium in progeniem comitum Pariſienſium. In geſtis autem Sanctorum Richarii et Walerici legitur, quòd eorum corpora tranſlata ſunt à ſuis eccleſiis in eccleſiam beati Bertini; ibique, timore Normannorum et Danorum, ſunt repoſita tanquam in loco tutiori. Cúmque Normanni, tempore Caroli Simplicis, converſi eſſent ad fidem Chriſti, reportata ſunt ad proprias eccleſias. Attamen cùm monachi ſui repeterent, monachi Sancti Bertini eorum corpora, per violentiam Arnulphi comitis, detinebant. Tunc Sanctus Walericus Hugoni Pariſienſium comiti in ſomno apparuit, eique dixit; Vade ad Arnulphum comitem Flandrenſem, et dic ei quòd de Sancti Bertini eccleſia remittat in noſtras eccleſias corpora noſtra: plus enim loca noſtra diligimus quàm aliena. Requiſitus autem ab Hugone, quis eſſet vel quis ejus ſocius; Ego, inquit, vocor Walericus, ſocius autem meus eſt Pontinenſis Richarius. Quod ergo tibi præcipit per me Deus, age feſtinanter, et ne diſſimules. Hugo igitur ad Arnulphum pergens, quæ ſibi mandata fuerant indicat. At ille ſuperbo animo Sanctorum corpora reddere recuſat. Tunc Hugo conſtanti animo dixit ipſi Arnulpho; Vide ut illo die, et illo loco, corpora Sanctorum honeſtè mihi deferas animo ſpontaneo; quod ſi non feceris ſpontaneus, poſtea facies vel invitus. Tunc Arnulphus, timore Hugonis et potentiâ conſtrictus, duas thecas auro et argento decoravit, in quibus prædictorum Sanctorum reliquias depoſuit; ac die condicto, cum armato et copioſo exercitu ad Monaſteriolum, quod eſt regis Francorum, eas Hugoni decenter retulit. Ille verò unumquemque reſignavit in loco ſuo. Sequenti verò nocte Sanctus Walericus in ſomnis apparuit Hugoni, et dixit ei; Quia ſtudioſè quæ præcepta ſunt

tibi

tibi feciſti, et nos ad loca noſtra retuliſti, tu in regno Francorum et ſucceſſores tui, uſque ad ſeptimam generationem, regnabitis. In nonnullis tamen libris, ubi diximus *ſeptimam*, invenitur *ſempiternam*. Poſſumus autem præciſè ab Hugone uſque ad Ludovicum iſtum invenire. Nam idem Hugo genuit Robertum, Robertus Henricum, Henricus autem Philippum, Philippus Ludovicum Groſſum; is Ludovicus alium Ludovicum, et ille nobilem Philippum, de quo tanta prædicabilia, ut ſuprà, ſcripſimus; qui ex Elizabeth filia Baldwini comitis Hanoniæ iſtum genuit Ludovicum. Nam idem Baldwinus proceſſit de progenie Emergardis filiæ Caroli Simplicis, uſque ad quem in regni poteſtate perſeveravit progenies Pipini et Caroli imperatoris. Cùm igitur iſte Ludovicus in regno ſucceſſerit patri, patet regnum in ipſo reductum ad progeniem Caroli Magni. Ex prædicta verò Sanctorum corporum relatione, videtur illa regni tranſlatio per Dei voluntatem facta fuiſſe. In geſtis verò Aquitanorum legitur, quòd ideo Caroli progenies reprobata creditur, quia jam Dei gratiam negligens, eccleſiarum potiùs neglectrix quàm erectrix videbatur. Sed hoc Dei judicio relinquamus, qui tempora mutat, et transfert regna; ſicut dicit Scriptura, ECCLESIASTICI X. *Regnum*, inquit, *transfertur à gente in gentem propter injurias, et injuſtitias, et contumelias, et diverſos dolos.* Et iterum; *Sedes ducum ſuperborum deſtruxit Deus, et ſedere fecit mites pro eis.*

CAP. XLIII.

De ſubſidio ad maritandas ſorores regis.

ANNO Domini milleſimo ducenteſimo viceſimo quarto, rex Scotiæ Alexander impoſuit auxilium terræ ſuæ decem millia librarum, ad maritandum ſorores ſuas. De quo auxilio liberæ erant eleemoſinæ, quæ eatenus non conſueverant dare auxilium. Eodem anno Willelmus canonicus de Sancta Cruce, qui aliquamdiu fuit Prior de Inſula Sancti Columbæ, eo quòd tunc inibi non erat abbas, propter exceſſus multos et intolerabiles eſt depoſitus: eo quòd totus conventus, unanimiter conſtans, regi Alexandro et epiſcopo dixerunt, ſe omnes malle habitum ſuum relinquere, et ad mundum reverti, quàm ipſum Priorem ulteriùs habere. Ipſo verò Priore, tam ex parte domini regis, quàm ex parte domini epiſcopi, examinato et reo nimiùm invento, officio, quamvis invitè, et loco ceſſit. Cui ſucceſſit Nigellus canonicus et cellerarius de Jedword, vir magnæ vitæ et ſapientiæ; qui in clauſtro religionem, in eccleſia devotionem, in temporalibus prudentiam, inter magnates ridivorum et verborum facetiam modeſtè temperavit, tam in ſe, quàm in ſubditis. Quo in anno rex Ludovicus contra Pictavenſes, ſibi rebellantes poſt coronationem ſuam, movet exercitum, et obſidens Niordum caſtrum fortiſſimum, ſibi redditum eſt. Deinde progreditur ad Sanctum Johannem Angeliacum: abbas et burgenſes ipſius obviant regi pacificè, villam ei reddunt, et fidelitatem promittunt. Deinde, poſt diram obſidionem, Rupella ei redditur. Deinde Lemovicenſes et Petragoricenſes, et omnes Aquitaniæ principes, exceptis Vaſconibus, qui ultra Garonnam erant, fidelitatem regi promiſerunt.

Anno ſequenti, circa Paſcha, quidam fingens ſe eſſe Baldwinum quondam comitem Flandriæ, et imperatorem Conſtantinopolitanum, venit ad Flandriam in habitu peregrino; cui multi favent de Flandria nobiles et ignobiles; eo quòd multa interſigna dicebat quòd eſſet idem Baldwinus. Reſiſtentes autem viriliter debellabant. Non multo poſt, ſtatuto colloquio inter ipſum et regem Francorum Ludovicum apud Peronam, requiſitus à rege, quis ordinaverat eum in militem, et ubi fecerat homagium patri ſuo Philippo, et ubi erant nuptiæ celebratæ inter ipſum et uxorem ſuam? noluit reſpondere, petens inducias uſque poſt prandium. Tunc quamvis conſimilis fuerat in figura imperatori, apertâ tamen ejus fraude, licentiavit eum rex à regno ſuo toto. Ipſe autem, qui cum multis pompoſè venerat, confuſus cum paucis abſceſſit. Non multum verò poſt ab Erardo de Caſſenta in quadam taberna capitur, et Flandrenſi traditur comitiſſæ; quæ diverſis pœnis ipſum afficiens, ad ultimum de confictione confeſſum patibulo fecit ſuſpendi. Eodem anno, die Mercurii ante purificationem, Ludovicus rex et quamplurimi magnates, archiepiſcopi, epiſcopi, comites, et barones, per manum Romani cardinalis et legati contra Albigenſes accipiunt ſignum crucis.

CAP. XLIV.

De expugnatione Avinionis Albigenſiacæ.

ANNO Gratiæ MCCXXV. quidam animoſus juvenis, Fawkes nomine, caſtellum de Bedford, contra voluntatem regis Angliæ obtinens, munitiones multas in ipſo caſtello congeſſit, tam in cibariis, quàm machinamentis bellicis. Unde hoc rex Henricus comperiens, accito omni exercitu ſuo, vix potuit infra ſpatium novem hebdomadarum ipſum caſtrum ſubjugare. Quo tandem capto et proſtrato omnes, quotquot infra caſtrum invenit, ſuſpendio tradidit, præter ipſum Fawkes, quem extra regnum Angliæ perpetuò relegavit. Hoc in anno obiit Gualo cardinalis, qui fuit Angliæ legatus, in tantum Anglicatus ac ſi eſſet Anglicus natus. Propter cujus mortem Scoti, ſi quas vel quantas lacrimas effuderunt, aut erant ſpectacula hominum, aut ridicula Anglorum. Rex Franciæ Ludovicus anno ſequenti, et omnes contra Albigenſes cruce-ſignati, Bituris conveniunt. Inde procedunt per Nivernam et Lugdunum civitates, apud Avinionem, urbem inexpugnabilem, ab eccleſia Romana per ſeptem annos excommunicationi ſubjectam propter hæreticam pravitatem. Rege autem credente ſe habiturum pacificum tranſitum apud Avinionem, propter quaſdam prævias pactiones quas habuerat ab eiſdem, portæ clanduntur civitatis, et excluditur rex cum ſuis. Rex miratur, et, ſpiritu virtutis aſſumpto, villam obſidet ſuo obſide tripartito. In vigilia Sancti Barnabæ Apoſtoli, quæ fuit quarta feria Pentecoſtes, machinæ eriguntur; trabucheta, petrariæ, mangonella parum proſunt. Hi qui intus ſunt viriliter ſe defendunt. Rex inæſtimabiles ſumptus facit. Durat obſidio uſque ad feſtum aſſumptionis beatæ Mariæ, maximaque mortalitas ibi pullulat. De noſtris circa duo millia hominum telorum imbribus, et lapidum volatu, ac infirmitate propriâ moriuntur. Moritur ibi Guido comes Sancti Pauli, percuſſus lapide

lapide petrarii; vir armis ſtrenuus, catholicus, et honeſtus. Moritur etiam ibi epiſcopus Lemovicenſis. Comes Campaniæ redit ad propria, ſine regis licentia vel legati. Tunc Avinionenſes, regis magnanimi conſtantiam attendentes, qui cum ſuis proceribus juramento firmârat, ſe non receſſurum donec villa redderetur vel caperetur; ducentis datis obſidibus de melioribus villæ, jurant ſtare mandato eccleſiæ. Tunc de mandato domini legati, rege imperante, foſſata implentur: trecentæ domus turrales, quæ in villa erant, et omnes muri circumquaque ſolo diruti coæquantur. Villa abſolvitur. Dominus legatus multas bonas et laudabiles conſtitutiones inducit. Magiſter Nicholaus de Corbeia, monachus Cluniacenſis, in ipſius loci epiſcopum conſecratur. Rex inde, amoto exercitu, progreditur per Provinciam, et redduntur ei pacificè civitates et caſtra, et fortericiæ omnes uſque ad leucas quatuor à Tholoſa. Rex præficit toti illi regioni Himbertum de Bellojoco loco ſui.

CAP. XLV.

De obitu Ludovici regis, et coronatione filii ſui Ludovici Sancti.

REGE repatriante, moritur Rhemenſis archiepiſcopus, et comes Namurcenſis. Ab illa peſtifera obſidione pauci vel nulli redeunt plenè ſani; ac per totam Galliam pullulat plus juvenum, quàm ſenum, mortalitas generalis. Anno ſequenti migrat rex ad Chriſtum, vir utique verè catholicus, miræque ſanctitatis exſtitit diebus ſingulis vitæ ſuæ. Nunquam carnem ſuam maculavit, præterquam cum una uxore ſibi legitimè matrimonio copulata. Cui ſucceſſit filius ejus primogenitus Ludovicus ſecundus, puer tredecim annorum. Plures majores barones Franciæ ad coronationem vocat; ſed venire recuſant: præ dolore enim patris et deſolatione regni, non vacant ibi gaudio, ſed magis intendunt lacrimis et mœrori. Ferrandus comes Flandriæ, qui per duodecim annos et menſes ſex Pariſius in captione regis detentus fuerat, multâ pecuniâ liberatur circa Epiphaniam Domini. Ipſo anno Honorius Papa moritur, qui Fredericum imperatorem ſibi rebellem, et adverſarium eccleſiæ Romanæ comperiens, anathematizavit, atque barones ſuos ab ejus fidelitate abſolvit. Succedit Honorio Hoſtienſis epiſcopus, et vocatur Gregorius ſeptimus. Eodem tempore Hugo Marchiæ comes, et Theobaldus comes Campaniæ, contra novum regem ſuum Ludovicum conſpirantes, fœdus ad invicem inierunt. Unde comes Britanniæ, qui, contra prohibitionem Ludovici regis defuncti, de Albigenſium terra redierat, caſtellum quod Sanctum Jacobum de Beverone nominavit, unà cum Beleſino, ſibi quondam ab eodem Ludovico in cuſtodia traditum, firmabat, et victualibus muniebat. Itaque rex novus ac junior, comitantibus ſe Romano cardinali, tunc Apoſtolicæ ſedis legato, ac Philippo patruo * ſuo comite Boloniæ, necnon et Roberto Drocenſi comite, cum exercitu multo uſque ad Charteriam de Curceio properavit. Quod videns ac timens Campaniæ comes, à propoſito maligno reſipuit, et adhærens regi Franciæ, à comitum Marchiæ et Britanniæ conſortio celeriter reſilivit. Rex itaque duos comites, Marchiæ ſciz. et

* *Avuncule*, in geſtis Ludovici IX.

Britanniæ,

Britanniæ, regali edicto ſemel ac bis ad colloquium vocatos ſed venire contemnentes, ne aliquid contra jura videretur agere, tertiò quoque ſuo parliamento mandavit intereſſe. Tunc illi ſtultam ſuam ſuperbiam, ac regis novi clementiam perpendentes, humiliter ei mandaverunt, quòd apud Vindocinum, ſi placeret ei, cuncta quæ forisfecerant emendarent, et hoc ipſum opere compleverunt. Nec multo poſt iidem comites, cum quibuſdam aliis Franciæ baronibus, invidentes domui regiæ, quòd regina Blancha filii ſui regis ac regni tutelam haberet; memores quoque quòd Campaniæ comes, contra prædictorum comitum voluntatem, et contra fœdus quod cum ipſis inierat, regi adhæſiſſet, eique nefandiſſima eorum conſilia denudâſſet, infinitum contra illum collegerunt exercitum: et intrantes ejus terram, caſtella, villas, et vicos, ac municipia conflagrantes vaſtaverunt: ſicque debacchantes uſque ad Chaurſiam perrexerunt, quam obſidentes impugnare cœperunt. Quod videns Campaniæ comes, miſit ad regem dominum ſuum, ab ipſo petens auxilium. Illiſque patentibus regis literis obedire nolentibus, ut ab obſidione recederent; rex ipſe, collectâ multitudine armatorum, iter arripuit, et contra illos in manu forti properavit: qui, ut ejus adventum agnoverunt, à ſede quantocius receſſerunt. At Petrus Britanniæ comes, auxilio et conſilio baronum Franciæ fretus, contra dominum ſuum regem inſurgens, Henricum Angliæ regem in auxilium ſuum cum maxima multitudine Anglorum fecit transfretare, pugnaturus adverſus regem Franciæ. Unde rex Ludovicus, zelo juſtitiæ divinitùs animatus, eundem comitem primò debellare diſpoſuit; et collectâ militiâ, Beleſinum expugnavit ac cepit. Tunc rex Angliæ cum rubore rediens, velociter transfretavit. Anno tamen ſequenti dictus comes cœpit infeſtare terram domini ſui. Unde rex iterum, exercitu congregato, contra eum uſque ad caſtrum Adou feſtinavit: quod et obſidens, expugnavit et accepit. Inde ad aliud, quod Chiſtiaucias dicitur, exercitum duxit, et ipſum per deditionem recepit.

CAP. XLVI.

De tyrannide epiſcopi Dunelmenſis monachos profligantis, et aliis incidentibus.

ANNO Dom. MCCXXVI. obiit Richardus de Mariſco Dunelmenſis epiſcopus; qui tantam tyrannidem eccleſiæ Sancti Cuthberti Dunelmenſi intulit, quòd jura monachorum et poſſeſſiones eorum pro poſſe ſuo abſtulit; nulli eorum, quamdiu vixit, pepercit. Sed cùm audaciùs prædictam eccleſiam impugnare viſus eſt, Deus, qui injuſtos opprimit et juſtos dirigit, mundum ab eo ſubitò denudavit. Poſt illum monachi Dunelmenſes, [timentes ſibi Anglicum ulterius præfici,] elegerunt magiſtrum Willelmum Stichell, natione Scotum, magnæ ſcientiæ virum et manſuetum. Unde rex Angliæ hoc audiens indignatus eſt, dicens, quòd Scoti infra Angliam* non debent beneficiari; et propterea contra electionem fecit appellationem: virtute cujus caſſata eſt electio in curia Romana. Ex hoc ſequitur, quòd inconſultè Scoti faciunt,

**Infra terram quam dicebat ſuam*, MS. Cup. Nimirum ſcriptores Scoti antiquiores aſſerere ſolebant jus regum Scotorum ad regnum Angliæ.

qui

qui admittunt Anglos infra regnum ſuum beneficia poſſidere, cùm non debeant ad imparia quoad hoc judicari. De hoc dicetur infrà, lib. XI. cap. xxj.

Hoc anno Willelmus de Boſco cancellarius regni propter infirmitatem officio ceſſit; cui propterea Thomas de Strivelyn, prædicti cancellarii clericus ſive ſocius, acceſſit, regi et toti regno dilectiſſimus. Qui quamdiu in dicto officio ſtetit, majorem dilectionem promeruit. Anno ſequenti, circa feſtum S. Martini, venit Richardus frater regis Angliæ, dux Cornubiæ, ad dominum regem Scotiæ, et cum eo totam Laudoniam circumiens, cum magno apparatu tandem venit ad Kinghorn, loquuturus cum matre regis, et filiam ejus juniorem natu viſurus Margaretam, quam petierat in uxorem. Sed quia non fuerat de voluntate regis Angliæ, ſed et inſuper, quia idem Richardus propter nuptias plus juſto exigebat terras et pecuniam, Deo melius providente, de conſilio optimatum Scotiæ, infecto negotio, munificè tamen, dimiſſus rediit in Angliam, per Kaerleolum iter faciens, nolens obviare regi fratri ſuo, qui venerat uſque ad Dunelmum, ut dicebatur, ipſas nuptias impediturus. Poſtmodum tamen reconciliati, obviaverunt ſibi invicem apud Eboracum. Hoc in tempore floruit Antonius Sanctus, de ordine fratrum minorum, quem prædictus Gregorius Papa canonizavit. Hic in Hiſpania, civitate Ulixbunda oriundus, à pueritia ſanctus, in baptiſmo Servandus appellatus; primò quidem in ordine S. Auguſtini religionis habitum ſuſcepit; deinde fratrem minorem ſe induit. Sancta etiam Elizabeth filia regis Hungariæ, conjux landegravii Thuringiæ, in Almannia claruit; ſedecim mortuos potenter ſuſcitavit: quam idem Papa Gregorius canonizavit. Hoc anno, ſciz. Gratiæ milleſimo ducenteſimo viceſimo ſeptimo, obiit Thomas cancellarius regis; et magiſter Matthæus Scotus factus eſt regis cancellarius. Willelmus abbas de Sancta Cruce, ſenilem ætatem allegans, onus virgæ paſtoralis in manu ordinarii ſui reſignavit: et ſtatim poſt reſignationem inſulam de Keth intravit, deſiderans ultra modum vitam heremitam ducere. Cùm autem ſpatium novem hebdomadarum ibi complêſſet, et corporis ſui tenuitatem comperiſſet, ad domum Sanctæ Crucis, unde exiit, non puduit remeare. A quo cùm peteretur cur eremum reliquit, reſpondit, ſicut quidam ſcholaris olim neceſſitatus ait;

Quid faciam, cùm nudus eam? jam præterit ætas:
Ad patriam remeare meam me cogit egeſtas.

Illi ſucceſſit Helias filius Nicholai ſacerdotis, vir in ſuperna ſolatione ſollicitus et jocundus, devotus et affabilis ſermone.

CAP. XLVII.

De incidentibus.

ANNO Domini milleſimo ducenteſimo viceſimo octavo, Scotus quidam, nomine Gilleſcop, ſuccendit quaſdam munitiones ligneas in Moravia, et occidit quendam latronem nomine Thomam de Thirleſtan, nocte ex improviſo munitionem ejus invadens. Poſtea ſuccendit

magnam partem de Invirnes; et de terris domini regis circumvicinis abduxit prædas, circa feſtum nativitatis beatæ Mariæ. Dominus autem rex cum paucis ſuorum illuc feſtinans, cùm aliquamdiu illuc moram feciſſet, commiſit cuſtodiam terræ Moraviæ comiti de Buchan juſticiatio ſuo, tradens ei magnam peditum multitudinem. Hoc anno obiit Abirdonenſis epiſcopus, poſt quem eligitur magiſter Matthæus Scotus cancellarius regis: ſed fortaſſis ſereniorem auram expectans, tam parvi honoris ſublimitatem reſignavit: cui tunc electus eſt magiſter Gilbertus de Strivelyne. Obiit etiam magiſter Stephanus de Langtoun Cantuarienſis archiepiſcopus, qui compoſuit * pſalterium noſtræ Dominæ. Anno &c. vicesimo nono facta eſt abbatia S. Eadwardi de Balmurinach à rege Alexandro, et Ermergarda † matre ejus: et miſſus eſt ibi conventus de Melros cum domino Alano abbate ſuo, in die Sanctæ Luciæ virginis. Alanus de Galweia profectus in Hiberniam, duxit filiam Hugonis de Lacy in uxorem; cujus homines quamplures in redeundo ſubmerſi ſunt, ipſo Alano cum paucis evadente. Obiit Malcolmus comes de Fyfe, ſepultuſque eſt in eccleſia Sancti Servani de Culehros, quam ipſe fundaverat. Cui ſucceſſit Malcolmus nepos ejus, filius ſciz. fratris ejus, quia ſobole caruit comes. Qui Malcolmus poſtea duxit filiam Leulini regis Walliæ. Quidam legatus miſſus eſt à latere domini Papæ ad colligendas decimas in Anglia et in Scotia; qui prohibitus fuit à rege Scotiæ fines ſuos intrare. Ipſo anno piæ memoriæ Hugo epiſcopus Dunkeldenſis de hac vita ſubtractus eſt, vir manſuetiſſimus, qui dicebatur pauperum epiſcopus. Ad cujus præſulatum eligitur magiſter Matthæus cancellarius regis Scotiæ: ſed ante conſecrationem ſuam, naturæ debita anno MCCXXIX. perſolvit. Electus eſt ad regimen Dunkeldenſe Gilbertus, quondam capellanus prædicti Hugonis epiſcopi. Hoc anno Gilleſcop, de quo ſuperius dictum eſt, interfectus eſt, et duo filii ejus, et capita eorum allata fuerunt domino regi. Anno ſequenti, id eſt Domini MCCXXX. ingrediuntur primò Scotiam fratres Jacobini, quos allexit Alexander rex; et in magna teneritudine ‡ tanquam patronus, vel procurator ſingularis, eis aſtitit, loca deſignavit, ornavit, et fundavit. Primò § etiam ingrediuntur Scotiam monachi de Valle olerum, ſive Vallis caulium; cujuſmodi ſunt Ardkatani, Pluſkardini, et Bewlini. Facta eſt Pariſius magna inter ſcholares diſſentio, quam mox ſecuta eſt eorum ad tempus multifaria diſperſio. Alii namque Rhemis, alii Andegavis, alii verò Aurelianis, alii quoque in Angliam, vel in alias mundi provincias, ſtudii cauſâ, profecti ſunt. Eodem anno Henricus Angliæ rex, inſtinctu Petri Britanniæ comitis, ut terram à prædeceſſoribus ſuis poſſeſſam et amiſſam recuperaret, præcipuè Normanniam, in Britanniam transfretavit: ſed in propoſito ſuo nullatenus proficere valens, inanis et vacuus rediit. Eodem anno rex Ludovicus urbem Andegavis, et caſtrum Beleſini, dicto Petro ad vitam conceſſa, recuperavit.

* Al. *fecit*. † Al. *Emergarda*, et *Ermingarda*. ‡ *Reverentia*, MS. Coll. Edinb.

§ Paulo ſuſius MSS. Cup. et Perth. his verbis: "Hoc etiam anno ingrediuntur Scotiam "monachi Vallis caulium, ſive de Valle olerum; cujuſmodi ſunt Pluskardini, quos fundavit idem rex Alexander; Bewlini, quos fundavit Johannes Biſet; nec non Ardkatani, "quos fundavit Duncanus Makcoulo. Hoc etiam anno facta eſt, &c."

CAP.

CAP. XLVIII.

De aliis incidentibus.

ANNO Domini milleſimo ducenteſimo trigeſimo primo, dominus rex Scotiæ tenuit natale ſuum apud Elgin; et in reditu ſuo apud Sanctum Andream fecit Walterum filium Alani, qui fuit ſeneſcallus ipſius *, juſticiarium Scotiæ, paulo ante purificationem beatæ Mariæ. Obiit Thomas frater Alani de Galweia, comes de Atholia; ſepultuſque eſt in abbatia de Cupro. Hoc anno ingrediuntur primò fratres Minores Scotiam. Johannes comes de Cathania occiſus eſt in domo ſua et combuſtus: et merito talem mortem promeruit †, qualem venerabili epiſcopo Adam intulit. Alexander rex Scotiæ dedit cancellariam ſuam Willelmo de Bodyngtona ‡ quondam clerico Thomæ cancellarii. Obiit Oſbertus epiſcopus Dumblanenſis, canonicus de Sancta Cruce profeſſus. Obiit etiam Willelmus de Boſco, quondam cancellarius regis Scotiæ. Anno ſequenti obiit Walterus epiſcopus Glaſguenſis, anno epiſcopatûs ſui viceſimo ſeptimo: poſt quem electus eſt Willelmus de Bodyngtona regis cancellarius. Obiit Ranulphus comes Ceſtriæ; cui ſucceſſit Johannes Scotus nepos ejus, comes Huntyngtoniæ, filius nobilis David fundatoris monaſterii de Londoris. Patricius comes de Dumbar †, æger corpore, convocavit filios et filias, cognatos et vicinos, ut feſta Dominicæ nativitatis ſecum celebrarent. Peractis quatuor diebus, vocat Adam abbatem de Melros, et ab eo extremam unctionem accepit ac habitum religionis, induit ſe monachum ‖, et ultimum valedicens omnibus, diem clauſit extremum (). Cui ſucceſſit Patricius filius ejus, nepos regis; ſepultuſque eſt in eccleſia de Eglez. Anno ſequenti, id eſt Domini milleſimo ducenteſimo trigeſimo tertio, obiit Ermergarda regina Scotiæ, mater Alexandri ſecundi regis, tertio Idus Februarii, anno deſponſationis ſuæ quadrageſimo ſeptimo, et ſepulta eſt apud Balmurinach, quam ipſa fundaverat. Hoc anno dedicatæ ſunt eccleſiæ de Neubotil, Abirbrothoc, et Cupro. Alanus de Galweia dedit filiam ſuam uxorem Johanni de Balliolo, et ſororem ſuam Waltero Biſeth. Clemens frater de ordine Prædicatorum electus eſt ad epiſcopatum Dumblanenſem, et conſecratus eſt à Willelmo epiſcopo S. Andreæ, in die tranſlationis Sancti Cuthberti, apud Wedale. Item conſecratus eſt Willelmus epiſcopus Glaſguenſis ab Andrea epiſcopo de Moravia, in eccleſia Glaſguenſi. Obiit Willelmus Cumyn comes de Buchan, fundator abbatiæ de Deir. Anno ſequenti rex Franciæ Ludovicus deſponſavit Margaretam filiam comitis Provinciæ. Sanctus Eadmundus conſecratus eſt in archiepiſcopum Cantuariæ. Obiit Alanus ∴ filius Rotholandi dominus Galweiæ, et conſtabularius Scotiæ, et ſepultus eſt apud

* "Walterum filium Alani de Gallouway, (qui fuit primus qui dicebatur Seneſcallus "in Scotia, quia ipſius ſeneſcallus de facto erat) fecit cum magnum juſticiarium, &c." *MS. D. G. M.* † *Aſſecutus eſt*, MS. Cupr. ‡ *Hondyngton*, MS. Col. Ed. † Patricius de Dumbar comes Marchiæ, *MS. Cupr.* Comes Marchiarum et dominus de Dunbar, *MS. D. G. M.* ‖ Deſiderari videtur aliquid; ſed reverà verba, *induit ſe monachum*, redundant. Vide Chron. Mailros. () "Die S. Sylveſtri, anno comitatus ſui quinquageſimo, et ſepultus eſt in eccleſia beatæ Mariæ de Hecclis. *Chron. Mailr.* ∴ *Magnus Alanus*, MSS. Cupr. et Perth.

Dun-

Dundranan †, relinquens tres filias heredes; quarum primam duxit Rogerus de Quinci comes Wintoniæ, ſecundam Johannes de Balliol, tertiam comes Albemarliæ. Inter quas diviſa eſt terra dicti Alani. Quod indigenæ non æquo animo ferentes, irati ſunt valde, quia à domino rege impetrare nequiverant, quòd Thomas filius naturalis dicti Alani, exhereditatis tribus filiabus ſuis heredibus legitimis, fieret heres et eorum dominus. Propter quod inſurrexerunt rebellione maxima contra regem, et quaſdam terras ſuas vicinas ferro et flamma vaſtaverunt: quod eis in proſperum non ceſſit, ut ſequentia decernent. Tam æquus enim ibique judex cenſebatur rex, ut in judicio nunquam contempſit pauperem, nec oppreſſit viduam; perſonam divitis non recepit; ſed in omnibus judiciis ſuis juſtitiam conſervavit.

† *Addunt MSS. Cup. et Perth.* Cujus epitaphium compoſuit et ſcripſit magiſter Henricus de Audley, dicens;

" Flos cleri, dux militiæ, venerandus Alanus
" Hic jacet: abſolvat hunc tua, Chriſte, manus.
" M ſemel et bis C, ſi jungas X ter et I ter,
" Hoc anno ſubiit mortis Alanus iter.

In laudem ejus proſequitur qui ſuprà:

" Certa Dei ratio totum componderat orbem,
" Et varios fines diverſo munere ditans,
" Non omnes uni dat opes, non omnibus unam.
" Ditat lana Seres, ebur Indos, thus Sabathæos,
" Argentum Aſſyrios, electrum Diſcones, aurum
" Chaldæos, gummi Sabæos, jaſpis Achivos,
" Gemmæ Viennenſes, ſeges Afros, vina Latinos.
" Francia Pipinis, Brabantia milite * ſigni.
" Anglia Richardo, Galwidia gaudet Alano.
" Cuique terræ ſuum bonitas divina valorem
" Indidit, et nullam voluit ſic eſſe priorem,
" Quin et poſterior eſſet; vel ſic meliorem,
" Quin et deterior. Quarum Galwidia pene
" Pauperior, nimium deſerta paruaque diſerta:
" Nec vino nec fruge ferax, nec gente, nec armis
" Bellica; nec cenſu, nec cerere prædita; cunctis
" Subjicitur terris. Sed, mira redemptio! ſi quem
" Defectum patitur Galwidia, ſupplet Alanus."

Iſte magnus Alanus fuit ſemper carus et acceptus regibus Scotiæ, qui pro tempore fuerant; quamvis ponat magiſter Johannes Barberii, in libello ſuo quem edidit in vulgari de ortu et origine *le Stewartis*, quos aſſerit veniſſe de Vallia, et originem habuiſſe de quodam qui dicebatur le Fleanc de Waran; et quòd Walterus Stewart, qui fuit primus eorum, fuit in diebus regis Willelmi; et quòd compeſcuit hunc Alanum rebellantem contra regem; qui tamen nunquam fuit ei contrarius, ut patere poterit per diverſos paſſus præcedentes. Ponit etiam, quòd dominus Alanus Stewart, filius dicti Walteri, fuit in expeditione cum Godefrido Boloniæ rege Jeruſalem, quando Antiochena civitas fuit capta. Cujus contrarium patet, quòd illa magna expeditio fuit in diebus regis Malcolmi Canmor et Willelmi Rufi filii Willelmi Baſtard regum Angliæ. Unde;

" Cum fuit urbs capta tam nobilis Antiochena,
" Undecies centum, ſi ſubtrahas inde bis unum,
" Tunc tot erant anni Domini de virgine nati.

Et obiit Alanus de Galweya anno Domini MCCXXXIII. ut patet ſuprà. Per quod patet, quòd inter hos duos Alanos fluxerunt anni centum triginta tres: et ſic ſequeretur, quod filius eſſet ſenior patre per tot annos, quod eſſet contra naturam. Hic itaque Alanus de Galweya, &c.

CAP.

CAP. XLIX.

Quomodo rex domavit Galwidienſes ſibi rebellantes.

HOC in anno facta eſt magna valde fames in Francia, maximè in Aquitania, ita ut homines herbas campeſtres, ſicut animalia, comederent: valebat enim ſextarius bladi centum ſolidos in Pictavia; et ſecuta eſt magna peſtilentia. Eodem anno Theobaldus Campaniæ comes exercitum colligens, adverſus regem Ludovicum inſurgere attemptavit. Quod agnoſcens rex, ex adverſo cum exercitu uſque ad nemus Vincennarum properabat. Quo audito, comes ad eum nuncios miſit, rogitans, ut iram deponens, offenſam remitteret. Et, ut in oculis ejus gratiam inveniret, duas eidem villas, ſciz. Brayum et Moſterolium in Fordiona *, tradidit imperpetuum quietè poſſidendas.

Anno Domini milleſimo ducenteſimo trigeſimo quinto, Alexander rex Scotiæ, collecto exercitu, Galwalliam † intravit, terram ſedaturus, et de rebellibus ſe ulturus. Quod indigenæ comperientes, dum rex cum ſuo exercitu in papilionibus ſuis quieſceret, de montibus et ſilvis exeuntes, inopinatè aſſilierunt regem. Ipſe enim locus paludidus plenus, et herbâ viſu tenus formoſus, non parvam fiduciam eis dabat. In quos comes ‡ Roſſenſis Machentagard à tergo valide debacchatus, multos proſtravit, et multos fugere compulit. Thomas autem filius Alani domini de Galwallia nothus, qui antea, patre vivente, filiam reguli de Man † deſponſaverat, dux hujus ſceleris cum fautore ſuo Gilroth Hiberniam rediit. In craſtino quoque Galwallenſes omnes qui collo funes imponebant, et gratiam regis et pacem poſcebant, benignè rex admiſit in pacem ſuam: quia etſi, ut prædiximus, juſtitiam ſuam ſemper exercuit, rigorem tamen ſuum miſericordiâ interdum temperavit: quia, ut dicit CASSIODORUS in epiſtola, "Benigni principis eſt, ad clementiæ "commodum tranſilire terminos æquitatum; quando ſola eſt miſeri-"cordia cui omnes virtutes honorabiliter cedere non recuſant." Thomas denuo baſtardus, magni Alani filius qui ſuprà, ex Hibernia cum quodam filio regis Hiberniæ et aliis multis ad Galwalliam rediit, et mox ibidem veniens, naves confregit, ne Hibernici de fuga cogitarent. Qui ſtatim videns ſuos regiæ majeſtati non poſſe reſiſtere, conſilio epiſcopi Candidæ-caſæ, necnon Patricii comitis de Dunbar, et abbatis de Melros, pacem regis humiliter petiit. Quem rex in Caſtro Puellarum ad tempus detinuit, ac ſic abire permiſit. Reliquos Hibernienſes de patria fugere volentes, cives de Glaſgow uno impetu occiderunt. Sed duos natu majores apud Edinburgh rex ab equis diſcerpi præcepit. Ipſi quoque Scoti, eo tempore, de exercitu regis in reditu ſuo, inauditâ crudelitate terras Galwalliæ deſpoliaverunt et eccleſias, adeo ut monachum apud Glenlus, in extremis agentem, nudum relinquerent præter cilicium; et apud Tungland, Priorem cum ſacriſta in eccleſia interficerent. Obiit Willelmus Candidæ-caſæ epiſcopus; cui ſucceſſit Gil-

* *Monſterolium en fors d'Ione*, Gul. de Nangiaco. † Al. *Galwidiam*. ‡ Ita edit. H. et chron. Mailr. at *Thomas Roſſen.* MSS. Col. Edin. et Cupr. † Regis de Arane, *pro* reguli de Man, *ed. Hearn.*

bertus monachus et magiſter noviciorum de Melros. Ipſo anno Alexander rex Scotiæ dedit Marjoriam ſororem ſuam mareſcallo Angliæ comiti de Penbrugh, in die Sancti Petri ad vincula, apud Berwicum.

CAP. L.

De epiſtola Helmandi miſſa cuidam apoſtatæ monacho.

TEmpora circa iſta, in territorio Belvacenſi fuit Helmandus* Frigidi-montis monachus, vir religioſus, et facundiâ diſertus; qui tam eleganter et utiliter compoſuit et diligenter, ab initio mundi uſque ad tempus ſuum, famoſiſſimam quandam chronicam in maximo quodam volumine digeſſit. Et hoc quidem opus ita diſſipatum eſt et diſperſum, ut nuſquam totum reperiatur. Fertur enim quòd Helmandus cuidam familiari ſuo, dompno Garrino Silvanectenſi epiſcopo, quoſdam ejuſdem operis quaternos accommodaverit; ſicque, ſive per oblivionem, ſive per negligentiam, ſive alia de cauſa, penitus amiſerit. Inter multa alia bona quæ compoſuit, ſcripſit et epiſtolam, cujus titulus eſt, *De reparatione lapſi*; protractum ſatis libellum in ſe continentem, miſſam ad Walterum clericum, qui fuit canonicus in ordine Præmonſtratenſi, et novicius in ordine Ciſtertienſi, et tandem quaſi liberum ſe à voto exiſtimans, eo quòd minimè fuiſſet profeſſus, rediens ad ſecularem vitam, duxit uxorem nomine Rixendam. Super quibus rogatus Helmandus à Willelmo fratre ejuſdem Walteri ſocio, et conclauſtrali ejuſdem Helmandi, ſcripſit epiſtolam ad eundem Walterum, ſub ejuſdem Willelmi perſona; ita ut ipſius eſſe videatur. Cujus quidem epiſtolæ principium et finem dignum duxi præſentibus intermiſceri.

Gualtere, Lamentationes et væch. De carmine nihil ad te. Carmen illis detur quibus bonum eſt confiteri Domino, et pſallere nomini Altiſſimi. Carmen illis debetur quorum in cordibus cantatur Domino, pſallitur ſpiritu, mente jubilatur; et quorum operatio Chriſto citharizat, oratio tympanizat, devotio organizat. Nihil enim tibi et carmini: non eſt enim tibi cantare canticum Domini in terra aliena. Nihil tibi et *Ave*; qui non mutas nomen Evæ. Nihil tibi et *Salve*; qui non ſalvas commendata, dum mandata non ſervas. Dum te non paras ad judicium, non comparas auxilium advocati tui Chriſti; ſed ſalvatori tuo crucem reparas ſecundam, mortiſque tibi præparas ſedem cruciatum. Nihil tibi et *Vale*, qui non vivis niſi malè; qui valere non affectas, dum detractas pœnitere. Tu ergo, anima mea, fratri meo expectanti, non reexpectanti, modicum in ſeculo, nimium in peccato, manda, remanda lamentationes et væch. Perluſtratâ namque, cum omni ſollicitudine, materiæ præſentis totâ multitudine, nil invenire potui quod mitterem per carmen: ſed plenus amaritudine, plenus anxietudine, quod ſcripſi, ſcripſi. Salus à non ſano miſſa nugatoria eſt; miſſa verò invito, ſuperflua. Denique quid prodeſt alicui ſalus illa deſtinata, cui nulla ſalus grata? Planè fruſtra ſalutatur, à quo ſalus non optatur.

* Al. *Helinandus.*

CAP.

CAP. LI.

De eodem.

QUIS dabat aquam capiti meo, et oculis meis fontem lacrimarum, ut copioſè lugeam dignum mei fratris interitum! Juſtus es Domine, etiam ſi diſputem tecum; verumtamen juſtè loquar ad te, non tanquam tecum diſputans, ſed tanquam tecum computans quæ mecum ſupputo et fratri meo computo. Adhuc enim frater meus mendicat ſiliquas porcorum in regione illa, in qua fames oritur nec moritur, ubi egeſtas incipit nec definit; nec recordatur infelix quanti, non ſolùm filii, ſed etiam mercenarii, in domo patris ſui abundent panibus. Ipſe verò nec dolore convincitur nec rubore confunditur, quòd et fame pereat, et ſiti torreat, et labore fatigetur, et ſervitute prematur. Et O quàm facili tranſitu hæc omnia tranſiret! duobus tantùm paſſibus à tam gravi exilio reſiliret; quorum primò reverteretur à ſe, ad te verò, Pater, altero converteretur. Juſtiſti autem mihi non ſolùm eum, ſed et quemlibet proximum meum, diligam tanquam meipſum. Sed quis mihi proximior fratre meo? Nuſquam ergo totus aſſum, ubi abeſt frater meus: dimidium eſt enim animæ meæ. Nonne, Domine, tu jubes diligi in tota anima? Quomodo ergo tota anima mea te diliget, niſi utraque ejus medietas te diligat? non enim bene diligeris ad medietatem. Ut ergo te totus diligam, fac, oro, ut te diligat frater meus. Si vis ut ſequar te, ſequatur te et frater meus; neque enim dimidius ſequi te potero. Ut me totum ſalvum facias, ſalvum fac et fratrem meum, qui totum hominem ſalvaſti in ſabbato: quippe nihil facis ad medietatem, ſed quicquid facis perficis; alioquin non diceretur de operibus tuis, DEI PERFECTA SUNT OPERA.

Gualtere, Lamentationes et væch. Lamentatio de præſenti eſt; carmen et væch de futuro. Væch tibi propoſui, ut ab eo fugeres; lamentationes propoſui, ut ad eas confugeres: carmen verò nec poſui, ut, remotâ omnis lætæ rei memoriâ, nulli tranſitorio dulcori cor tuum apponeres. Scilicet quamdiu te juxta flumen Babylonis ſedere cognoſceres, fleres, plorares, gemeres, et in ejus ſalicibus organa ſuſpenderes, et te totum medullitùs dolori exponeres. Nulla tibi de carmine mentio fiet, donec illud impleas præceptum, *Exite de Babylone*; *fugite à Chaldæis*. Sed jam loquatur ad te ipſa lamentatio ſciz. quæ hactenus locuta eſt pro te: "Quomodo cecidiſti, Lucifer, qui mane oriebaris; "qui jubilabas Domino cum matutinis aſtris!" Quando in cœtu novitiorum, in fletu monachorum, in metu converſorum, in conſpectu angelorum pſallebas Altiſſimo! Quomodo attractiva illa cauda draconis cum ſua parte tertia ſtellarum te etiam traxit; cui Deus dederat lucem ſapientiæ, ſplendorem ſcientiæ, jubar intellectûs, ut cum ſtellis ſtantibus luceres, ſi velles, in perpetuas æternitates. Non parco tibi, frater amantiſſime, ut mihi et tibi parcat Deus. Cecidiſti; numquid qui cecidit non reſurget. Septies cadit juſtus et reſurgit; id eſt, quotieſcunque cadit, toties reſurgit. Tu qui cadis toto die, cecidiſti quotidie, cur nec reſurgis vel uno die?

CAP.

CAP. LII.

Admonitio lapſi ut reſurgat.

SURGE frater igitur, ſurge: non enim impoſſibile eſt ſurgere quamvis ſit difficile, et tam difficile quàm facile eſt cadere: facilius eſt, ait Ariſtoteles, deſtruere, quàm aſtruere. *Facilis*, ait poëta, *deſcenſus Averni:*

Sed revocare gradum, ſuperaſque evadere ad auras,
Hoc opus, hic labor eſt.

Non dixit, hoc impoſſibile eſt; ſed, *Hoc*, inquit, *opus, hic labor eſt:* id eſt, poſſibile eſt, etſi difficile ſit. Poſſibile eſt, ſi adhibeatur opus; præbeantur opera, labor exhibeatur. Feſtina igitur ut reſurgas: nam ſi difficile eſt hodie ſurgere, cras erit difficilius:

Qui non eſt hodie, cras minus aptus erit.

Omne autem tempus quod moræ adjicitur, adjicitur et caſui. Quanto jacebis diutiùs, tanto cades profundiùs: ipſum namque jacere eſt cadere. Cadere, fateor, humanum eſt; ſed nihilominus humanum eſt reſurgere: juxta illud, Numquid qui cecidit non reſurget? i. e. Nonne qui potuit cadere poteſt ne et reſurgere? Non reſurgere nullomodo humanum eſt, ſed diabolicum; cujus tota vita ruina eſt. Adjuro te, frater amantiſſime, hortor et obſecro per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitavit nos oriens ex alto, ut taliter adjicias reſurgere, taliter mecum feſtines laborare, ne infernus dividat inter nos. Cur enim nati ex uno carnali utero, et ex ſpirituali renovati uno, dividamur inferno: vel etiam, ut melius dicam, ne dividat inter nos et Chriſtum, qui ejus pretioſo ſanguine redempti ſumus. Excute te de pulvere, dum opus eſt remedio, qui turpiter et temere jaces in ſterquilinio. Surge, curre pro bravio dum licet comprehendere: cum pœnitenti filio ad patrem tu revertere.

De hujuſmodi apoſtatis et fictè religioſis, qui impetrant falſas diſpenſationes, ut poſſint laxiùs vivere, vide nimium terribile lib. 1. c. xxviij. Revelationum dominæ Brigittæ, de quodam nobili canonico et ſubdiacono, qui, obtentâ falſâ diſpenſatione, deſponſavit virginem divitem, ſed præventus morte ſubitâ, non obtinuit quod concupivit: ubi agitur de terribili et horribili ſententia illata à Deo et ab omnibus ſanctis contra eum.

Anno Domini milleſimo ducenteſimo trigeſimo ſexto obiit Gilbertus epiſcopus Dunkeldenſis, et in inſula Sancti Columbæ de Æmonia ſepultus; poſt quem electus ad Dunkelden Galfridus de Liberatione. Ipſo anno reges Angliæ et Scotiæ convenerunt apud Novum-caſtrum, ubi habuerunt colloquium de utriuſque regni pace et arduis negotiis, poſt nativitatem beatæ Mariæ, per tres dies: ubi intererat regina Scotiæ ſoror ipſius regis Angliæ. Hoc anno Henricus rex Angliæ duxit Elianoram filiam comitis Provinciæ in uxorem.

CAP.

CAP. LIII.

De rixa inter Papam et Imperatorem.

ANNO Domini milleſimo ducenteſimo trigeſimo ſeptimo, Alexander rex Scotorum et Henricus rex Anglorum, cum ſuis reginis et utriuſque regni proceribus, convenerunt apud Eboracum in die Sancti Mauritii; ubi per quindecim dies tractaverunt de arduis negotiis regnorum, præſente Othone legato domini Papæ. Peractis quoque tractatibus, rex Scotiæ proſperè repatriavit: ſed regina Scotiæ cum regina Angliæ, cauſâ orationis*, Cantuariam adiit; quæ juxta Londonias defuncta eſt, anno ſequenti, quarto Nonas Martii, inter manus Henrici regis Angliæ et Richardi ducis Cornubiæ fratrum dictæ reginæ. Cujus corpus ſepeliri fecerunt in eccleſia monialium de Tharent cum honore†. Hoc anno obiit Willelmus Malevicinus epiſcopus Sancti Andreæ; poſt quem eligitur magiſter David de Bernhame camerarius domini regis. Obiit magiſter Hugo de Potton archidiaconus Glaſguenſis: poſt cujus obitum diviſus eſt archidiaconatus; quia magiſter Matthæus‡ dictus eſt archidiaconus Glaſguenſis, et magiſter Petrus de Halingtona dictus eſt archidiaconus Thevidaliæ. Obiit dominus Willelmus abbas de Dumfermelyn; cui ſucceſſit Galfridus Prior ejuſdem domûs. Hoc anno oritur lamentabile bellum inter Papam Gregorium nonum, et Fredericum imperatorem, qui dicebatur puer de Apulia: inter quos ſancta eccleſia inauditas perſecutiones perpeſſa eſt. De iſto vide ſuprà, lib. ix. cap. ij. Nam imperator excommunicatus contra Romanam eccleſiam acriùs inſurgens, itinera quoque obſidens, Romipetis inſidiatur. Ob hoc Jacobus Prænestinus epiſcopus, in Franciam legatus à domino Papa, petendi ſubſidii cauſâ, latenter dirigitur; et, peracto negotio, revertens ab imperatore patitur. Sed et dominus Otho cardinalis, in Angliam ab ipſo Papa miſſus, eodem tempore rediens, etiam ipſe ab ipſo imperatore detinetur. Eo etiam tempore dominus Papa concilium epiſcoporum ad ſe vocare nititur, et multi iter aggreſſi ſimiliter capiuntur; ex quibus fuit Petrus de Collemedio archiepiſcopus Rothomagenſis, abbates quoque Cluniaci, Ciſtertii, et Claræ-vallis. Interea obiit Papa, qui quatuordecim annis in pontificatu ſedit; A. Dom. MCCXL. migravit ad Dominum. Fredericus ſubitò moritur, ut infrà eodem cap. lvj. Cui Cæleſtinus quartus ſucceſſit: ſed quia ſenex et infirmus erat, ultra octodecim dies eccleſiam non valuit regere; quia morte prohibitus eſt permanere. Poſtea, diſſentientibus inter ſe paucis, qui à mortis invaſione remanſerat, cardinalibus, vacavit Apoſtolica ſedes viginti et duobus menſibus.

Hic Fredericus mordaciſſima ſcripta fecit contra dominum Apoſtolicum, incipiens proceſſum ſuum contra Papam in hæc verba: *Collegerunt principes et Phariſæi*, &c. Dehinc ſcripſit generaliter omnibus regibus et principibus mundi, ut non obediant Papæ; incipiens ſic proceſſum: *Illos felices deſcribit antiquitas.* Dehinc ſcripſit regi Fran-

*Ita edit. H. et ipſum chron. Mailroſ. noſtri codd. *devotionis.* †Alibi tamen dicitur quod iſta regina Scotiæ obiit apud Cuprum in Fiſe, et ſepelitur apud monaſterium de Dunfermlyn prope regem David. MS. D. G. M. ‡*Matthæus de Habirden*, chron. Mailr.

ciæ, ſignificans aliqua facienda ad tractatum pacis inter ipſum et dominum Papam. Invectivè etiam ſcribit Romanis, eo quòd non oppoſuerunt ſe domino Papæ, quando excommunicationis ſententiam protulit in eundem. Scribit etiam regibus Caſtellæ et Angliæ, et etiam indifferenter omnibus regibus circà, mirabilem proceſſum incipientem ſic; *Levate in circuitu oculos veſtros*, &c. Iſte maximam tyrannidem exercuit in eccleſiaſticos volentes venire ad vocationem Papæ concilio generali, ut præmittitur. Et tandem à legato Papæ et Parmenenſibus turpiter devictus, conſequenter ſubito miſerabiliter, immò et mirabiliter, mortuus eſt, ut patet infrà, cap. lvj.

Anno præcedenti obiit Gilbertus epiſcopus de Abirden; cui ſucceſſit Radulphus de Lanley abbas de Abirbrothoc. Natus eſt Eadwardus primogenitus regis Angliæ pridie Kal. Junii. Henricus abbas de Jedword, ob imbecillitatem corporis, curæ paſtorali renunciavit; cui ſucceſſit Philippus ejuſdem domûs canonicus. Elevata ſunt oſſa Adæ epiſcopi de Cathania de loco ubi poſt martyrium fuerunt ſepulta, et ad ſedem epiſcopalem delata.

CAP. LIV.

De Othone legato Angliæ et Scotiæ, et laude ejus; et falſo conſiliario.

HOC anno, ſcilicet Gratiæ MCCXXXIX. intravit Otho diaconus cardinalis, ſedis Apoſtolicæ legatus, primò terram Scotiæ, circa feſtum Sancti Matthæi Apoſtoli; et in craſtino Sancti Lucæ Evangeliſtæ celebravit concilium ſuum apud Edinburgh: et poſt feſtum omnium Sanctorum à Scotia diſceſſit, et in manus imperatoris, ut præmittitur, incidit. Cujus laudem celebrem commemorat Alexander Nekham in quodam ſermone, quando Londoniis concilium celebravit, dicens: "Hic eſt qui regibus exhibet ſe Johannem, Ægyptiis Moyſen, fornicatoribus Phineas, idololatris Heliam, Hebiſæum avaris, Petrum mentientibus, Paulum blaſphemantibus, negotiantibus Chriſtum: qui vulgum non ſpernit, ſed docet; divites non palpat, ſed curat; pauperes non gravat, ſed fovet; minas principum non pavet, ſed contemnit: qui eccleſias non ſpoliat, ſed emendat; qui marſupia non exhaurit, ſed corda reficit et crimina corrigit. Famæ providet ſuæ, nec invidet alienæ. Qui orandi ſtudium gerit, et uſum habet; ac de omni re orationi plus confidit quàm ſuæ induſtriæ vel labori. Cujus ingreſſus pacificus, modeſtus exitus erit. Cujus ſermo ædificatio, cujus vita juſtitia, cujus præſentia gratia; cujus memoria in benedictione erit. Qui ſe amabilem præbet, non verbo, ſed opere; reverentiam exhibet, ſed actu, non faſtu: qui humilis eſt cum humilibus, cum innocentibus innocens: duros dirè redarguit, malignantes coërcet, retributionem reddit ſuperbis. Qui non de dote viduæ et patrimonio Crucifixi ſe ditari feſtinat; gratis dans quod gratis ſuſcepit; gratis faciens judicium injuriam patientibus, vindictam in natiſonibus, increpationes in populis." Hæc ille: in quibus verbis bonus prælatus ſufficienter deſcribitur.

Circa

Circâ hoc tempus Vetulus rex Arſacidarum † miſit in Franciam, præcipiens ut occiderent Ludovicum regem. Sed Deus cor ejus immutavit, eique cogitationes pacis, et non occiſionis, immiſit: mandans ei ut à primis nunciis ſe cuſtodiret. Unde rex ex tunc corpus ſuum diligentiùs fecit cuſtodiri per homines clavas cupreas aſſiduè deportantes. Primos interim nuncios alii ſollicitè quæſierunt, et inventos ad regem Ludovicum adduxerunt. Quibus viſis, rex gaudens utroſque muneribus honoravit; regique Vetulo regalia xenia, et dona quamplurima pretioſa, in ſignum pacis et amicitiæ, delegavit. Hic rex Ludovicus eodem anno, inſtigante fratre Henrico de Colonia, peroptimo prædicatore, ſub pœna mortis congregari fecit Pariſius nefandiſſimum Judæorum librum, qui Talmud dicitur; in quo inauditæ hæreſes et blaſphemiæ contra Chriſtum, et matrem ejus, locis plurimis ſcriptæ erant. Hujus libri diverſa exemplaria ad comburendum Pariſius adlata ſunt. Flentes igitur Judæi, adierunt archipræſulem, qui regis conſiliarius ſummus erat, et pecuniam pro conſervatione librorum innumerabilem obtulerunt: quâ corruptus, regem adiit, et ad voluntatem ſuam juvenilem animum mox invenit. Redditis autem libris, Judæi ſolennem diem agi conſtituerunt omni anno; ſed in vanum, aliud Dei Spiritu ordinante. Revoluto enim anno, die certo, et ipſo loco quo libri execrabiles redditi ſunt Judæis, hoc eſt in Vincennis prope Pariſius, dictus archiepiſcopus ad conſultationem regis veniens, diro viſcerum dolore correptus, et eadem die cum ejulatu magno vitæ finem accepit. Fugit autem rex de loco cum tota familia, nimirum verens ne cum archiepiſcopo divinitùs feriretur. Nec multo poſt, ut priùs, inſtigante dicto magiſtro Henrico, Judæorum libri congregati ſunt ſub mortis pœna, et in maxima multitudine combuſti ſunt.

CAP. LV.

De eodem, et ſecunda ſponſa regis Alexandri.

SCiendum eſt quòd omnes Orientales Judæi hæreticos et excommunicatos reputant hos Judæos, qui contra legem Moyſis et prophetas hunc librum, qui Talmud dicitur, recipiunt et conſcribunt. Sed tunc qualiter archipræſul, legis Chriſti defenſor, puniri meretur, his verſibus inſinuatur:

Peccat in auctorem, pervertit jus, tribulatur
Pax ſtatûs eccleſiæ; pro quo reus hic feriatur.

Cùm igitur rex Alexander de prima conjuge ſua natos non haberet, conſilio ſuorum procerum uxorem duxit filiam nobilis viri Ingelrami de Couchi, Mariam nomine, die Pentecoſtes, Idus Maii, apud Roxburgh, anno Domini milleſimo ducenteſimo trigeſimo nono. De qua genuit filium, cui nomen patris impoſitum eſt, Alexander. Natus eſt autem apud Roxburgh, prid. Non. Septembris, viz. feſto tranſlationis Sancti Cuthberti, feriâ quartâ, ætatis anno patris ſui quadrageſimo quarto incipiente, et regni ſui viceſimo ſeptimo penè finito *. Quo

† *Arcidæ*, MSS. Col. Ed. et Cupr. * A. D. ſcilicet MCCXLI.

anno,

anno, à dominica poſt natale Domini uſque ad exaltationem ſanctæ crucis, fuit ſiccitas magna, vinaque tam fortia fuerunt ut non poſſent bibi commodè ſine aqua. Eo tempore apud Cremonam facta eſt tempeſtas maxima, ceciditque lapis grandinis, in quo erat crux et imago Salvatoris expreſſa: deſuper quoque literis ſcriptum, JESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM. Cecidit autem in monaſterio Sancti Gabrielis; et de aqua, in quam liquefactus eſt, inunxerunt monachi cujuſdam fratris oculos cæcutientis, ſtatimque clarè vidit. Hoc etiam anno, antequam Tartari Turquiam deſtruxiſſent, quidam Turquianus in regno Turquiæ contra Soldanum in regno ſe extulit; ac per duos menſes et fere dimidium debacchationem ſuam exercuit. Hic Paperoiſſole vocabatur, et bajulationem habebat ſuper quatuor caſalia. Qui cùm die quadam equitaret per campos jumentum ſuum pulchrum, quidam ruſticus pedeſter ei occurrit ejulans et clamans, quia lupus rapuerat, et in ſilvam deportaverat, ejus filium. O! inquit ruſticus, audi me, homo, et adjuva miſerum; faciamque te divitem hominem, vel, ſi malueris, Soldanum. Cui Paperoiſſole, auditâ ejus cauſâ, et accepto de promiſſione juramento, lupum inſecutus ei puerum abſtulit, et ad patrem reportavit. Ruſticus ergo puerum vivum lætanter recipiens, Paperoiſſole dixit; Elige quod vis de duobus promiſſis. Ille reſpondit; Quis es tu? Ego ſum, inquit, qui de nocte vado cum dominabus, quæ Nymphæ vocantur, et ſum Dei nuncius: et quicquid dicere tibi, eveniet. Tunc ille; Satis, inquit, dives ſum, ſed fac me Soldanum. Ruſticus quoque ait; Vade ſtatim ad parentes tuos, quia magnæ es parentelæ, et congregatis in unum die, quòd nuncius Dei tibi appatuit, dicens Deum te velle Soldanum eſſe. Quod cùm ille feciſſet, incepit multa circa ſe caſalia invadere atque deſtruere, omnibuſque cum quibus præliabatur prævalere; eoſque animare ut viriliter pugnarent, nihilque mali timerent, quia nullus moreretur neque vulneraretur. Hac confidentiâ contra Armenos inſultum fecerunt, ubi Paperoiſſole cum ſuis vulnerati occubuerunt.

CAP. LVI.

De aliis incidentibus, et de mirabili acceſſu montis ad montem.

ANNO Dom. MCCXL. Gregorius Papa ex omni regno Chriſtianæ fidei mandavit epiſcopis, ut perſonaliter Romam venirent. Inter quos vocati ſunt nominatim Willelmus epiſcopus Glaſguenſis, et David de Bernhame epiſcopus Sancti Andreæ, (qui ipſo anno in die Sancti Vincentii conſecratus fuit in ſede ſua à prædicto epiſcopo Glaſguenſi) qui in adventu Domini, verſus Papam iter arripuerunt. Obiit Galfridus abbas de Dunfermelyn; cui ſucceſſit Robertus de Koldeleth ejuſdem domûs monachus. Et tranſitus Sancti Eadmundi Cantuarienſis archiepiſcopi, in exilio apud Pontiniacum, et per Papam canonizati. Obiit Walterus filius Alani junioris, anno ſcilicet Domini milleſimo ducenteſimo quadrageſimo primo. Willelmus Glaſguenſis et David Sancti Andreæ epiſcopi, cum epiſcopis Franciæ et Angliæ, repatriaverunt, factâ applicatione contra legatos qui eorum ductores fuerunt. Dicebant enim ſe, ſine mortis periculo, ad præſentiam domini Papæ

non

non poſſe venire. Illis ergo repatriantibus, procuratores eorum cum aliis magnis et multis viris religioſis iter per mare arripuerunt, propter inſidias imperatoris. Wallenſes, qui ſunt reliquiæ Britonum, qui à diebus Bruti, qui primus princeps erat, principem de gente ſua propria habuerunt, illo anno ita ſubjugati ſunt, ut apud Londonias, Anglorum more, cauſas ſuas determinent; ſecundùm prophetiam Merlini dicentis, quòd *rubeus draco*, id eſt Britones, *languet in extremitate ſtagni*, id eſt inſulæ, *oppreſſus ab albo dracone*, per quem Angli deſignantur. Hoc anno obiit Papa Gregorius IX. qui ſententiam, quam Honorius prædeceſſor ſuus contra Fredericum fulminaverat, roboravit. Hic per fratrem Reymundum ordinis fratrum prædicatorum pœnitentiarium capellanum, ex pluribus voluminibus Decretalium compilavit unum volumen, quod *Summa Reymundi* vocatur; mandans ubique doctoribus illo uti. Hic etiam Fredericus proprium filium Henricum nomine, regem tunc Alemanniæ, accuſatum ſibi de rebellione, captum in Apuliam ducens, in ſqualore carceris ſuffocavit. Hic Fredericus excommunicatus, poſt ſuam ab imperio deſtitutionem, cùm inter civitates Lumbardiæ Parmam, tanquam magis exoſam ſibi, forti manu obſideret, à legato domini Papæ, et à Parmenſibus eſt devictus. Ubi, amiſſis theſauris et aliis rebus ſuis, in Apuliam rediens, ſubito eſt defunctus. Iſtius etiam tempore, in Burgundia imperiali, per terram ſolidam à montibus circiter quinque millia hominum ſuffocantur. Nam unus maximus mons, ſe dividens ab aliis montibus, perplura milliaria cujuſdam vallis tranſiens, ad alios montes acceſſit, et in valle omnes villas terrâ et lapidibus obruendo. Eodem tempore, in Tholeto Hiſpaniæ, quidam Judæus, comminuendo unam rupem, pro vinea amplianda, in medio lapidis invenit quandam concavitatem, nullam penitùs diviſionem habentem neque ſciſſuram; et in concavitate illa reperit unum librum, quaſi folia lignea habentem; qui liber tribus linguis ſcriptus, videlicet Hebraicè, Græcè et Latinè, tantum de litera habebat, quantum unum Pſalterium; et loquebatur de triplici mundo ab Adam uſque ad Antichriſtum, proprietates hominum cujuſque mundi exprimendo. Principium verò tertii mundi poſuit in Chriſto ſic; "In tertio mundo "filius Dei naſcetur ex virgine Maria, et pro ſalute hominum patie"tur." Quod legens Judæus, ſtatim cum domo ſua baptizatus eſt. Erat etiam in libro ſcriptum, quòd tempore regis Caſtellæ Ferrandi debebat liber inveniri. Quod utique ſic evenit. Simile legitur accidiſſe tempore Conſtantini VI. circa annos Domini octingentos, qualiter quædam lamina aurea apud Conſtantinopolim in quodam ſepulchro, cum quodam defuncto ibidem jacente inventa eſt, cum hac ſcriptura: *Chriſtus naſcetur de virgine Maria, et credo in eum. Sub Conſtantino et Hirene imperatoribus invenietur. O ſol iterum me videbis.*

CAP. LVII.

De probitate Francorum contra Tartaros, &c.

ANNO ſequenti contigit Turcos cum adjutorio Francorum Tartaros fortiter debellare; et in quodam conflictu capti erant duo Franci apud Arſengan à Tartaris; quorum unus vocabatur de Brunduſio, alter verò Reymundo Guaſco. Cúmque tenerentur captivi, quidam Tartarorum qui audierant quòd Franci fortes bellatores erant, ſuggeſſerunt ceteris majoribus, ut illi duo pugnarent inter ſe; quia modum pugnandi eorum libenter aſpicerent, congaudentes eorum interfectione manibus eorum facienda. Itaque de communi majorum aſſenſu factum eſt, ut inter ſe pugnarent illi duo Franci, equis et armaturis, prout fieri potuit, competenter præparati. Cùm autem armarentur et præpararentur, inter ſe ſunt collocuti, Quòd ſive ſic, ſive ſic, de neceſſitate ac ſine dilatione opportebat eos mori: ideoque, quod Tartari ſperabant ipſos invicem facturos de ſeipſis, ipſimet facerent de Tartaris. Hoc itaque communi aſſenſu inter ſe firmaverunt, Dei miſericordiam ſibi affuturam invocantes, ac invicem ſibi de peccatis ſuis confitentes. Præparati ergo ad duellum, alter alteri cominus quaſi congrediens, ac velut in comparem ſuum inſiliens, in Tartaros irruerunt, primò quidem lanceis, et poſtmodum gladiis eos confodientes ac detruncantes; ita quòd quindecim ex eis interfecerunt, et alios triginta graviter vulneratos, antequam ab illis interfecti fuiſſent. Ibi reliquerunt probitatis ſua argumenta. Hoc etiam in anno Willelmus epiſcopus Ergadiæ in mare ſubmergitur. Rex Ludovicus contra Hugonem Marchiæ comitem in Pictaviam perrexit; qui ſcilicet comes contra eundem regem rebellis erat, et Henricum Angliæ regem ac Richardum fratrem ejus, ducem Cornubiæ in auxilium habebat. Et hi duo uxores habebant filias comitis Provinciæ, ſorores ſciz. reginæ Franciæ. Prædictus autem Hugo habebat uxorem ipſius regis Angliæ matrem. Anno quidem præcedenti, rex Ludovicus multam regni ſui militiam apud Salminum convocans, Adefonſum fratrem ſuum ibidem novum militem fecit: cui antea filiæ comitis Tholoſani nomine Johannis conjugaliter ſociato, terram Averniæ, Pictaviæ, terramque Albigenſium poſſidendas conceſſit. Quibus peractis, ab Hugone comite Marchiæ, ut eidem fratri ſuo, ſcilicet Adefonſo comiti Pictavenſi, prout debebat, hominium faceret, petiit: ſed ille nullatenus ſe facturum aſſeruit. Unde rex hujus præſumptionis ac ſuperbiæ non immemor, anno ſequenti exercitum regni congregavit, et cum infinita multitudine bellatorum terram illius introivit. Et primò caſtrum, quod Moſterolium in Gaſcina dicitur, obſidens, in brevi ſubjugavit. Poſtmodum ad turrim Berugiæ ſe convertens, eamque capiens, ipſam cum appendiciis ſuis dirui penitùs fecit. Poſt hæc, in caſtrum Frontenaium Galfridi de Liſegnio, qui erat in auxilium comitis Marchiæ, fortirer expugnavit, ipſumque cito ſibi potenter ſubjecit: ſimiliter et aliud caſtrum ejuſdem Galfridi fortiſſimum, quod appellatur Noventum.

CAP.

CAP. LVIII.

De præparatione regum Franciæ et Angliæ contra ſe mutuò ad bellum.

IN expugnatione Frontenaii, baliſtarius quidam quarellum ad turrim jaciens, Adefonſum comitem Pictavenſem, fratrem regis Ludovici, in pede graviter vulneravit. Quo viſo, rex caſtrum acriùs impugnari juſſit. Eoque capto, defenſores ejus, ſcilicet filium Marchiæ comitis illegitimum, et quadraginta unum milites, cum octoginta ſervientibus, et aliis quamplurimis, rex partim Pariſius, partim alibi, per diverſa loca miſit. Interea Marchiæ comitiſſa ſervientes donis et promiſſionibus illectos, ad curiam regis Ludovici cum veneno, ut ipſum et fratres ejus impotionarent, miſit. Quos idem rex deprehenſos atrociſſimo carcere mancipari juſſit. Itaque poſtquam caſtra quædam Pictaviæ dirui, quædam verò guarniſionibus ſuis muniri fecit, cùm eſſet in quodam mariſco, pontes elevari faciens, ulteriùs verſus regem Angliæ, qui in urbe Xanctonenſi latitabat, tranſire voluit. Quod quia importunitatem tranſitûs abſque diſpendio implere non valuit, verſus Caleburgum caſtrum Gaufridi de Ranconio rediit, ibique tentoria ſuper aquæ ripam fixit. In altera verò ripa ſtabat rex Angliæ, cum fratre ſuo Richardo, et Hugone comite Marchiæ, ac Simone de Monteforti, ceteriſque militibus et baliſtariis, ac multitudine grandi. Qui, ſcilicet rex Angliæ, poſtquam exercitum Francorum deprehendit, licet ad bellum paratus, tamen per tractum duarum baliſtarum et ampliùs cum ſuis militibus ſe retraxit. Tandem bellum commiſerunt durum et aſperum, non ſine magna ſtrage Anglicorum. Deinque rex Angliæ et comes Marchiæ noctu de urbe Xanctonenſi receſſerunt, caſtrumque vacuum reliquerunt. Tunc in mane cives ad regem Ludovicum acceſſerunt, eique claves reddiderunt. Nec prætereundem eſt, quòd in prædicto conflictu Anglici ſtupefacti, ad vicecomitem Caſtri-Eraudi, qui ſatis probè ibi ſe habuit, cùm haberent arma Richardi comitis armis ſimilia, confugiebant perterriti, ſeque dicentes eſſe de parte illa, cogniti ſunt ac retenti. Poſt hæc Reginaldus de Pontibus, potentiâ regis perterritus, venit et fecit homagium comiti Pictavenſi publicè coram regis baronibus. Eâdem quoque nocte, Hugo miles comitis Marchiæ primogenitus ad regem venit, ſub hac forma cum eo de pace tractaturus; videlicet quòd tota terra quam idem rex ſuper patrem ſuum acquiſierat, comiti Pictavenſi remaneret; et de reſidua comes Marchiæ cum filiis ſuis voluntati regis omnimodo ſtaret; ita tamen ut idem comes caſtrum Achardi cum duobus aliis regi traderet, in quibus rex, ad expenſas dicti comitis, guarniſionem ſuam haberet. In craſtino Marchiæ comes cum uxore ſua prædicta completurus venit, et genu flexo, cum lacrimis ac ſuſpiriis coram rege veniam de offenſa petitam obtinuit. Rex verò per eandem pacem quam idem comes ſecum feçit, homagia quæ ipſius fuerant, ſcilicet homagium Reginaldi de Pontibus, et Gaufridi de Ranconio, et comitis Angi, et Gaufridi de Liſegnio ſibi retinuit. Hoc anno David de Bernhame epiſcopus S. Andreæ tenuit ſynodum ſuam apud Muſkilburg, ubi multa laudabilia fecit ſtatuta, ſcilicet die Lunæ proximâ poſt inventionem ſanctæ crucis.

CAP.

CAP. LIX.

De combuſtione Patricii comitis Atholiæ apud Hadington.

ANNO Domini MCCXLII. rege Alexandro cum regina perhendinantibus in Moravia, auditis rumoribus de adventu regis Angliæ ad partes ſuas, de tranſmarinis acceleraverunt greſſus verſus ipſum regem. In cujus occurſum nobilis ille ſatrapas Willelmus Biſet compulit regem opido, ut apud eum maneret ad caſtellum ſuum Obeyn duabus noctibus. Vix autem rex unâ nocte ſecum manſit. Idem verò Willelmus, acceptâ licentiâ à domino rege, dominam reginam per quatuor noctes perhendinavit. Eo tempore congregati ſunt omnes quaſi proceres, magnates, et milites regni ad quoddam haſtiludium apud burgum regium de Hadingtona: quod in fine vertebatur in juguludium. Nam eâdem nocte, haſtiludio finito, quidam proditores ex parte, ut dicitur, Biſetenſium, Patricium comitem Atholiæ, filium Thomæ de Galweia, juvenem egregium, in hoſpitio ſuo honorabili, à parte et in fine occidentali vici regii ejuſdem ad Circium, ſoporatum, unà cum duobus ſociis ſuis, nequiter et ſceleratiſſimè, pro quibuſdam inimicitiis apud anteceſſores ſuos inveteratis, perimerunt. Et ut tantum facinus lateret, pulchrum manerium et palatium, necnon domum in qua jacuerunt, combuſſerunt; ut ipſi non manibus occiſi, ſed ab igne accidentaliter accenſo viderentur extincti. Poſt ejus obitum, David de Haſtingis ejus accepit comitatum provenientem ſibi ex parte uxoris ſuæ, quæ erat matertera Patricii comitis occiſi. Hoc facinus multi impingunt domino Willelmo Biſeti: ſed quomodo ipſe illâ nocte illi facinori poterat intereſſe, qui reginæ famulatui apud caſtrum ſuum de Obeyn opportuerat deſervire? Nam, quia multi multa loquuntur, quidam dicunt, quòd ibi in perſona propria non erat, ſed arma ejus et milites, et omne robur ejus, de ipſius ſcientia, ibidem intererant. Regina autem præſtare juramentum parata fuit, quòd nunquam dictus dominus Willelmus tantum nefas attemptare diſpoſuit. Rarò igitur fides adhibenda eſt, &c. Idem Willelmus Biſet in capella ſua omnes factores et fautores hujus incendii, et per omnes eccleſias Scotiæ, accenſis et extinctis candelis, excommunicare feeit. Inſuper ſupplicavit domino epiſcopo Abirdonenſi, ut in eccleſiis in dioceſi ſua conſtitutis prædictam ſententiam publicaret, et eâdem die epiſcopus confirmaret. Quod et factum eſt. His etenim diebus, omnes epiſcopi Scotiæ tenuerunt concilium cleri apud Perth: ubi rex interfuit, cum omnibus comitibus et baronibus totius terræ ſuæ, vocatis ad inſtantiam cleri conquerentis de militaribus infeſtantibus eum de decimis et immunitatibus eccleſiæ. Intravit autem dominus rex concilium epiſcoporum, et præcepit, ne quis * miles aut baro aliquam injuriam, moleſtiam, aut gravamen contra ſacroſanctæ eccleſiæ conſuetudinem † eis inferret, ſtatutis pœnis ultricibus in transgreſſores ‡. Secedente rege cum ſuis baronibus de domo

* Ne quis, quâcunque præeminentiâ fulgeret, *MS. Cupr.* † Contra ſ. e. conſuetudinem et libertatem, eccleſiaſticis vel eorum redditibus inferret, *ibid.* ‡ Addit MS. Perth. "Sine miſericordia jaculatis. Unde reliquis diebus ſuis eccleſia talem defenſorem lætata "eſt inveniſſe, et in maxima proſperitate proſperatur."

cleri

cleri in illo concilio ſeorſum apud ſe, conqueſti ſunt omnes comites de combuſtione comitis Atholiæ. Et rex aviſatus, qui nihil voluit de arduis emergentibus ſine matura deliberatione et diſcuſſione judicii facere, aſſignavit eis certos diem et locum apud Forfar, ubi eis dominus Willelmus Biſet reſponderet.

CAP. LX.

De implacabili commotione Atholienſium contra Biſetos.

IN ultionem tam immanis ſceleris acceleraverunt ſe qui erant cognati comitis Atholiæ, ſciz. heres de Buchan, et Johannes Ruffus nepos ejus, qui fuit in bello ſtrenuus, et in omni congreſſione militari præſtantiſſimus, deprædati ſunt depopulatique omnia jumenta, oves et boves, ac cetera ſingula quæ pertinebant ad aliquem ex parte domini Willelmi Biſet, vel aliquâ conſanguinitate, vel aliquo titulo qui ad eum contingebant. Ipſe autem Willelmus Biſet in caſtro ſuo ibidem ſe tenens, incendit omnia horrea ſua et omnes domos quæ extra caſtrum fuerant. Quod factum ut audivit rex, multum ſibi diſplicuit: et ſub omni pœna incumbenti per milites ſuos mittens, prohibuit diſtrictè illis Cumynenſibus, ne ultrà invaſionem talem in regno ſuo facerent, ſed ſe pacificè, quoad uſque judicium ſuper præmiſſo ſcelere daretur, continerent. At cùm clamor vulgi inſonuiſſet auribus cunctorum, tyrannide Cumynenſium regnum eſſe ſubvertendum, fertur ſic regem reſpondiſſe; Proh dolor! patriotæ miſeri quamlibet muſcam putant eſſe aquilam, timentes à facie murium, ſcilicet prædonum, ſicut ab incurſu leonum. Taliter igitur eos tandem compeſcuit rex, ut deſierint ultra proſequi innocentes. Appropinquante igitur die reſponſionis Biſetenſium, ſummonitus eſt exercitus de Mar, et milites circumquaque habitantes, ad faciendum conductum Willelmo Biſet à caſtello ſuo Obeyn uſque ad colloquium domini regis apud Forfar: ubi appetierunt eum multis clamoribus de aduſtione comitis Atholiæ, et ſociorum ejus. Quod ipſe conſtanter abnegavit; offerens ſeipſum in ſingulari conflictu contra militem quemlibet hoc probaturum, vel, per juramenta militum emeritorum quorumque vellent, ſe innocentem oſtenſurum. Comites verò quicquid oblatum fuerat reſpuerunt: interrogantes tamen ſi vellet ſe committere juramentis compatriotarum, et ſuper viciniam ſe ponere? Ipſe autem præponderans malitiam ruſticorum, et inexorabiles inimicitias adverſariorum, elegit ſe potiùs ſubmittere fideli conſilio domini regis, poſſeſſiones et infeodationes, et omnia bona mobilia ſua et immobilia liberæ diſpoſitioni commendans, quàm judicium ſuper incertis ſuſtinere. Dominus autem rex noluit eum ſubito diſſaiſire, ſed illas calumnias differre. Unde datus eſt ei terminus ad ſe peremptoriè excuſandum, et ad omnes exceptiones dilatorias proponendum, in craſtino beatæ virginis Catharinæ apud Caſtrum Puellarum. Interim rex Scotiæ adiit regem Angliæ de tranſmarinis reverſum, apud Eboracum. Eodem anno obiit Andreas epiſcopus Moraviæ.

CAP. LXI.

De forbannitione Biſetenſium, et commotione regis Angliæ contra regem Scotiæ.

AD diem præfixum, apud Caſtrum Puellarum comparuerunt dominus Willelmus Biſet et milites ſui. Aſtiterunt et comites cum infinita multitudine adverſus eos, condemnantes eum et omnes ſuos fautores uſque ad mortem. Tractatumque eſt hinc inde de pace; et ecce turbatio. Tandem Willelmus, Johannes, et Walterus Biſet avunculus, eorumque complices, judicio et conſilio omnium procerum Scotiæ exlegantur; terris eorum et uxoribus, ac eorum liberis, in manu domini regis relictis. Et, tactis ſacroſanctis, juraverunt coram domino rege, et voverunt ſe in Terram Sanctam ſine aliqua dilatione profecturos; ibidemque omnibus diebus vitæ ſuæ, pro anima dicti comitis, peregrinaturos. Et ita receſſerunt, habentes licentiam manendi in terra per quadraginta dies: quorum poſteritas Hiberniam inhabitat uſque nunc. Anno ſequenti, i. e. milleſimo ducenteſimo quadrageſimo tertio, quidam Scotus, cujus nomen in chronicis reticetur*, tanquam alter Typhon factus, in Anglia regem Henricum, et fratrem ejus Richardum, adulationibus cum infinitis accuſationibus, fingendo, componendo, mentiendo, necnon omnes proceres Angliæ provocavit, ut inſurgerent adverſus regem Scotiæ, et convenirent ſimul adverſus regnum ejus: et quanto familior fuit aliquando regi Scotiæ, tanto liberior et audacior fieret modò ad proponendum verba nequitiæ et fallaciæ; teſte veritate, quæ ait; *Inimici hominis domeſtici ejus.* In tantum enim exaſperaverat regem Angliæ, et reghi principes, ut toto adniſu ſuo univerſum regnum Scotiæ ſuo, ſi poſſet, dominio vellet ſubjugare. Propter quod coadunato Henricus Angliæ rex exercitu ſuo copioſo, venit ad Novum-caſtrum ſuper Tynam, commiſſurus bellum contra regem Scotiæ Alexandrum, eo quòd quoddam caſtellum erectum fuit per Scotos in marchiis inter Scotiam et Angliam, in valle ſcilicet de Liddale †, quod appellatur Hermitage. Cui rex Alexander præmunitus non ſegniter occurrit, cum exercitu ſuo bene expedito, uſque Caldenle ‡, ubi omnes majores natu fidelitatem domino regi renovatam fecerunt; et ſic unanimes proceſſerunt uſque Penteland, contra regem Angliæ, ſi Laudoniæ partes intraret, congreſſuri. Quod cùm audiſſet rex Angliæ, miratus eſt ‡ ultra modum audaciam Scotorum; et ad inſtantiam Eboracenſis archiepiſcopi, et aliorum magnatum, rex Angliæ de facili bello ceſſit, et pax inter reges reformata eſt. Et quia comperit rex Angliæ ſe modicum in Galliis et Scotia bellando proficere, verſus Walliam convertit habenas *. Et anno ſequenti, ortum eſt bellum inter regem Angliæ, et David principem nepotem ſuum. Hoc anno Wallenſes, reliquiæ Britonum, qui à diebus Bruti .·. de gente ſua proprium principem habue-

* At in chron. Mailroſ. expreſſe vocatur Walterus Biſet. † Al. *Lidelis* et *Lidiſdal.* ‡ *Caldwel*, MS. Harl. ‡ Miratus audaciam Scotorum, *MS. Col. E.* * Eo quod Wallenſes rebellabant Angligenis, eorum ſervitium non volentes nec valentes ſupportare. *Ed. Hearn.* .·. Bruti, qui primus eorum princeps extiterat, de gente ſua propria regem et principem habuerunt, per hoc tempus ita ſubjugati ſunt, ut apud Londonias, principalem Anglorum civitatem, cauſas ſuas, &c. *Ibid.*

runt,

runt, ita ſubjugati ſunt, ut apud Londonias, Anglorum more, cauſas ſuas determinent, ſecundùm prophetiam Merlini: *Rubens draco*, i. e. Britones, *in extremitate ſtagni languebit*, i. e. extremitate inſulæ, *oppreſſus ab albo dracone*, per quem Angli deſignantur. Griffinus filius Leulini putans ſe evadere de turri Londoniarum, cecidit de eadem, et fracto collo exſpiravit. Hoc anno combuſti ſunt fere omnes burgi Scotiæ, viz. Hadington, Roxburgh, Lanark, Strivelyn, Perth, Forfar, Montros, et Abirden, uſque ad cineres. Novum etiam opus Canoniæ, ubi corpus bonæ memoriæ Andreæ Moravienſis epiſcopi tumulatum, in modico læſum eſt: cujus buſtum fratres Vallis-caulium de Pluſcardi ad eccleſiam ſuam aſportaverunt ad ſepeliendum: quod rapido curſu Moravienſes clerici, nullo obice, reduxerunt, et condigno honore ſepelierunt. Dominus rex videns, quòd nihil fecerunt juſtitiarii quos conſtituit ad reformandum invaſiones, quas fecerant Alexander de Buchan et Johannes Ruffus, et complices ſui, ſuper terram domini Willelmi Biſet; et quòd nec voluerunt transgreſſores cohibere, nec domino regi nunciare; eos amovit, et dominum Alanum Durward juſtitiarium conſtituit, qui regni et regis negotia diligenter et moderatè tractavit.

CAP. LXII.

De aliis eventibus et incidentibus.

QUidam autem ſpurius filius quondam Thomæ Atholiæ, frater illius qui combuſtus eſt, vocabulo Alanus, abiit in Hiberniam, eo quòd eſſet ex nobili matre, quoddam manſiunculum Johannis Biſet, Viteris vocatum, invaſit; et, in ultionem fratris ſui, quicquid generis erat in eo maſculini in ore gladii occidit; boves et oves, ac jumenta omnia, deprædatus eſt. Quod cùm innotuit Johanni Biſet, lacrimabilem querelam depoſuit coram rege Angliæ et proceribus ſuis, accuſans graviter regem Scotiæ, eo, ut dicebat, quòd homo ejus eſſet. Propter quod rex Angliæ mandavit regi Scotiæ, ut mitteret ei illum qui tantum nefas operatus eſt in terra ſua. At rex Scotiæ renunciavit, dicens; Quòd homo ſuus non eſſet, ſed ſicut vagabundus vel externus ad veniendum et ad recedendum nunc in Anglia, nunc in Hibernia, nunc in Norweia, ſuam melius quæſiturus victitationem. Cujus inſtinctu apparebat veriſimiliter inter regna diſcordia oriri. Anno ſequenti, viz. milleſimo duceteſimo quadrageſimo quarto, reges ad invicem concordati ſunt. Rex Franciæ Ludovicus de gravi morbo mirabiliter convaluit; nam triduo ſine motu vitali jacuit, et, ſtupentibus qui aderant, ſubito elevatis oculis, benedixit nomen Domini, et ſignum crucis per epiſcopum Pariſiaſenſem humero ſuo imprimi fecit. Hoc anno deſtructa eſt terra Hieroſolymorum à Sarracenis. Abbas Henricus de inſula Sancti Columbæ curæ paſtorali reſignavit, et paulo poſt obiit: cui ſucceſſit Thomas, vir magnæ moralitatis et ſcientiæ. Anno Gratiæ MCCXLV. obiit abbas Adam de Harkaris, qui domum de Melros, quamdiu vixit, honorificè gubernavit: cui ſucceſſit Matthæus ejuſdem cellerarius, et à Willelmo Glaſguenſi epiſcopo in eccleſia de Melros benedicitur. Anno ſequenti corpus Henrici de Balliof à Sancto Jacobo deportatur,

deportatur, et apud Melros honorificè ſepelitur. A. D. MCCXLVII. obiit Radulphus epiſcopus Abirdonenſis, qui primo fuit abbas de Abirbrothoc, vir magnæ honeſtatis: cui ſucceſſit magiſter Petrus de Ramſeia, vir nobili ortus proſapiâ, et clarâ ornatus ſcientiâ; qui per reſcriptum Apoſtolicum impetravit, ut quælibet vicaria in epiſcopatu ſuo ad quindecim marcas taxaretur argenti. Quod videntes abbates de Abirbrothoc et Londoris, ſe in hac taxatione indebitè gravari, fecerunt quaſi omnes abbates et majores Priores Scotiæ convocari *: et ne ceteri coëpiſcopi alios quoque religioſos hujuſmodi taxationibus gravarent, unanimi conſenſu, dicti abbates ſedem Apoſtolicam appellaverunt; et ſic ordinationem dicti epiſcopi Abirdonenſis caſſaverunt.

Hoc anno Sanctus Eadmundus Cantuarienſis archiepiſcopus, cujus ſacroſancti corporis gleba in Ponteigniacenſi cœnobio requieverat, de terra eſt elevatus; qui anno præcedenti auctoritate Apoſtolicâ fuerat canonizatus, et in catalogo Sanctorum deputatus. Hic præſul, pro juſtitia et defenſione eccleſiæ ſuæ relegatus, mari tranſito, ad Ponteigniacum pervenit: noverat enim ibi eſſe commune refugium omnium de regno Angliæ exulantium pro juſtitia prælatorum. De quo ſic ait quidam:

Eſt Ponteigniacum pons exulis, hortus, aſylum:
Hic graditur, ſpatiatur in hoc, requieſcit in illo.

In quo antea erant exules Sancti Anſelmus, Thomas Cantuarienſis, et Stephanus Langton, et ipſi omnes primates Angliæ et archipræſules Cantuarienſes.

Anno Domini MCCXLVIII. nobiliſſimus rex Francorum Ludovicus iter tranſmarinum arripuit, viz. feriâ ſextâ poſt Pentecoſten, exiens de Pariſius; cum quo Odo Tuſculanus epiſcopus, Apoſtolicæ ſedis legatus, et duo fratres ejuſdem regis, Robertus videlicet comes Attrebatenſis, et Carolus comes Andegavenſis, multiſque cum Franciæ regni baronibus et epiſcopis. Adefonſus quoque, dicti regis frater, comes Pictavenſis, crucem acceperat tranſmarinam; ſed illo anno, cum domina Blanca regina matre ſua, remanſit ad regni cuſtodiam. Rex cum ſuis in inſula Cypri hiemaverunt. In ipſa autem peregrinatione Patricius venerabilis comes de Dunbar, et curialis miles ------ de Lindſay, et alii quamplures nobiles Scoti, inter alios Francigenas ab hac luce migraverunt. Qui Franci fuerunt Robertus epiſcopus Belvacenſis, et comes Montisfortis, comes quoque Vindocinenſis, Willelmus de Melloto, et Willelmus de Barris, Erchenboldus de Borbone, et comes Drocenſis, et alii quamplures milites ducenti et quadraginta. Obiit Hugo abbas de Kalchou; cui ſucceſſit Robertus de Smalhame, ejuſdem domûs monachus.

* *Ad capitulum generale*, addit MS. Cupr.

CAP.

CAP. LXIII.

De morte nobilis Alexandri regis II.

ANNO Domini milleſimo ducenteſimo quadrageſimo nono, rex Ludovicus illam famoſiſſimam civitatem Damietam viriliter debellans, interfectis hoſtibus, cepit, et cum ſuo exercitu undecimo Kal. Julii introivit. Obiit Philippus abbas de Jedword; cui ſucceſſit Robertus de Giſeburn. Eodem anno inclitus ille Scotorum rex Alexander ſecundus, qui ſemper iniquitatem odivit, et æquitatem ac juſtitiam dilexit, dum ad ſedandas partes Ergadiæ proficiſcitur, gravi infirmitate corripitur, et ad inſulam quæ Kernery dicitur tranſportatur; ubi, perceptis ſalutis æternæ ſacramentis, ejus felix anima ab hac luce eripitur, et cum ſanctis omnibus, ut pium eſt credere, in cœlis collocatur. Corpus verò ſuum, ut ipſe adhuc vivens delegaverat, ad Melroſenſem eccleſiam tranſportatur, et in ea, celebratis ſolenniter exequiis debitis more regio, terræ gremio commendatur, anno ætatis ſuæ quinquageſimo primo, et regni ſui triceſimo quinto, octavo Idus Julii, feriâ quintâ, circa horam nonam. Erat enim annorum ſedecim et ſemis quando unctus fuit in regem. Qui tanquam ſidus matutinum in lucem et ſolem creſcebat uſque ad diem perfectum: qui hanc ſibi vivendi formam proponens, ſuis commilitonibus exhibebat ſe conſortem, religioſis gratum, preſbyteris humilem, plebi modeſtum; compatientem miſeris, profuſum egenis, æquis placidum, inſolentibus ſævum, malefactoribus terribilem, et miſericordem proſtratis. Mira illi circa religionis augmentum devotio, in conſtruendis eccleſiis, fratrum præcipuè Prædicatorum, ſolicitudo. Nulla apud eum perſonarum exceptio, ſed judicabat in juſtitia pauperes, et arguebat in æquitate pro maſuetis terræ. Hic princeps fuit probiſſimus, militum audaciſſimus; qui novit flere cum flentibus, et gaudentibus congaudere: erat tamen mœrentium conſolator, orphanorum adjutor, fotor pupillorum, viduarum præcipuè et pauperum conquerentium in propria perſonâ auditor piiſſimus, et cenſor æquiſſimus: ut eidem poſſit competere quod ſcriptum eſt; "Stetit "in juſtitia et timore Dei; fecit illum Dominus ſtare in reverentia "gentis ſuæ; et in bonitate et alacritate animæ ſuæ placuit Deo Iſraël; "ideo ſtatuit illi teſtamentum pacis principem gentis ſuæ, ut ſit illi "regis dignitas in æternum." De quo dictum eſt:

Eccleſiæ clipeus, pax plebis, dux miſerorum:
Rex rectus, rigidus, ſapiens, conſultus, honeſtus.
Rex pius, rex fortis, rex optimus, rex opulentus;
Nominis iſtius ipſe ſecundus erat. i. e. Alexander.

Annis ter denis et quinis rex fuit ipſe.
Inſula, quæ Kernery dicitur, hunc rapuit.
Spiritus alta petit, cæleſtibus aſſociatus:
Sed Melroſenſis oſſa ſepulta tenet.

Ipſo anno Pagani, ob Francorum nimiam ſuperbiam, Chriſtianos miſerâ cæde affecerunt; qui regem Franciæ vivum comprehenderunt cum duobus fratribus ſuis, et apud ſe aliquamdiu honeſtiſſimè retinuerunt. Et tandem, redemptione datâ et treugis compoſitis, repatriare permiſerunt. Poſt cujus receſſum, ut condictum erat, Damietam intrantes, et templa ſua cum ſimulacris ſubverſa cernentes, fractis treugis omnes Chriſtianos captivos occiderunt. Itaque gens illa ſceleratiſſima, præter blaſphemias quas proferebant in conſpectu populi Chriſtiani, crucem quoque flagellis cædentes in eam ſpuebant, et, in opprobrium fidei Chriſtianæ, viliter pedibus conculcabant. Hoc etiam anno obiit epiſcopus Dunkeldenſis Galfridus, in die Sanctæ Ceciliæ, apud Tybirmore, et in eccleſia Dunkeldenſi tumulatur; quam prædiis et poſſeſſionibus dotavit, quam regulis et inſtitutis informavit, quam veſtibus et ornamentis decoravit; quam fere per omnia exaltavit. Cujus epitaphium tale perlegi:

Hac Dunkeldenſis cleri decus, ægis et enſis,
Gaufridus tumbâ pauſat, ſub patre Columba. &c.

EXPLICIT LIBER NONUS.

Incipiunt

Incipiunt tituli capitulorum libri decimi.

De coronatione Alexandri tertii Scotorum regis. CAPITULUM I.
Quomodo regem, in regali cathedra lapidea locatum, ſalutavit quidam Scotus montanus. CAP. II.
De tranſlatione ſanctorum corporum Margaretæ Scotorum reginæ et Malcolmi viri ſui. CAP. III.
Quomodo rex Alexander tertius deſponſavit Margaretam, filiam Anglorum regis Henrici tertii. CAP. IV.
De mutatione conſiliariorum regis, et diſturbia in regno, et de bonis conſiliariis. CAP. V.
Quales conſiliarios convenit regem habere; et de decem conſiliis moralibus à Chriſto regibus dictatis. CAP. VI.
De eodem, et quibus diebus debeat rex coronam portare. CAP. VII.
De eodem, et aliis incidentibus. CAP. VIII.
Quomodo ſecundò remoti ſunt regis conſiliarii. CAP. IX.
De monaſteriis interdictis, et de captione regis. CAP. X.
De aliis incidentibus, et intoxicatione et morte Walteri Comyn comitis de Menteth. CAP. XI.
De inſtitutione et indulgentia feſtivitatis corporis Chriſti. CAP. XII.
De duplicatione ejuſdem indulgentiæ. CAP. XIII.
De inventione Sanctæ Crucis apud Peblis, et de appellatione comitis de Menteth. CAP. XIV.
De bello de Largis, et fuga regis Norvegiæ, et victoria Scotorum per Sanctæ Margaretæ reginæ virtutem. CAP. XV.
De eodem bello, et morte regis Norvegiæ. CAP. XVI.
De bello de Loncardi. CAP. XVII.
De homagio facto per regulum Manniæ regi Scotorum Alexandro. CAP. XVIII.
De contractu pro inſulis Scotiæ, et de bello de Lewis, ubi rex Angliæ cum filio capitur à ſuis. CAP. XIX.
De evaſione principis Eadwardi de carcere, et bello de Evaſham, et Roberto Hode. CAP. XX.
De Ottobono legato, in Scotiam non admiſſo, pacem inter regem Angliæ et ſuos componente. CAP. XXI.
De aliis incidentibus, et diſſenſione inter regem et clerum Scotiæ, et de Gamelino epiſcopo. CAP. XXII.
Quomodo bonus epiſcopus vel prælatus ſe debet habere inter principes et tyrannos. CAP. XXIII.
Quomodo citantur per legatum prælati et clerus Scotiæ; et de cruce ſignatis, et aliis. CAP. XXIV.
De diverſis incidentibus, et quòd excommunicatio non eſt parvipendenda. CAP. XXV.
De aliis incidentibus. CAP. XXVI.
De S. Ludovico Francorum rege, et aliis incidentibus. CAP. XXVII.
De vacatione quinque epiſcopatuum. CAP. XXVIII.
De Martha comitiſſa de Carrik Roberto Brois deſponſata. CAP. XXIX.
De incidentibus. CAP. XXX.

De

De periculo plura benficia retinentis. CAP. XXXI.
De eodem. CAP. XXXII.
De incidentibus. CAP. XXXIII.
De nativitate regis Roberti Brois, et concilio Lugdunenſi, et aliis incidentibus. CAP. XXXIV.
De coronatione regis Eadwardi tyranni, et aliis incidentibus, et de Bagemondo legato. CAP. XXXV.
De conditionibus cardinalium et legatorum. CAP. XXXVI.
De contentione inter reges Scotiæ et Angliæ. CAP. XXXVII.
De crudelitate regis Eadwardi, et de miſera ſervitute quâ Wallenſes oppreſſit. CAP. XXXVIII.
Quomodo hujus Eadwardi tyranni cupiditate rabidâ paſſagium Terræ Sanctæ præpeditur. CAP. XXXIX.
De deſponſatione regis Alexandri tertii cum Joleta, aliàs Jolanda, filia comitis de Droco. CAP. XL.
De commendatione regiminis regis Alexandri, et circuitione regni, et juſtitia ubique exhibita. CAP. XLI.
Quòd providit rex ne marchandiæ extrà regnum periculis ſupponerentur. CAP. XLII.
De complanctu mortis regis, et prophetia Thomæ Rymor. CAP. XLIII.
Quomodo vita humana tranſitoriis et caducis rebus comparatur, et nihil ſtabile ſub cælo reperitur. CAP. XLIV.

LIBER X.

CAP. I.

De coronatione Alexandri tertii Scotorum regis incliti.*

FILIUS iſtius regis Alexandri, Alexander nomine, eidem in regno ſucceſſit. De quo poteſt verificari quod ſcriptum eſt: Mortuus eſt pater illius, et quaſi non eſt mortuus; ſimilem enim ſibi reliquit poſt ſe. In vita ſua vidit, et lætatus eſt in illo, et in obitu ſuo non eſt contriſtatus, nec confuſus eſt coram inimicis: reliquit enim defenſorem domûs contra inimicos, et amicis reddentem gratiam. Hæc ibi. Hic poſt mortem pii patris, cum multitudine præſulum, prælatorum, comitum, baronum et militum, puer Alexander, ætatis annorum octo conſtipatus †, venit ad Sconam die Martis proximo ſequenti, tertio ſciz. Idus Julii. Interfuerunt autem inter ceteros David de Bernhame epiſcopus Sancti Andreæ, et Galfridus epiſcopus Dunkeldenſis adhuc ſoſpes, vir tam clero quàm populo gratioſus: in temporalibus et ſpiritualibus ſolicitus ſatis erat. Et ecce, ſtatim poſtquam congregati fuerant, orta eſt diſſentio inter magnates. Quidam enim illorum, illo die, non regem, ſed militem, facere voluerunt, dicentes, quia dies Ægyptiacus eſt; et hoc non propter diem Ægyptiacum dictum eſt, ſed quia dominus Alanus Durward‡ regni juſticiarius, et tanquam flos militiæ reputatus, regem ipſo die cupiebat inſignire

* *Inclitiſſimi*, MSS. Cupr. et Perth. † *Conſtitutus*, MS. Col. Ed. ‡ Al. *Dorwart.*

gladio

gladio militari. Cùm igitur hinc inde magna fieret altercatio, et magnatum quaſi ad partes tumultuoſa ſeparatio, vir providus conſilio, ſtrenuus miles Walterus Comyn, fortis ſatis animo, partes ad concordiam prudenter flectere tunc ſategit, dicens ſe habere debere vocem in conſilio, quia ipſe comes de Menteth experientiâ plura prævidebat: unde liberâ voce proteſtatus eſt ſe vidiſſe regem conſecratum, nondum tamen militem; ſed et ſæpiùs audîſſe, ac pro certo cognoviſſe reges conſecratos, qui nunquam ceremonialiter ordine militari inſignirentur: hoc tamen addito, quòd eo ipſo quod rex coronatus aureis militaribus decoratur, ſicut ſceptrum et corona ſignificare † atteſtantur; ſimilitudinem faciens ad illud Decretorum, viz. *Quòd et filius regis rex appellari debeat, quamvis regnum non habeat.* à fortiori rex miles debeat cenſeri. Et addidit exemplificare, dicens; Quòd ſicut navis inter fluctus marinos quatitur ſine remige, ſic regnum deſtituitur ſine rectore vel rege. Diligebat ſupra modum regem patrem jam defunctum; filium etiam, non ſolùm propter patrem, ſed et propter naturalem ad proprium dominum dilectionem. Ideo, quantocitius potuit, pueruth in regem ſublimare propoſuit, attendens periculum illud poëticum;

Et nocet et nocuit ſemper differre paratis.

Et, *Qui non eſt hodie, cras minus aptus erit.*

Cautè igitur ſtuduit partes ad unum reducere, ne, ſi non lites celeriùs ſopirentur, ira creſceret in odium, et trabem traheret de feſtuca, et animas faceret homicidas, et proceres paricidas. Tandem ad hoc utramque partem flexit, ut rex ab epiſcopo Sancti Andreæ, qui officium inunctionis regis impleret, ipſum etiam in militem conſignaret; ad modum Willelmi Rufi regis Angliæ, militaribus inſigniti à Lanfranco Cantuariæ archiepiſcopo, et ab eodem coronati: pro quo vide ſuprà, lib. VII. cap. xxxj. et infrà, cap. iv. Quod et factum eſt. David namque epiſcopo de S. Andrea ipſum coram magnatibus terræ baltheo militari præcingente, et jura ac vota, quæ ad regem ſpectant, priùs Latinè, poſtea Gallicè ipſi exponente, rex omnia benignè concedens et acceptans à dicto epiſcopo, benedictionem et ordinationem libens ſubiit et admiſit †.

CAP. II.

Quomodo regem, in regali cathedra lapideâ locatum, ſalutavit Scotus quidam montanus.

SIcut ab antiquitate uſque ad illa tempora mos regno inolevit, poſt ſolennitatem regiæ coronationis, præſules cum comitibus regem ad crucem, in cœmeterio ex parte orientali eccleſiæ ſtantem, adduxerunt: quem ibidem in cathedra regali poſitum, pannis ſericis auro textis ornata, reverenter ſedere fecerunt. Ipſo verò rege ſuper hanc cathe-

* *Deſignari*, MS. Cup. † Addunt libri Cupr. et Perth. "Non obſtante Ægyptiaca "die, quæ nunquam eſt obſervanda in actis dependentibus in arbitrio hominis, quia ſic "eſſet idololatria: ſecus, ſi obſervetur in actis dependentibus à naturalibus, et influentiis "cœleſtibus, ut in ſeminibus jaciendis, potionibus recipiendis, arboribus cædendis, vel in "phlebotomiis exercendis, hujuſmodi non eſt ſuperſtitionis, ſed ſagacitatis et providentiæ."

dram regalem lapideam ſedente, coronam habente in capite, et ſceptrum manu, purpurâque regiâ induto, ſolenniter præſidente, ſub cujus pedibus comites ceterique nobiles†† ſedilia ſua, pro ſermone audiendo, collocantes: et ecce ſubitò quidam Scotus venerabilis canitiei ſenex, quamvis ſilveſter et montanus, honeſtè tamen, pro modulo ſuo, indutus, et pallio ſcarletico coöpertus, moroſè ſatis genu flectens, maternâ linguâ regem, inclinato capite, ſalutavit hujuſmodi verbis ſatis curialiter, dicens; "BENACH DE RE ALBANE ALEXANDER, MacAlexander, "MacWillam, MacHenri, MacDavid:" Et ſic, pronunciando regum Scotorum genealogiam, uſque in finem perorabat. Quod ita ſonat Latinè; "SALVE REX ALBANORUM ALEXANDER, fili Alexandri, "filii Willelmi, filii Henrici, filii David, filii Malcolmi, filii Dunceani, "filii Beatricis, filiæ Malcolmi, filii Kenach*, filii Malcolmi, filii Do-"naldi, filii Conſtantini, filii Kenath, filii Alpini, filii Ethachi, filii "Ethafind, filii Ethdachi†, filii Dovenaldi Brek, filii Ethac-buid, filii "Edaini‡, filii Cobrani⸸, filii Dovengard, filii Fergusii Magni, filii "Erth, filii Etehac-muitemor, filii Enguſafith, filii Fethelmech-"aſlingich, filii Eneguſſa-buthin, filii Fethelmech-romaich, filii Sen-"cormath, filii Cruithlinth, filii Findachai*, filii Akirkirre, filii Ech-"ach-andoch, filii Fiathrath-catinail, filii Echdach-ried, filii Coner, "filii Mogolama, filii Lugthag-etholach, filii Corbre-crumgring, filii "Darediomor, filii Corbre-findmor, filii Conere-mor, filii Ederſkeol, "filii Even, filii Ellela(), filii Jair, filii Dethath, filii Sin, filii Roſin, "filii Ther, filii Rether, filii Rowein, filii Arindil, filii Mane, filii "Fergusii primi Scotorum regis in Albania." Qui quidem Fergusius fuit filius Feredach, quamvis à quibuſdam dicitur Ferechare, parum tamen diſcrepant in ſono: hæc diſcrepantia forte ſcriptoris conſtat vitio propter difficultatem loquelæ. Deinde dictam genealogiam idem Scotus ab homine in hominem continuando perlegit, donec ad primum Scotum, viz. ad Hiber-Scot pervenit. Qui Hiber fuit filius Gaithel-glas, filii Neoli regis quondam Athenenſium, genitus ex Scota filia regis Ægypti Cenchres Pharaonis. Cedet igitur ad gloriam Scotorum, quòd proceſſerunt de ſtemmate regio Athenenſium, ubi eſt caput et civitas primiceria Græcorum. Unde, ut innuunt auctores, Græcia cum ſuis provinciis regnorum eſt domina, militiæ nutrix, philoſophiæ mater, omnium bonarum ſcientiarum inventrix et miniſtra: cujus gens bellicoſiſſima, donis ſapientiæ et ſcientiæ prædita, ſermone diſertiſſima, legibus ſubdita, pia; circa extraneos pacifica, circa incolas et domeſticos quieta, contra hoſtium injurias intolerabilis nimium et infeſta; cujus clarius et ſonantius omnium reſultat idioma.

†† "Nobiles ſua veſtimenta coram lapide, curvatis genibus, ſternebant. Qui lapis in "eorum monaſterio reverenter, ob regum Albaniæ conſecrationem, ſervatur. Nec uſpiam "aliquis regum in Scotia regnare ſolebat, niſi ſuper eundem lapidem regium in accipien-"dum nomen prius ſederet in Scona, ſede vero ſuperiore, viz. Albaniæ conſtituta regibus "ab antiquis. Et ecce" &c. *Editio Hearnii.*

*In pleriſque MSS. noſtris deſunt nomina RR. inter Kenethum II. et III. Contra, in edit. Hearnii eadem bis occurrunt. †Al. *f. Echdach, f. Domangart, f. Domnailbric.*

‡Al. *Edan.* ⸸Al. *Gabran.* *Al. *Findachar.* ()Al. *Eliela.*

CAP.

CAP. III.

De tranſlatione glebæ ſanctiſſimæ Margaretæ reginæ et viri ſui Malcolmi.

ANNO ſequenti, id eſt Domini milleſimo ducenteſimo quinquageſimo, convenerunt apud Dumfermelyn rex cum regina matre ejus, unà cum epiſcopis at abbatibus, ac aliis regni proceribus, ubi oſſa et reliquias glorioſæ reginæ Margaretæ ataviæ ſuæ, de monumento lapideo, in quo per multa annorum curricula quieverant, levaverunt, et in ſcrinio abiegno, auro gemmiſque redimito, cum ſumma devotione locaverunt. A cujus foveæ effoſſione tantus odor ſuaviſſimuſque effuſus eſt, ut totum illud ſanctuarium ſpecierum pigmentariis, et vernantium florum odoribus reſperſum putaretur. Nec defuit ibidem divinum miraculum: nam, cùm theſaurus ille percelebris in exteriore eccleſia locatus, ad recondendum in choro ſupra majus altare, ut honorificè præviſum fuerat, per ſacratas præſulum et abbatum manus de facili ſuſtolleretur, et proceſſionaliter, cantantibus organis et choro canorâ voce concinnente, deportaretur uſque ad cancellariariam portam, corpori viri ſui regis Malcolmi, jacentis ſub teſtudine arcuali à parte boreali navis eccleſiæ, æquè oppoſitam, brachia mox ferentium reddebantur ſtupida, et, præ ponderis gravitudine, ulteriùs non poterant feretrum cum reliquiis amovere, ſed, velint nolint, coacti ſunt ſtationem facere, et onus ociùs ad ſolum reponere. Poſt aliquod intervallum, additis ad feretrum ferendum pluribus, et forte prioribus fortioribus, quanto magis levare conati ſunt, tanto infirmiùs defecerunt. Tandem inter ſe admirantibus, et indignos ſe ad tanti * pignoris contactum judicantibus, à quodam de aſtantibus inſonuit vox divinitùs, ut creditur, inſpirata, proteſtans clarè non eſſe forte voluntatis divinæ ut oſſa ſacræ reginæ antea transferantur, quàm viri ſui buſtum aperiatur, et corpus ejus ſimili honore ſublimetur. Placuit ſermo cunctis; et, ejus conſilium aſſequentes, thecam oſſibus regis refertam rex Alexander, abnepos ejus, cum electis ad hoc collegis, unà cum elevatione arcæ reliquiarum reginæ in ſublime tollentes, abſque quacunque vi vel obſtaculo †, utrumque ſarcophagum in et ad mauſolea propterea ‡ præparata, canoro conventu, et choro prælatorum proſequente, ſolenniter locaverunt, decimo tertio Kal. Julii. Ubi per illam ſanctam reginam multimoda miracula divina multoties operata eſt clementia. Hoc anno epiſcopatui Dunkeldenſi præficitur magiſter Richardus de Inverkethin, camerarius regis Scotiæ; vir magnæ manſuetudinis, et juſtitiæ tenax. Moneta etiam Scoticana renovatur; ita ut crux, quæ priùs non tranſivit circulum in denarium, modò ad extremos fines denarii attingat. Hoc etiam anno fuit appellatum à magiſtro Petro de Ramſeia epiſcopo Abirdonenſi, pro taxatione vicariarum, ut prædicitur.

* *Tam pretioſi*, MS. Cupr. † *Violentia*, ibid. ‡ *Ornanter præparata*, ibid.

CAP. IV.

Rex Alexander deſponſavit Margaretam filiam R. Henrici III. Angliæ.

ANNO Gratiæ milleſimo ducenteſimo quinquageſimo primo, magnates Scotiæ, regnum ſub regis pueri regimine cernentes periclitans *, ſuoſque conſiliarios totius regni penè majores, hinc inde ſingularis commodi lucro vacillantes; hortatu cleri, ad regem Angliæ Henricum nuncios dirigunt aviſatos ‡, ut et confectum pacis fœdus per ipſum priùs et regem Alexandrum nuper defunctum renovetur; et per matrimonii confœderationem, inter regem Alexandrum juvenem et ejuſdem Henrici regis filiam contrahendi, peramplius firmiter ſolidetur. Quibus quoque Londonias venientibus, rex Angliæ placenter pro libito petita concedens, ſuos etiam cum eis nuncios regi Scotiæ remiſit, ut cum ſuis conſiliariis et magnatibus, pro conficiendis negotiis ſupradictis, ſibi ſuiſque conſultibus ad natale Domini proximum, apud Eboracum, ſub ſalvo tamen conductu regis, procerum Angliæ ſigillis roborato, obviaret. Convenerunt itaque in unum rex Scotorum Alexander et Henricus rex Anglorum, cum utriuſque regni majoribus, ubi, ſicut antea condictum fuerat, omnia feliciter ſunt completa. Et ad ea de cetero inviolabiliter obſervanda, uterque rex procereſque amborum, tactis ſacroſanctis evangeliis, conjurantur. Nunquam enim Anglorum regum vel Britonum aliquis, ullo tempore tranſacto, ſuum erga Scotos pactum fideliùs, velut hic Henricus, ſervabat atque firmiùs: quia toto penè regnationis ſuæ tempore, regum Scotiæ, patris videlicet et filii, conſultus et vicinus fideliſſimus habebatur: quod rarò ante hoc contigit evenire, exceptis paucis diebus regis Richardi, Cor Leonis nuncupati, qui firmam confœderationem cum nobili rege Willelmo, avo hujus regis, uſque ad mortem ſervavit. Igitur ibidem in die natalis Domini, cum maxima congratulatione utriuſque regni, rex Scotiæ Alexander puer novennis arma militaria ab Henrico rege Angliæ ſuſcepit. Ubi autem priùs allegatum fuit, quòd qui non eſt miles militem facere non poteſt, et ideo epiſcopus Sancti Andreæ miles Chriſti, in præcingendo regem enſe militari, gladium ad defenſionem eccleſiæ noſcitur tribuiſſe. Et ideo gladius regum et principum eſt ad laudem bonorum, et ad vindictam malorum. Et in craſtino, hoc eſt die Sancti Stephani, rex Angliæ dedit regi Scotiæ in matrimonium filiam ſuam primogenitam, nomine Margaretam. Accuſabantur ibi quidam regi de ſua proditione per Walterum Comyn comitem de Menteth, et per Willelmum comitem de Mar: unde quidam ſibi timentes, clandeſtinè repatriârunt. Rex autem Scotiæ, de conſilio regis et magnatum Angliæ, cuncta moderatè temperans et diſponens, cum nova nupta proſperè ad propria remeavit, tempora præſtolans congruentiora ad hujuſmodi exceſſus puniendos †. Accuſabatur itaque eo tunc Robertus abbas de Dumfermelyn, cancellarius regis, quòd per magnum ſigillum legitimare propoſuit ſororem regis notham, ſcilicet uxorem Alani Oſtiarii, ut fieret heres regis in ſucceſſione regni: metu cujus, mox ut clanculò Scotiam intravit, ſigillum

* Al. *periclitari.* ‡ *Solemnes*, edit. Hearn. † *Emendandos*, ibid.

regis

regis magnatibus reddidit; quod mox confractum fuit coram omnibus: et ſigillum cominus datum eſt Gamelino in cancellarium conſtituto; qui quidem anno deinde tertio electus eſt in epiſcopum Sancti Andreæ. An. Dom. MCCLII. in die Purificationis, orta eſt diſſentio magna inter dictum Robertum abbatem et ſuum conventum, ob importabilem ejus obſtinationem; qui equos, phaleras, et alia quæcunque potuit, ſecum abduxit. Unde abbas perpendens ipſum regem offenſum, et conventum ſuum eum conſtanter inſequentem, nuſquam habuit refugium, ac ideo non auſus expectare judicium, habitum Ciſtertienſis ordinis apud Neubotil ſuſcepit: cui ſucceſſit Johannes ejuſdem domûs Prior, vir miræ manſuetudinis.

CAP. V.

De mutatione conſiliariorum regis, et de diſturbia in regno, et bonis conſiliariis.

REmoti ſunt interim omnes regis conſiliarii primi, et novi creati ſunt, videlicet, Walterus Comyn comes de Menteth, Alexander comes de Buchania, Willelmus comes de Mar, Robertus de Ros conſanguineus regis, et quidam alii. Sed quot fuerunt conſules, tot fuerunt reges; quia videres * illis diebus oppreſſiones pauperum, exheredationes nobilium, angarias civium, rapinas communium, ſacrilegia decimarum, violationes eccleſiarum, ut meritò dici poſſet; *Væ terræ, cujus rex puer eſt.* Nihil in regimine magis convenit regi quàm bonos conſiliarios habere: quia ſi conſiliarii ſint falſi, ſunt inimici regis capitanei; quia alia ei ſcienter ſuggerunt, quàm expedit ejus ſtatui. Et hi maximè ſunt periculoſi in communitate quacunque; quia, ſicut in bonis conſiliatoribus maxime conſiſtit honor, ſalus, et profectus regis et reipublicæ, cujus caput eſt rex, ita in malis conſiliatoribus maxime conſiſtit confuſio et ſubverſio ejuſdem. Dicit enim TULLIUS, libro de Senectute; Quòd conſiliator eſt in republica, ſicut gubernator in navi, in qua alii aquam exhauriunt, alii chordas trahunt, alii malum ſcandunt: ille verò tenens clavum eſt quietus ſedens in puppi, qui multa majora facit. Et AVICENNA dicit; Quòd conſiliator eſt efficiens, ſicut dans formam, ſecundùm quam alius habet operari et dirigi. Diſtinguit enim quadruplex efficiens, ſcilicet conſilians, adjuvans, diſponens, et proficiens. Debent igitur conſiliarii regis et reipublicæ habere hæc quatuor, viz. in vita ſanctitatem, in verbo veritatem, in zelo æquitatem, in experimento ſagacitatem. Et tales in Romana republica vocantur Senatores, qui ſic ſe habent in communitate, ſicut cor in corpore, ſecundùm PLUTARCHUM. Unde Romulus, conditâ civitate, quam ex nomine ſuo Romam vocavit, triginta ex ſenioribus elegit quorum conſilio omnia ageret, qui propter ſenectutem ſenatores, et propter ſolicitudinem curæ patres, ab omnibus dicebantur. Iſti enim eligebantur, poſtquam emeriti in diverſis ſtatibus et officiis exſtitiſſent aptiores ſapientiæ negotiis, quanto in exercitio corporis minus poſſent. Iſtis apud Græcos tantus honor fuit, quòd nunquam

* "Si quis videret ---- merito diceret, *Væ regno cujus rex eſt puer.*" Ed. H.

duces proceſſerunt ut aliquid ſolenne facerent ſine iſtis. Sicut igitur iſti ſenatores vel conſiliatores ſunt reipublicæ utiliſſimi, quando ſunt boni et virtuoſi: ita ſunt regi, prælato vel judici perniciosiſſimi, quando ſunt mali, videlicet, quando habent zelum pro commodo ſuo perſonali et privato, et non pro bono communi; quando ſunt corrupti cupiditate, et receptione munerum; quando ſunt minis territi, diſſimulant dicere veritatem; quando odio vel amore regulantur, tunc conſulendo principem deſtruunt, quem regere et dirigere deberent; et fiunt non ſolùm regi, ſed etiam toti reipublicæ peſſimi inimici: quorum cuilibet dici poteſt illud quod dixit Paulus Elymæ magò, ACTUUM XIII. "O "plene omni dolo et omni fallacia, fili Diaboli, inimice omnis juſtitiæ! "non deſinis ſubvertere vias Domini rectas?" Talis conſiliator fuit ille Haman, qui ſimplicitatem nobiliſſimi principis Ahaſueri fraudulentis conſiliis circumvenit, et nobilis regis innocentiam ad nefandam crudelitatem induxit. De quò dicitur; "Hoſtis noſter, et inimicus "peſſimus iſte eſt Haman." Haman enim interpretatur *iniquus*, et *coangustans* ſeu *comprimens eos*, aut *coangustatio eorum*: quod bene convenit malis conſiliariis, qui ſunt nimis iniqui; quorum quilibet non meretur dici ſolùm Haman, ſed, juxta linguam noſtram maternam, Naman.

CAP. VI.

Quales conſiliarios debet rex habere, et de decem conſiliis moralibus.

QUIA igitur voluntatis meæ eſt, ut rex habeat ſolidum conſilium, hìc datur regibus conſilium divinitùs dictatum, quod Rex regum monſtravit dominæ BRIGITTÆ oranti pro rege Sueciæ, qui ab ea humiliter conſilium petiit, quomodo in regimine juſtè et prudenter ſe habere deberet; ut habetur libro cœleſti, cap. 11. Chriſtus itaque ſic ei loquitur: Ego ſum verus rex, et nullus eſt dignus vocari rex niſi ego; quia à me eſt omnis honor et poteſtas. Et quia iſte rex Sueciæ quærit à te humiliter, quomodo in regimine juſtè et prudenter vivat; ideo ego indicabo ei. Decem ſunt ei, et cuilibet regi, faciendа †. Primum eſt; Ut removeat à ſe illos conſiliarios quorum corda ſunt ambitioſa et cupida, quorum lingua duplex et doloſa, quorum oculi ſunt ad ſpiritualia lippientes. Eligat verò illos qui non vendunt juſtitiam pro pecunia; qui erubeſcunt mendacium et aſſentationes; qui diligunt Dominum plus quam carnalia; et qui proximorum miſeriis compatiuntur. Secundum; Quòd ipſe mittat vaſſallos ſuos et clericos, ac gentes ad illa loca infidelium, ubi fides catholica et charitas augeri poteſt: nam ideo vaſſalli ſui interfecti fuerunt in civitate Hampnis, quia ipſe ambivit partem regni alieni Chriſtianorum. Tertium eſt; Quòd ipſe rex legat quotidie horas beatæ Virginis matris meæ; et cùm judicia et aliqua ardua inter manus habuerit, dimittere poteſt horas diei. Audiat etiam duas miſſas privatas, vel unam cantatam omni die. Recordetur quoque omni die quinque vicibus, de quinque vulneribus meis quæ ſuſtinui pro eo in cruce. Quartum verò eſt; Quòd jejunet vigi-

† *Obſervanda*, MS. Cupr.

lias

lias Sanctorum et matris meæ, quæ ab ecclesia sancta constitutæ sunt: sextam verò feriam jejunet in piscibus; sabbatum, si voluerit, in lacticiniis. Quadragesimam verò observet juxta morem patriæ. Sed hoc attendat in jejunio suo, quòd sit moderatus et temperatus, ne propter inconvenientia jejunia, aut propter indiscretas vigilias et prolixas orationes privatas, tepidus sit in consiliis, aut remissus in judiciis faciendis. Sed, quando labor major ei accreverit, tunc obediat consilio et potestati ac dispensationi prælatorum ecclesiæ meæ. Quintum est; Quòd quemlibet decimum denarium, qui fisco regio debetur, tribuat in eleemosinam pauperibus. Si verò aliqua alia piè supererogare, ob amorem meum, voluerit certa de causa, major tunc erit ei merces. Sextum est; Quòd omni sextâ feriâ colligat tredecim pauperes, et lavet pedes eorum, et tribuat eis victum et pecuniam manu suâ; nisi forte fuerit in via, propter quam talia sunt omittenda. Ipsâ quoque sextâ feriâ exoccupet se totum, quando habet residentiam quietam, et audiat illâ die querimonias subditorum communitatis regni; et tunc inquirat de fidelitate et regimine præpositorum, et judicum regni, et vassalorum, et de exactoribus tributorum et redituum regalium. Septimum est; Quòd ipse rex sit discretus in donis suis, ut sic uni tribuat, quòd aliis non sit avarus: et si alicui, pro vitæ merito et ampliore labore, plusquam aliis donare voluerit, hoc faciat cum maturitate et cautela, ne notetur in rege inæqualitas, et occasio murmurationis: quia nihil sic reprehensibile in potentibus dominis est, sicut prodigalitas, aut nimia tenacitas. Et ita nihil decet et ornat regem, sicut imperare cum modestia, et laborantes in servitio suo remunerare cum caritate.

CAP. VII.

Adhuc de eodem.

POterit etiam rex dare dona sua extraneis conservantibus pacem regno suo, et his qui necessitatem patiuntur. Sic tamen hoc faciat, quòd vassalli et familiares proprii non negligantur, aut obliviscantur. Octavum est; Quòd legem Dei non transgrediatur, nec novas inducat consuetudines contra statuta laudabilia; nec potestativè disponat et judicet quæ occurrunt menti ejus, sed justè secundùm legem Dei et regni agat omnia: quia non decet regem multa præcipere, et nihil agere; justitiam relinquere, et crudeliter imperare. Nonum est; Quòd rex se talem operibus exhibeat, qualiter dignus sit nomine regio, fugiendo cupiditatem, et diligendo veraciter humilitatem: quia quanto rex major est ceteris, tanto humilior sit coram Deo, à quo omnis potestas est; qui ita in judicio rationem strictam exiget à rege, sicut à populo et à plebe. Decimum est; Ut rex discernatur ab aliis, necesse est ut habitum discretum et honestum et honorabilem habeat præ aliis: quia sicut honor regis est justitia et judicium, sic honor plebis est pulchritudo regis et honestas ejus. Propterea permittitur regi habitus honestus et honorabilis, quem cùm portaverit, non superbiat ex permissione, sed humiliet se, considerando onus officii sui.

His autem diebus debet rex portare coronam in capite, sciz. in die Nativitatis, Apparitionis, Paschæ, Ascensionis, et Pentecostes; Assumptionis

ptionis matris meæ virginis Mariæ, exaltationis ſanctæ crucis, omnium Sanctorum, et omnibus illis diebus quibus judicia generalia tenet, et diebus illis quibus milites debet facere. Nam ſicut in diebus feſtis humanitatis meæ et glorificationis Sanctorum meorum totus exultat cœleſtis exercitus, propter beneficia mea; ſic de juſtitia regis, quæ notatur in corona, gaudere debent juſti in terris, et de retributione regis juſti exultat tota curia cœleſtis. Hæc ipſa. Alia etiam decem conſilia dat Chriſtus regibus, cap. iv. ejuſdem libri, dicens: Primò, Quòd in menſa ſua non ſit ſolus, ſed cum aliquibus ſuis ſubditis ſedeat, qui ex præſentia ejus conſolabuntur corporaliter et ſpiritualiter; quia ex hoc à peccatis et inhoneſtatibus abſtrahuntur. Secundum conſilium eſt; Quòd poſt menſam ſtare poterit, et honeſtè modicum ſolatiare; quia ex humili collocutione, et collatione domeſtica, ſubditorum acquirit gratiam et amorem. Et tunc audiat multorum rationes et opiniones, aut imitandas, aut reprobandas. Tertium eſt; Quòd in omnibus judiciis et operibus ſuis ſit miſericors et juſtus; ut nec propter amicitiam, vel falſam compaſſionem, nec propter privatum bonum ſuum, aut propter temporalem utilitatem ſeu timorem, dimittat exercere juſtitiam; nec propter iram ſeu impatientiam negligat ſeu obliviſcatur miſericordiam: quia indecens eſt regi vinci ab ira, et judicem judicare ſubito, aut precibus à via juſtitiæ deviare. Quartum eſt; Quòd rex non committat regimina et judicia ſua facienda illis quos ſciverit eſſe partiales et cupidos, aut illis qui fraudulenter ſciunt extorquere pecunias; quia tales faciliter deviant à juſtitia. Sed inquirat rex illos qui à natura bene ordinati progenitorum ſuorum imitantur bona veſtigia, et qui magis juſtitiæ opera diligunt quàm ditari. Quintum eſt; Quòd continuè inquirat rex, qualiter obſervatur lex et juſtitia in regno ſuo, et illos, quos delinquentes corrigere poterit, non dimittat impunitos; et caveat ne minis emungat pecunias et emendas à delinquentibus, nec aliquâ calliditate opprimat innocentes: ſed cum humilibus agat mitiùs, et ſeveriùs puniat induratos, et ubi majorem viderit humilitatem, miſericordiam ſuperexaltet æquitati.

CAP. VIII.

De eodem adhuc.

SExtum eſt; Quòd continuè rex diſcutiat judicia et opera ſua. Et ſi ex facili et ſubito mentis impulſu ſe errâſſe viderit, non erubeſcat corrigere vel retractare quæ malè acta ſunt: non enim ipſe ſapientior eſt David, qui etiàm erravit; nec ſanctior prophetâ, qui, credens mendacio, occiſus eſt à leone. Septimum eſt; Quòd non ſit nimis ſubitus in agendo, ſed providus et circumſpectus, conſiderando finem negotiorum. Innitatur etiam conſiliis ſapientium, et expertorum, et timentium Deum, quibus et obediat, et ſeipſum non abſcondat ab eis; quia degeneris et ſuſpicioſi eſt animi, conſiliarios probatos habere ſuſpectos, et conſilia, maturè et ſobriè tractata, cum adulantibus et aſſentantibus retractare. Octavum conſilium eſt; Quòd caveat levitatem verborum et morum in omnibus, et apud familiares, et domeſticos ſuos; fugiatque adulatores, aſſentatores, et palpones, quaſi ſcorpionem, quia eum fovent

fovent in peccatis, et ſcandalizant bonos. Nam talem convenit regem eſſe, quòd timeatur à juvenibus, honoretur à ſenibus, laudetur à ſapientibus, diligatur à juſtis, et ab oppreſſis cordialiter deſideretur. Nonum eſt; Quòd rex non communicet his qui ab eccleſia excommunicati ſunt, nec foveat illos qui Deum et mandata ejus derident, ſed informet eos verbis et admonitionibus caritativis; et, niſi reſipuerint, oſtendat eis ſeveritatem ſuam, et ſubtrahat eis beneficia ſua: nam honor regis eſt divina ſuper omnia diligere, et Dei honorem ſuis viribus augmentare. Decimum conſilium eſt; Quòd populum et communitatem regni ſui diligat, milites ſuos clementer pertractet, et beneficia parentum in filiis recordetur. Hæc de conſiliariis et conſilio regis ſufficiant. Ad propoſitum redeamus.

Anno quo ſuprà, ſciz. Dom. milleſimo ducenteſimo quinquageſimo ſecundo, obiit David de Bernhame epiſcopus Sancti Andreæ, vir per omnia commendabilis. Poſt quem canonici, vocato ſecum magiſtro Abel archidiacono S. Andreæ, excellentis ſcientiæ viro, ad electionem, elegerunt magiſtrum Robertum de Stutevillis, virum utique nobilem, providum et diſcretum, decanum Dunkeldenſem. Contra quam electionem magiſter Abel appellavit, et appellando Romam petiit. Rex Scotiæ contra canonicos vehementer offenſus, eo quòd ad electionem ſcripſit pro Gamelino cancellario ſuo, et in petitione ſua minimè exauditus eſt. Unde, conſilio malignantium, circa canonicos alienum ſe ſatis reddebat rex, donec, mortuo infra annum Abel, electus eſt Gamelinus ad regis inſtantiam, timore magis, ut creditur, quàm amore. Anno Domini MCCLIII. obiit piæ memoriæ Robertus Groſſum-caput epiſcopus Lincolniæ: in cujus tranſitu cœleſtis harmonia à nonnullis audiebatur; quia injuſtè, ut dicitur, à domino Papa Innocentio IV. excommunicatur. Propter quod de ipſa excommunicatione ad Deum ſummum judicem appellans, in ipſa ſententia defunctus eſt. Et quàm injuſtè ipſa ſententia in ipſum lata fuerit, glorioſa miracula ad ejus tumbam cœlitùs perpetrata oſtendunt. Nec obſtat quod dicitur; *Quodcunque ligaveris ſuper terram.* Hoc intelligendum eſt, ſcilicet, clave non errante. Ipſo anno magiſter Abel, poſt multa diſcrimina et examinationes coram domino Papa factas, rediit epiſcopus de Sancto Andrea, à domino Papa conſecratus; et in die Apoſtolorum Petri et Pauli, cum pontificalibus primò celebravit. Anno ſequenti obiit Abel, cui per electionem ſucceſſit Gamelinus. Et anno præcedenti, ſcilicet Domini MCCLIII. Eadwardus Langſhankis, primogenitus regis Angliæ Henrici, filiam regis deſponſavit Caſtellæ.

CAP. IX.

Quomodo ſecundò remòti ſunt regis conſiliarii.

EOdem anno, ſopitis in regno Scotiæ judicio et juſtitiâ, ob favorem filii ſui regis Alexandri et procerum regni, Henricus rex Angliæ velut pater fidelis, per eos requiſitus, venit uſque ad caſtrum de Werk, ubi habito per reges et ſuos conſules pro ſtatu regni Scotiæ tractatu diligenti, ſtatim omnes conſiliarii regis Scotorum à ſuis officiis ſunt amoti.

Alibi etiam ſic ſcriptum reperi, quòd ipſo anno miſit rex Angliæ comitem Gloverniæ, et Johannem Manſellum clericum ſuum in Scotiam, et, coöperante comite Patricio de Dunbar, regem Scotiæ apud Edinburgh ceperunt, et cum regina ſponſa ſua tunc primò in thoro maritali copulaverunt. In tertio etiam libro, ut ſingulorum vere dicta non reticeam, ſic reperi ſcriptum: Eo tempore comes Patricius de Dunbar, et Alanus oſtiarius, zelo reipublicæ ſuccenſi, et ſui in hac parte fautores volentes inſurgere contra Walterum Comyn, et alios magnates tunc de conſilio regis exiſtentes, ut eos à domino rege amoverent; de conſenſu domini regis Angliæ, ut dicitur, venerunt ad Caſtrum Puellarum cum equis et armis privatim, aſſociato eis Richardo de Clare comite Gloverniæ, et caſtrum ingreſſi, conſiliarios regis et familiam ſuam, tanquam improviſos, expulerunt, et dictum caſtrum cum domino rege et regina ſuis propriis militibus et ſervientibus commiſerunt. Et poſt aliquantos dies regem Scotiæ cum regina ad regem et reginam Angliæ, qui propterea uſque ad Werk venerant, cum magna multitudine adduxerunt. Et ibidem dicti reges, cum proceribus utriuſque regni, diuturnum colloquium tenuerunt, ubi multa ſtatuerunt prælatis et magnatibus Scotiæ ſatis diſplicentia, alia etiam regno ſatis profutura. Ibi ordinaverunt Richardum Dunkeldenſem epiſcopum regis Scotiæ cancellarium, David de Lindiſſeia * ſummum camerarium, et Alanum oſtiarium ſive Durward † ſummum juſtitiarium uſque ſeptennium. In reditu ſuo rex Angliæ apud Lincolniam multos Judæos occidit, eo quòd quendam puerum, Hugonem nomine, crudeliter interemerunt et ſanctum martyrum fecerunt. Ideoque quoſdam patibulo ſuſpendit, quoſdam equis exagitari per plateas fecit, quia dictum infantem cruci appendentes, ibidem exſpirare compulerunt.

Reverſo, ut præmiſi, domino rege Angliæ ad ſua, maxima diſſentio inter magnates Scotiæ orta eſt, ex eo quòd novi conſiliarii regis priores conſiliarios computa de bonis regis conſumptis exigebant, ac per literas ſuas obligatorias ipſos de ſuis factis ad reſpondendum compellebant. Hoc factum eſt anno Domini MCCLV. Quo anno Richardus dux Cornubiæ, frater regis Angliæ, ad imperium Almaniæ elegitur. Quo etiam anno miſit rex Scotiæ nuncios ſuos milites Romam ad caſſandam electionem Gamelini, quam tamen priùs ipſe promovit. Qui poſt varias altercationes coram Papa ventilatas, et burſas evacuatas, ibidem, imperfecto negotio, mortui ſunt. Gamelinus quoque donis et expenſis non parcens, tandem domini Papæ gratiam impetravit, et in eccleſia Sancti Andreæ, à Willelmo Glaſguenſi epiſcopo, in die Sancti Stephani, conſecratus eſt.

CAP. X.

De monaſteriis interdictis, et de captione regis Alexandri.

ANNO Dom. milleſimo ducenteſimo quinquageſimo ſexto, quædam monaſteria Scotiæ auctoritate domini Papæ interdicta ſunt, pro defectu ſolutionis cujuſdam pecuniæ ſummæ magnæ, qua Gameli-

* *David de Lindeſey de Crewfurde*, MS. D. G. M. † Al. *Dorwart.*

nus

nus Sancti Andreæ episcopus dicta monasteria per sigilla sua obligaverat, pro consecratione sua et placitis ad Romam. Quo anno Johannes abbas de Dumfermelyn, pro monasterii sui reconciliatione, Romam proficiscens, in transmarinis partibus apud Ponteigniacum fato concessit: cui Matthæus ejusdem domûs cellerarius successit. Quo in anno, de multis et arduis querelis Walterus Comyn comes de Menteth, et ejus complices, coram rege Alexandro et suis consiliariis sæpius acclamati non comparuerunt. Sed cùm secundùm assisam regni judicium exspectare non auderent, unanimiter consulti, inconsultè tamen et temerè manus sacrilegas in christum Domini apponentes, regem in lecto suo dormientem apud Kinros de nocte rapuerunt, et ante diluculum apud Strivelyn, in crastino Simonis et Judæ, anno Domini MCCLVII. ipsum regem indecenter secum abduxerunt. Sigillum quoque regis magnum, quod magister Robertus Stutevill decanus Dunkeldensis, vicecancellarius Richardi episcopi, portavit, violenter abstulerunt. In ipsa captione fuerunt principales actores Walterus Comyn comes de Menteth, de quo non est modicè mirandum, qui tam fidelis exstitit regi in sua coronatione, et fecit ut amoverentur sui primi consiliarii, eò quòd male regem et regnum gubernabant. Sed certè bona regis, et firmæ ejus pervenientes ad manus consiliariorum, et ejus ratiocinia de eis non putantium se daturos, à via veritatis et æquitatis declinare fecerunt. Propter quod dicit AUGUSTINUS, quòd avaritia, quæ Græcè *philargyria* dicitur, non in solo argento, unde nomen duxisse resonat, sed in omnibus rebus quæ immoderatè cupiuntur et capiuntur, intelligenda est. Ubicunque, inquit, omnino plus vult quisque quàm satis, hujusmodi avaritia cupiditas est: cupiditas verò improba voluntas est, ergo improba voluntas omnium malorum causa est: et ubicunque appositio divitiarum majorem accendit flammam, vehementior ibi fit cupido. Expedit igitur cuique regi habere consiliarios tales, ut præmisimus in Brigitta. Principales etenim actores fuerunt Walterus Comyn comes de Menteth, Alexander Comyn comes de Buchania, Willelmus comes de Mar, in malis actibus ingeniosus satis; Johannes Comyn, vir ad rapinam et temeritatem expeditus; Hugo de Abirnethin, David de Lochor, Hugo de Berkley, et alii quamplures, malignorum satellites: qui nihil ad licitum, sed omnia ad libitum, facientes, per fas et nefas in populo regnaverunt. Et sic fuit novissimus error pejor priore. Multæ persecutiones extunc et tribulationes inter Scotorum proceres exortæ sunt; quia posteriores regis consules damna et mala anterius perpessa in priores refundere nitebantur. Unde tales pauperum contritiones, et ecclesiarum spoliationes sequebantur, quales visæ non sunt in Scotiæ temporibus priscis*.

* *Nostris temporibus*, edit. Hearn.

CAP.

CAP. XI.

De aliis incidentibus, et de intoxicatione et morte comitis de Menteth.

ANNO præcedenti, i. e. Dom. MCCLVI. obiit egregius prædicator de ordine Prædicatorum Clemens epiſcopus Dumblanenſis, variarum linguarum interpres eloquentiſſimus; vir potens ſermone et opere coram Deo et hominibus: qui etiam epiſcopatûs ſui cathedralem, prædeceſſorum ſuorum incuriâ, invenit aporiatam in tantum, ut in ea, tanquam in rurali capella, vix in hebdomada ter divina celebrarentur: quam in inſigne ſanctuarium conſtruxit, terris et poſſeſſionibus ditavit, præbendis et canonicis exaltavit. An. Dom. MCCLVII. obiit magiſter Petrus de Rameſeia epiſcopus Abirdonenſis; cui ſucceſſit Andreas de Porton Angligena, vir priùs per ſacramentum fidelitatis Scoticatus, affabilis, et multum morigeratus. Anno ſequenti obiit piæ memoriæ Willelmus epiſcopus Glaſguenſis, dictus de Bondington, qui multo tempore fuit cancellarius et conſiliarius regis fideliſſimus; vir dapſilis et liberalis in omnibus: qui eccleſiam ſuam Glaſguenſem miro artificio lapideo ædificavit, et multis bonis ditavit et ornavit. Cui ſucceſſit Nicholaus de Muffet, vir laudabilis, Thevidaliæ archidiaconus: qui Romam pro conſecratione ſua proficiſcens, proditione canonicorum ſuorum qui ipſum elegerant caſſatus eſt, et ſic ſedes vacabat. Eodem anno, reſignante Thoma curæ paſtorali, electus eſt in abbatem S. Columbæ Willelmus, in die S. Petronillæ, et in die S. Columbæ apud Craumond benedictionem à Richardo Dunkeldenſi epiſcopo accepit. Eodem anno Walterus Comyn comes veteranus de Menteth veneno uxoris ſuæ, ut dicitur, repentinâ morte interiit: qui fuit dux eorum qui comprehenderunt regem. Et quia, ut prædicitur, iſti Comynenſes præcipuè fuerunt qui contra regem inſurrexerunt, ideo nunc deletum eſt quaſi nomen eorum in terra, cùm et tunc tanquam majores regni multiplicati fuerant ſupra numerum. Unde tunc computati ſunt triginta duo milites hujus cognominis, qui uno et eodem tempore in regno militari accincti ſunt cingulo. Ideo debent milites et magnates attendere ad Apoſtolicum dictum magis accuratè, viz. *Regem honorificate.* Et anno ſequenti, comitiſſa de Menteth, contemptis proceribus nobilibus qui eam ducere volebant, cuidam ignobili militi Angligenæ, Johanni Ruſſel nomine, ſe nupſit. Unde magnates Scotiæ indignantes, mortem comitis viri prioris ei impoſuerunt, et tam ipſum Johannem, quàm comitiſſam, vinculis mancipaverunt. Interea Walterus Bullok, ex parte uxoris ſuæ, totum comitatum de Menteth protervè calumniatus eſt, quem favore magnatum adeptus eſt. Sed et comitiſſa tot adverſariorum inſultationes ſufferre non prævalens, libertati donata, et quâdam ſummâ pecuniæ acceptâ, de Scotia ignominioſè cum viro ſuo eſt profecta. Eodem anno, vacante ſede Glaſguenſi, Alexander Papa magiſtrum Johannem de Chiam, natione Anglicum, in epiſcopum Glaſguenſem Romæ conſecravit, et regi eum deſtinavit: cujus gratiam anno ſequenti, id eſt Domini MCCLX. vix et cum maxima difficultate impetravit. Qui proceſſu temporis clericis ſuis multum infeſtus, quorundam beneficia ſibi uſurpavit, et aliorum erumenas immiſericorditer evacuavit.

evacuavit. Ipso anno magna caristia fuit in partibus Scotiæ, ita quòd bolla farinæ ad quatuor solidos venderetur. Audita sunt tonitrua perhorrida et fulgura immania, quæ homines in agris, et pecora passim, combusserunt, ac messes et arbores pluribus locis urendo consumpserunt. Pluviosus autumnus messes suffocavit. Post autumnum tempestates ventorum domos subverterunt, et strages plurimas fecerunt. Et sic multa signa illo anno apparuerunt. Obiit Alexander Papa eodem anno; cui successit Urbanus quartus.

CAP. XII.

De institutione et indulgentia festivitatis corporis Christi.

HIC anno sequenti instituit omni quintâ feriâ imperpetuum per octavas Pentecostes celebriter fieri festum corporis Christi, populumque fidelem, ad colendum tam salutiferum festum, donis spiritualibus animare volens, omnibus verè pœnitentibus et confessis, qui in matutinali officio festi ejusdem in ecclesia in quâ illud celebraretur, interessent, centum dies; qui verò missæ totidem; et qui in primis ipsius festi vesperis, similiter centum; qui autem in secundis, totidem; illis verò qui primæ, tertiæ, sextæ, nonæ, ac completarii horarum officiis, pro qualibet ipsarum quadraginta: eis autem qui per octavas ipsius festi matutinalibus vespertinis missæ ac prædictarum horarum officiis, interessent singulis octavarum ipsarum diebus, etiam centum de injunctis sibi pœnitentiis misericorditer relaxavit. Hujus devotionis Martinus quintus imitator effectus, præsentis mundi curricula superstitiosis hæresium fomentis guerrarumque turbinibus, pestilentiarum et aliarum calamitatum dispendiis cernens circumplexa, amplioribus recompensationis impendiis fideles eosdem ad impertienda pro veneratione tanti sacramenti; et ut illud quo pascantur et salventur ipsorum corda perlustret, potiora reverentiæ et devotionis exercitia firmare summopere cupiens, singulis ex eis verè pœnitentibus et confessis, qui et quoties in ipsius sacramenti pro festo jejunium, vel, loco ipsius, aliud pium, juxta suorum consilia confessorum, opus fecerint, centum. Et qui præmissis, in ecclesiis quibus illa celebrari contigerit, officiis interfuerint, nec non episcopis et aliis prælatis superioribus qui dictis officiis libenter interessent, sed eis, quo minus in ipsis ecclesiis interesse possint, pro conservandis suarum dignitatum juribus et aliis, legitimè tunc impeditis, pro matutinali ducentos, et pro missæ officiis totidem: ac pro qualibet vesperarum etiam ducentos. Reliquarum verò, videlicet primæ, tertiæ, sextæ, et completorii festi, octoginta. Rursus autem in quibuslibet octavarum diebus, pro singulis matutinalium missarum et vesperarum, similiter centum: nec non et reliquarum horarum officiorum hujusmodi, quadraginta. Illis præterea qui processiones, in quibus ipsum vivificum sacramentum dicto festo juxta præfatarum ritus ecclesiarum deferetur, continuò secuti fuerint, et quibuslibet in festo octavarum diebus hujusmodi, pro pace et tranquillitate ecclesiæ missas devotè celebrantibus, pro singulis ipsarum; necnon aliis in eodem festo eucharistiæ sacramentum devotè sumentibus, etiam centum singulis annis. Profecto vice qualibet eis, qui, dum corpus Dominicum communican-

dis defertur infirmis, illud cum incenſo luminari præcedendo, vel ſequendo, venerentur, ſimiliter centum: et qui tunc illud aliàs devotè ſecuti fuerint, etiam quinquaginta dies, de Omnipotentis Dei miſericordia, de injunctis eis pœnitentiis relaxat. Quodque in feſto et diebus octavarum hujuſmodi, etiam in terris et locis, eccleſiaſtico quamvis auctoritate ſuppoſitis interdicto, pulſatis campanis, januis apertis, et altâ voce excommunicatis prorſus excluſis; ſed interdictis, ut citiùs reconciliari ſtudeant, admiſſis; et illis, qui cauſam vel occaſionem hujuſmodi interdicti dederint, altari tunc nullatenus appropinquantibus, miſſæ et officia præmiſſa licitè celebrari poſſint, auctoritate Apoſtolicâ concedimus per præſentes; aliis, quæ circa obſervationem interdictorum, juxta canonicas ſanctiones, inſtituta ſunt, in ſuo robore duraturis. Inſuper univerſos patriarchas, archiepiſcopos, epiſcopos, et alios eccleſiarum prælatos monet et hortatur, ac in virtute obedientiæ præcipiendo mandat, et in remiſſione peccaminum injungit, ut per ſe, vel per alios, eorum ſubditis, per ſingulas ſuarum civitatum et dioceſium eccleſias in Dominica feriam quintam, ſciz. feſtum prædictum proxime præcedente, ſalutaribus, ad venerationem potiſſimè ſacramenti hujus, monitis et exhortationibus, præſentium literarum continentiam et effectum publicare et inſinuare procurent, ut, eodem ſuffragante myſterio, ſubditi et fideles ipſi, gratiarum uberiori fulciantur augmento; et ab illo qui ſe pro ipſis immolavit hoſtiam, poſt hujus vitæ curſum ad gloriam perducantur æternam.

Iſte eſt effectus bullæ quam legi et copiavi, verâ bullâ plumbeâ cordulâ ſericâ pendente. Dat. Romæ, apud ſanctos Apoſtolos, vij. Kal. Junii, pontificatûs ſui anno duodecimo.

CAP. XIII.

De duplicatione omnium præmiſſarum indulgentiarum.

SAcroſanctum Baſilienſe concilium per bullam plumbeam, cordulâ canabeâ dependentem, et de conſenſu, ut inibi continetur, domini Eugenii Papæ IV. præmiſſas indulgentias duplicavit, formâ ut præmittitur et effectu, quam etiam vidi et perlegi. Et jam pro eo quòd ſumus in materia indulgentiarum, liqueat, quia in indulgentiis dandis ſummus Pontifex habet plenitudinem poteſtatis*, ideo ſummus Pontifex Johannes XII. Divinum cultum ampliare cupiens, et fidelium mentes excitare, perpendens veraciter creſcere malitiam hominum, et indies animas periclitari, niſi de theſauris eccleſiæ et ſanctorum meritis adjuventur, triginta dies indulgentiarum, à prædeceſſore ſuo Urbano IV. præmiſſo conceſſas, omnibus verè pœnitentibus et contritis, qui in fine ſalutationis Angelicæ JESUM nominaverint, ratificavit, et totidem dies adjecit, ſermonem faciens populo Avinione, in die omnium Sanctorum, anno Dom. MCCCXVII. Idem etiam conceſſit cuicunque contrito, ut ſuprà, geniculanti vel reverenter inclinanti ad ſonum hujus nominis JESUS, quoties contigerit nominari, quia non eſt aliud nomen ſub

* Ut de per re eam ex eo, *MS. Col. Ed.*

cœlo

cœlo datum hominibus, in quo oporteat eos ſalvos fieri, triginta dies indulgentiarum. De quo mellifluo nomine, quidam ſic ait;

Omen, ſuper omen, JESUS *eſt venerabile nomen.*
Nomine namque JESU *flectitur omne genu,*
Tam terrenorum, cœleſtium, quàm baratrorum:
Ergo laudemus JESUM *in ſecula ſeculorum.*

Idem conceſſit quoties dicentibus pſalterium beatæ Mariæ XXIII. annos XXIII. ſeptimanas et III. dies indulgentiarum; quod pſalterium compoſuit mag. Stephanus de Langton archiepiſc. Cant. Idem inſuper quoties legentibus, dicentibus vel audientibus paſſionem ſecundùm Johannem: et ne quis, propter ejus prolixitatem à dicendo retraheretur, abbreviavit illud evangelium ſive paſſionem, quæ ſic incipit; "Paſſio Domini "noſtri Jeſu Chriſti ſecundùm Johannem. In illo tempore apprehen- "dit Pilatus Jeſum;" conceſſit CCC. dies. Idem etiam conceſſit XXX. dies cuilibet dicenti, flexis genibus, trinâ vice interpolatim ter ſalutationem Angelicam, ad pulſum campanæ poſt completorium. Idem præterea conceſſit quoties pariter ad veſperas dicenti pſalmum *Magnificat* XXIII. annos totidem ſeptimanas et tres dies. Item quicunque dixerit poſt refectionem, "Deus det vivis gratiam, defunctis miſeri- "cordiam et requiem, eccleſiæ pacem, nobis quoque vitam æternam," haberet quadraginta dies. Item quicunque dixerit, poſt aliquod opus peractum, "Dulce nomen Jeſu Chriſti, et nomen glorioſæ Virginis "matris ejus Mariæ, ſit benedictum in ſecula. Amen;" haberet XL. dies, &c. Item quando tranſitum facis per cœmeterium, vel juxta, dicito, "Avete omnes fideles animæ: Chriſtus, qui vos redemit ſuo "ſanguine pretioſo, dignetur vos à pœnis liberare, et Angelis ſuis in "cœlo aſſociare; qui vivit," habebis XL. dies, &c. Similiter quoties dixeris;

Nos cum prole pia benedicat virgo Maria;

habebis tres annos indulgentiarum. Ad annales redeamus.

Anno ſecundo præcedenti, ſcilicet Domini MCCXLVIII. clericus quidam, in ſynodo epiſcoporum Pariſius prædicare compulſus anguſtiabatur non modicum, quidnam dignè poſſet coram tot prælatis eccleſiæ prædicare. Ac ubi proceſſurus orationem præmitteret, venit ad eum Diabolus, et dixit ei; Quid anguſtiaris iſtis clericis prædicare? dicas eis iſtud, et non aliud; "Princeps inferni principes ſalutat eccleſiæ. "Læti omnes nos grates eiſdem referimus, quia, per eorum negligen- "tiam, ad nos fere totus mundus devolvitur: quia, cum ipſis prælatis, "nobis eorum ſubditi pariter referuntur. Invitus quidem hæc tibi "dico, ſed Altiſſimi juſſione coactus." Reſpondit clericus; Mihi, inquit, ſi narravero, non crederetur. Et Diabolus tangens maxillam ejus; Ecce, ait, ſignum, nigredo inſolita faciei. Hanc antequam prædicas non contingat aqua, quia fruſtra. Poſt prædicationem verò, ſigno crucis, cum ſpergimine aquæ benedictæ, delebis. Proceſſit autem clericus prædicaturus in ſynodo: et, admirantibus cunctis in ſigno faciei inſolito, tantum illa quæ juſſa ſunt recitavit; et ad horrorem maximum cunctorum corda permovit. Simile legimus, ſicut quidam monachus Ciſtertienſis,

Ciſtertienſis, in ſuo POLYCRATICO, recitat accidiſſe in Burgundia; quòd cùm quidam ſacerdos ad ſtatutam veniens ſynodum, tranſitum haberet per medium cujuſdam nemoris, obvium habuit Diabolum in forma hominis transformatum. Quem cùm ſalutâſſet, tradidit ei literam quandam clauſam dandam epiſcopo Rhemenſi et rectoribus congregatis in ſynodo. Quam cùm epiſcopus, in conſpectu omnium, aperuiſſet, legi fecit. Cujus tenor erat talis:

" Rectores tenebrarum rectoribus eccleſiarum ſalutem. Mandamus " vobis quòd multum diligimus vos, eo quòd, quicquid vobis com- " miſſum ſit, per veſtra mala exempla ad inferos cum magno pondere " trahitis. Gaudium namque nobis omnibus eſt de vobis, cum divi- " dimus ſpolia, captâ prædâ." Hæc ibi.

CAP. XIV.

De inventione Sanctæ Crucis apud Peblis, et appellatione comitiſſæ de Menteth.

ANNO Dom. MCCLX. comitiſſa de Menteth nuncios ad Romanam curiam deſtinavit, conquerens de violentia ſibi illata, et de ſpoliatione hereditatis ſuæ. Ad cujus requiſitionem poſtea venit quidam nuncius, à latere domini Papæ Urbani miſſus in Angliam apud Eboracum, Pontius nomine, ad inquiſitionem faciendam, ex ſpeciali mandato domini Papæ, ſuper injuriis et moleſtiis eidem comitiſſæ, ut dicebat, injuſtè illatis. Qui quidem legatus citari fecit dominum Walterum Bullok dicti comitatûs occupatorem; epiſcopos etiam et abbates ac proceres ferme totius Scotiæ, ad perhibendum de his teſtimonium veritati. Quod attemptatum fuit contra privilegium regis et regni Scotiæ, ut aliquis extra proprios fines ad alicui reſpondendum vocaretur. Rex autem perpendens non ſolum ſe, et regnum ſuum, ac ſuos, ſuper his citationibus gravari, ſed et privilegia ſua antiqua in hac parte adnullari; cùm ipſe ſecundùm leges regni ſui paratus eſſet hanc cauſam determinare, non ulteriùs ſe et regnum indebitè ſuſtinens gravari, contra dictum Pontium ad ſummum Pontificem appellavit; et ſic ſub diſcuſſione lis adhuc pendet. Anno ſequenti *, nata eſt in Anglia primogenita regis Scotiæ, nomine Margareta †. Quo etiam anno, ſeptimo Id. Maii, et regni regis Alexandri decimo tertio ‡, inventa eſt quædam magnifica crux et venerabilis apud Peblis, aſtantibus honeſtis viris preſbyteris, clericis, et burgenſibus: ſed quoto anno, vel à quibus perſonis ibidem abſcondita fuerit, penitus ignoratur. Creditur tamen, quòd ſæviente Maximiani ‡ perſecutione in Britannia, per quoſdam fideles ibidem abſcondebatur circa annum Domini ducenteſimum nonageſimum ſextum. Inde verò, non longe poſtea, ibidem reperta eſt urna lapidea, quaſi tribus vel quatuor paſſibus à loco quo illa glorioſa crux fuerat inventa, cineres et oſſa continens cujuſdam corporis humani quaſi membratim detruncati. Cujus autem ſunt reliquiæ, nondum ſcitur ab aliquo. Quidam tamen autumant illius eſſe reliquias, cujus nomen

* *A. D.* MCCLX. chron. Mailr. † *Ultimo die Februarii*, edit. Hearn. ‡ Potius XII.
‡ *Maximiani ſive Maximini*, MSS. Cupr. et Perth. *Maxima*, epit. Paſlet.

inventum

inventum eſt ſcriptum in ipſa petra in qua crux illa ſancta jacebat. Sculpebatur autem in ipſa petra forinſecus; Locus* Sancti Nicholai episcopi. In ipſo quoque loco ubi crux inveniebatur, per ipſam crucem crebra fiebant, et fiunt miracula, atque populi catervatim ibidem confluxerunt et confluunt, oblationes et vota ſua devotè Deo portantes. Unde rex, de conſilio epiſcopi Glaſguenſis, ibidem eccleſiam honeſtam in honorem Dei et ſanctæ crucis fieri fecit. Hoc anno fames magna omnes fines Scotiæ invaſit ex corruptione meſſium. Et orta eſt diſſentio inter magnates Angliæ, eo quòd Franci nimiam familiaritatem regis Henrici nacti ſunt, propter favorem reginæ. Eodem anno fratres de Monte-Carmeli primò venerunt in Scotiam: quibus Richardus Dunkeldenſis epiſcopus quandam capellam honeſtam, quam juxta Perth apud Tulilum ſumptuoſo opere conſtruxerat, primò dedit ad inhabitandum et divina celebranda.

CAP. XV.

De bello de Largis, et victoria per S. Margaretam reginam Scotiæ.

Anno Domini milleſimo ducenteſimo ſexageſimo tertio, circa feſtum beati Petri ad vincula, rex Aco† Norwegiæ venit apud Novum Caſtrum de Are, cum piraticis ſuis navibus octies viginti, habentibus intra ſe viginti millia hominum belligerorum. Dicebat enim omnes inſulas Scotiæ, inter Hiberniam et Scotiam ſitas, jure hereditario ſuas eſſe. Et ideo manu validâ caſtella de Aran et de Botha obſeſſit, et cepit; et omnes eccleſias mari finitimas, abſque metu divino, crudeliter deprædavit. De quo momentaneum profectum conquiſivit. Nam cùm ipſe, cum ſua claſſe, in feſto nativitatis Beatæ Mariæ applicuit in terram de Conyngham, ad locum qui dicitur Largis; interea contigit, quòd quidam miles ſtrenuus, Johannes Wemys nomine, vi quotidianarum febrium vehementer fatigatus, dum laſſa membra, infirmitate aliquantulum mitigatâ, ſomno grato exhibuit, hujuſmodi viſionem cernere promeruit. Videbatur namque ſibi ſe in oſtio aquilonali eccleſiæ Dunfermlinenſis conſiſtere, dominamque vernanti venuſtate decoratam, et omni regio ornatu inſignitam, de eadem eccleſia maturo prodire inceſſu: quæ in manu dextra militem ducebat procerimum, fulgentibus armis indutum, gladio militari accinctum, et cum caſſide coronata redimitum. Quos pedetentim et per ordinem ſequebantur tres incliti milites jocundi et alacres, conſimilibus armaturis præfulgentes. Ex qua viſione miles non modicè, propter ſubitationem inſperatæ obviantiæ, permotus, ſed de eleganti benignitate præcedentis dominæ confortatus, tali Sanctam reginam exorſus eſt affamine: Obſecro, O Domina glorioſa! ut quæ ſis mihi indices, et quò, cum iſtis proceribus te comitantibus, procedis? Ego ſum, inquit, Margareta olim Scotorum regina;

*Locutus, MSS. Cup. et Perth. †*Acho*, ibid. *Hacho*, chron. Mailr. Porrò de anno non ſatis convenit inter ſcriptores, neque de anni tempore. Rem extra dubium ponere viſus eſt Torfæus in ſua Orcadum hiſtoria, qui annum fuiſſe MCCLXIII. confirmat notatis feriis et annulari, quam vocant, ſolis eclipſi nonis Auguſti in hac expeditione ab Achone obſervatâ. At magna eſt chronici Mailroſenſis apud me auctoritas, ubi ad A. D. MCCLXII. hæc notantur.

miles manu ductus dominus eſt Malcolmus rex meus maritus; et hi ſequaces milites noſtri ſunt filii, hujus etiam regni, dum vixerant in humanis, inclitiſſimi reges; cum quibus ad Largis, patriam defenſura propero, victoriam actura de tyranno, qui regnum noſtrum nititur et injuſtè ſuo ſubjugare dominio. Nam nobis*, ut ſcias, hoc regnum à Deo accipimus commendatum, et heredibus noſtris imperpetuum. Cúmque ſermonem regina complêſſet, mox diſparuit; et miles evigilans, quamvis ægritudine chronicâ plus quàm credi poſſet afflictus, (quem ſi forte tunc videres, diceres quaſi in imagine pertranſeuntem hominem, ſine viribus virum procedere volentem, nec valentem) certabat contra naturam ſuam homo impotens, certabat contra ſuorum conſilium, ut ſi proficiſceretur ſine profectu moreretur, ut eis videbatur, ſine mora. Sed, velint nolint ſervi, miles à propoſito non deſtitit, ſed ſive lecticâ vectus vel feretro, ingreſſus iter inceptum ad Dunfermelyn peregit. Cùm autem illuc veniſſet, Priorem domûs accerſivit, viſumque ſuum enarravit ſomnium; nec tale ſomnium quo ſæpe deludimur exſtitit, ſed cœlitus oſtenſum, ut exitus rei ſe habuit. Nondum enim ſervorum manus præ infirmitatis magnitudine virum ipſum poterant ſuſtentare, ut ſingula loca circa feretrum, in quo reliquiæ reginæ ſanctæ continebantur, cum lacrimoſa devotione quiviſſet oſculari. In oſcula igitur et preces ſingultuoſis nutibus ruens in reliquias, ſtatim ſenſit ſe ſoſpitem et jocundum; et qui continuò infirmus† venerat, dans Deo laudes alacris et incolumis receſſit. Dum hæc ita ſe haberent, ecce venit famulus boni nuncii bajulus, referens modum victoriæ apud Largis commiſſæ.

CAP. XVI.

De eodem bello et morte regis Norwegiæ, cum aliis incidentibus.

DUM igitur apud Largis, die‡ et anno quibus ſuprà, grave commiſſum fuit bellum, ubi Alexander Stewart de Dundonald, pronepos primi Walteri Stewart, præerat, et Noricos vicit; ex parte noſtra cecidit Petrus Curry miles. Iſte Alexander fuit avus nobilis Walteri Stewart†, qui deſponſavit Marjoriam filiam domini Roberti de Brois regis. Hujus Alexandri III. regis hoc nomine anno XVI.* commiſſum eſt bellum de Largis. Interea nutu Dei, et meritis Sanctæ Margaretæ reginæ, regni Scotiæ protectricis, ipſo die belli orta eſt in mari validiſſima tempeſtas, quæ naves concutiens ancoras evulſit, vela in undis projecit, ac armamenta ſingula nimiis fluctibus et ventorum rabie dirupta, ab omni prorſus compage ſeriali comperta ſunt et diſſoluta. Quibus ad invicem navibus exagitatis, graſſantibus et conquaſſatis, necnon ad terram et ſcopulos fractis et illiſis, in millibus populi ad littora

* *Mihi --- accepi*, MS. Col. Edinb. † *Infirmus et impotens*, MSS. Cupr. et Perth.
‡ *Octavo die Septembris anno quo ſupra, et regnationis Alexandri III. anno xvj.* ibid. At chron. Mailroſ. diem tertium poſt feſtum S. Michaelis A. D. MCCLXII. nominat: unde haud levis eſt ſuſpicio, Torfæum ſua non ex genuinis diurnis, ſicut ille jactat, ſed hinc inde ut narrationem ſuam exornaret conſarcinaſſe, feriaſque dum præciſe nominet, in ipſo anno, cum noſtratibus pleriſque, aberraſſe. † *Anglorum malleatoris*, addunt MSS. Cupr. et Perth.
* Non equidem XVI. Vide lib. IX. cap. ult.

ſubmerſi

ſubmerſi et dejecti ſalum de cadaveribus ſibi fecit offas. Et qui ad terram illæſi applicuerunt, cum noſtris congrediuntur, et mox proſternuntur, occiduntur, fugantur et ſubmerguntur. Inter ceteros tamen millium occiſorum, unum nobilem Noricum, regis Aconis nepotem, magnæ potentiæ et ſtrenuitatis virum, Noricus rex deflet interemptum. Qui tamen et ipſe rex vix evadens, dolens et mœrens, cum confuſione non modica, uſque ad Orcadiam repatriavit: in qua cùm hiemâſſet, manum fortiorem pro Scotis debellandis exſpectans, ibidem mortuus eſt. De quo quidam Noricus de eo ſic ait:

Aco rex magnus, ſatis audax, mitis ut agnus;
Juſtis lætatur, injuſtis enſe minatur.

Cui ſucceſſit filius ejus, Magnus nomine, vir prudentiæ ac literaturæ gratiâ præclarus: de quo quidam ſic ait;

Norica regna rego, nomine Magnus ego *.

Cujus pater nomine Aco, ut fertur, ante mortem diverſas literas, ſigillatas ſigillis quorundam nobilium Scotiæ, miſit eidem regi Alexandro, continentes quomodo illi nobiles ſcripſerunt dicto regi Aconi, ut veniret in Scotiam, promittentes eidem, quòd ſecum forent in auxilio contra regem proprium. Sed non eſt veriſimile: ſed veriùs creditur, ſicut tradunt alii, quòd, mortuo rege Acone, ſcripſerunt Norici ſub teſtimonio ſigilli regis ſui, ut ſibi præcaveret de certis nobilibus ſui regni rex Scotiæ. Hoc inſtinctu ſcripſerunt, ut præſumitur, ut rex de ſuis magnatibus, tanquam pro commiſſis, vindictam ſumeret, ut et ipſi expeditiùs regnum Scotiæ, ſi libuerit, impoſterum ſubjugarent. Nam ex antiquo fertur Noricos invidiâ tabeſcentes nimium contra Scotos et Pictos fermentari, præſertim quia regnatores in Scotia de ipſis ſæpiùs et ſemper triumphârunt; ſicut potiſſimè patuit in illo admirabili bello de Loncardy, ubi Norica gens cum ſua rege totaliter perierunt. Quo cùm ſemel idem rex, peragratis et depopulatis provinciis tam Pictiniæ quàm Scotiæ ſibi ſubjectis, cum innumerabili exercitu convenerat, et fere totum regnum, tam per mare quàm terram, conflixerat et deditioni ſubegerat: tandem regem Pictorum infra oppidum Berthæ, cum maxima multitudine oppidanorum et aliorum circumvicinorum ad eum confugentium, obſidendo circumcluſit.

CAP. XVII.

Quomodo rex Pictorum de Noricis triumphavit, et navigium ſuum combuſſit, et patriam liberavit.

ET eſt notandum, quòd ſicut in antiquitatis ſcripturis reperi, villa S. Johannis, quæ nunc Perth dicitur, Bertha dicebatur. Unde;

Villa Johannis pluribus annis Bertha dabatur:
Perth quoque dicitur, ac, quia vincitur, ſic vocitatur.

In qua cùm non ſuperfuit regi Pictorum multum de victualibus, præter duo dolia vini, et paucos admodum panes, legationem miſit

* Iſte titulus in baltheo regio ejus inſculpebatur, *MS. Cupr.*

rex

rex obſeſſus regi Noricorum cum illis duobus doliis vini, ſucco nigri hellebori, herbæ viz. ſomniferæ, delibuti, et quatuor carris ſive bigis panibus confertis; quaſi diceret, quòd ſatis abundaret in victualibus: ſed quia durum eſſet contra ſtimulum calcitrare, obtulit ei oppidum, quod in craſtino erat redditurus, dummodo regem et Noricos propterea gratioſos inveniret. Propter quod Norici, ultra modum exhilarati, vacaverunt hac nocte ſequenti luſibus et ebrietati, et tanquam inexplorati, propter jocunditatem nuncii, ſubito antequam diluceſceret, ab oppidanis in gyro circumvallati, cum aliis ut proviſum fuerat compatriotis, et Scotis ſibi tunc conjunctis, in ebriatos impetum cum clangore tubarum, et vociferatione clochbulgiarum, tinnitu pelvium, et ſonitu cymbalorum, cum horrido clamore, in improviſos irruunt, et eos ſine miſericordia, tanquam oves, interimunt; adinvicem dividentes ſpolia, lætantes ſicut victores, captâ prædâ.

Simile hujus legimus de quodam duce Carthaginienſi, de quo refert SEXTUS JULIUS lib. II. cap. v. qui habuit bellum contra quoſdam de Africa qui Carthaginienſibus rebellabant. Fuerunt enim iſti de Africa avidi nimis ad bibendum vinum. Quod intelligens dux, uſus eſt contra eos tali cautelâ: Accepit multa dolia vini, et miſcuit ea cum ſucco mandragoræ, quæ eſt herba mirabiliter ſomnifera, faciens homines dormire ita profundè quòd fiunt inſenſibiles, ſicut dicit ARISTOTELES, primo *de ſomno et vigilia:* et ideo ſolet dari hominibus qui ſunt propter aliquam infirmitatem ſecandi, ut poſſint ſine dolore ſecari. Dolia igitur vini ſic infecti dimiſit iſte princeps in tentoriis ſuis, et fugit ad cautelam, tentoria derelinquens. Africi igitur gaudentes, tentoria invadunt, et invenientes victualia cum vino in abundantia, comederunt et biberunt de iſto vino infecto; et ſtatim omnes ſic oppreſſi ſunt ſomno, quòd nullo modo ſe juvare poterant. Hoc explorans dux prædictus, de nocte rediit ſuper eos, et miſeros, ſicut voluit, trucidavit. Hæc ipſe. Sic factum eſt de Noricis. Sed et ne aliqui eorum pro refugio navigium peterent, ipſâ eâdem nocte qua devicti ſunt Norici, ſicut ante proviſum fuerit, certæ galeæ cum ſcaphis et liburnis, propter hoc garnizatæ et undique collectæ, in amne Thayenſi ex inſperato ſupervenerunt: ubi dum medium ſilentium tenerent omnia, et nox in ſuo curſu iter perageret, uſque ad tertium noctis canticinium nautæ, Gideonico more, in manibus ſiniſtris tenentes lagenas vacuas, ac lampades in medio laguncularum, cum valido clamore cœperunt inter ſe lagenas complodere, et lampades ſubito emonſtrare; dextris verò cœperunt ignifera tela unà cum pilis ac pilulis, ſtupis lini, pice ac bitumine, ſepo necnon ſulphure compactis et compaginatis, fulminationem igneam ſagittare et emittere; quâ tota illa claſſis Norica combuſta et conſumpta deſcendit in profundum, ſicut lapis, et ſicut plumbum in aquis vehementibus: ita ut non ſolum navigium, ſed et fugientes de campeſtri bello ad ipſum, cladem in maritimis experirentur. Unde contigit, ut de numeroſa multitudine Noricorum, tam in mari quàm in terra periclitantium, nec unus quidem inde fuit qui effugeret, vel nuncium de commiſſis Norwegiæ reportaret, præter unum duntaxat militem, ad legationem fungendam propterea monoculatum. Unde contigit regno Scotiæ amodò et uſque in ſempiternum irrecuperabile damnum:

damnum: quia ubi ſinus fluvii Thayenſis erat pro tranquilliſſimo portu in tota Albania habitus et compertus, poſt ſubmerſionem navium, in eiſdem locis ſuccreverunt ſyrtes et colles arenoſi, monteſque gibboſi et amfractus turgidi, quibus quandoque in locis juxta agitationem fluctuum et reciprocationes undarum, nunc loca efficiuntur plana, nunc valles, nunc montana, nunc vadoſa, nunc profunda; ut nunquam in eodem ſtatu biennio videantur continuò permanere. Cujus occaſione de poſt multæ naves ex inſperato, ſicut teſtatur vicinia, ſæpiùs periclitantur. Sed et hoc pro certo conſtare videtur, quòd ubicunque infra ſabulum major navis ſubmergitur, major et tumidior elevatio arenoſa efficitur. Ac in ipſo loco ubi trieris, quam ‡ Græci *durconem* vocant, cum ſuis carinis conglobatis perierat, ibi illa adhuc Charibdis periculoſa, recedente mari, apparet, quæ *Drumlay* dicitur, quod tantum ſonat ſicut Charibdis, ubi ſubmerſi jacuerunt, id eſt *Drounitlay*. Et quia propterea ibidem tam confuſibiliter devicti ſunt Norwegenſes, poſtmodum per multa annorum curricula, nullus cingendus erat in militem qui non devoveret, cùm tempus et opportunitas afforet, mortem avorum vindicare. Sed et certe fuerunt quidam de finitimis regni qui Aconi regi ſcripſerunt, animantes eum contra naturalem ſuum dominum, ſicut in ſequentibus clariùs patebit.

CAP. XVIII.

De homagio facto per regulum Manniæ regi Scotorum.

ANNO Domini milleſimo ducenteſimo ſexageſimo quarto *, natus eſt regi Alexandro filius, paterno nomine vocitatus, apud Jedword xij. Kal.† Januarii, die videlicet Sanctæ Agnetis virginis. Unde per omnes fines Scotiæ, duplici de cauſa, laudes Deo reſonabant, eo quòd uno eodemque die per unum nuncium mors regis Noricorum, qui regem regnumque infeſtabat, per alium verò ſui novelli filii nativitas regi nunciabatur. Morte quidem Noricorum regis Aconis Alexandro regi Scotorum propalatâ, validum feſtinanter exercitum congregans, verſus inſulam de Mannia ſe præparat navigio profecturum. De hoc regulus Manniæ inſtructus, et ultrà quàm credi poteſt perterritus, nuncios ſuos regi direxit; ut, conceſſis ſibi priùs induciis, in propria perſona ſeipſum ſibi ubicunque infra regnum præſentaret. Nec tamen rex à ſuo divertens propoſito proinde reflexit habenas, ſed, ſalvo ſibi miſſo conductu, coactum celeriter exercitum, ad inſulam Manniæ tendens duxit; ad oppidum de Dumfres uſque pervenit. Ubi occurrens idem regulus homo regis Scotiæ devenit, homagium ſibi pro ſuo regniculo faciens imperpetuum de ſe tenendo: ſub hac tamen conditione, quòd ſi rex Noricorum, qui pro tempore fuerit, ipſum præſumpſerit infeſtare, refugium ſibi ſalvum et ſuis haberet in Scotia, futuris de cetero temporibus. Et ipſe regulus Manniæ regi Scotiæ domino ſuo provideret, quoties fuerit opus, decem galeas piraticas, quarum quidem quinque, viginti quatuor remorum, et reliquas quinque duodecim remorum. Quo peracto negotio, de regis præcepto, cum feſtinatione

‡ *Quem*, MSS. C. Ed. et Cupr. * At ſecundum chron. Mail. anno præcedenti.
† Lege omnino xij. Kal. Februarii: is enim et dies S. Agnetis.

debita, Alexander comes de Buchania, Willelmus comes de Murray, et Alanus Durwart, aſſumptâ ſecum non modicâ manu militum ac vernaculorum, occidentales inſulas Scotiæ adierunt; et hos proditores, quorum hortatu, anno præcedenti rex Norwegiæ in Scotiam applicuit, occiderunt, et quoſdam in fugam compulerunt, atque, quibuſdam majoribus ſuſpenſis, maximam ex ipſis inſulis prædam reportarunt.

Hoc anno transfretavit rex Angliæ Henricus et regina, unà cum eorum filio Eadwardo, ad contrahendum matrimonium cum ſorore regis Hiſpaniæ. Obiit Rogerus de Quinci comes Winceſtriæ, conſtabularius Scotiæ; cujus terræ tribus filiabus poſtea æquâ lance diviſæ ſunt. Obiit et Nicholaus de Soules, dominus Vallis de Lyddal apud Rothomagum, vir totius regni eloquentiſſimus et ſapientiſſimus; cui ſucceſſit Willelmus filius ejus. Eodem anno rex Alexander, David comitem de Atholia, et Colbanum filium Malcolmi comitis de Fyfe, et alios quoſdam nobiles, in die natalis Domini armis militaribus apud Sconam inſignivit. Venerunt fratres Carmelitæ primò in Angliam. Maximus etiam exoritur conflictus et contentio inter regem Angliæ et barones ſuos, pro proviſionibus factis in parliamento Oxoniis.

CAP. XIX.

De contractu inito inter reges Scotiæ et Norwegiæ pro inſulis, et de bello inter regem Angliæ et Simonem de Monteforti inito.

NOricorum rex Magnus, filius Aconis, A. D. MCCLXV. miſit ſuum cancellarium dom. Gilbertum epiſcopum de Hamer Alexandro regi Scotorum apud Perth; qui ſibi de Botha et de Aran obtulit imperpetuum inſulas pacificè poſſidendas; adeo tamen ut omnes alias inſulas, quas Aco pater ſuus poſtulaverat, habere poſſet in pace. Quod rex omnino facere parvipendit. Epiſcopus autem, cùm de ſua legatione reſponſum audiſſet, revertens in patriam, regi ſuo nunciavit in vanum ſe laborâſſe: ſed et cum Scotis conſuluit ut tractaret. Igitur anno deinde ſequenti, hoc eſt A. D. MCCLXVI. remiſit rex Noricus Magnus dictum ſuum cancellarium et alios magnates in Scotiam: qui per literas de rato ex parte domini ſui regis Norwegiæ, regi Scotorum Alexandro contulerunt omnes inſulas quæ ſunt inter Scotiam et Hiberniam, quas Aco pater ſuus præclamaverat; ac etiam omne jus et clamium, quod in dictis inſulis unquam ipſe rex Magnus, vel ſuorum quiſquam prædeceſſorum habuit, eidem regi Scotiæ reddiderunt: dummodo ipſe rex Scotiæ, infra duos annos, quatuor millia marcarum argenti dicto regi Norwegiæ perſolveret, et ſingulis annis ſibi poſtea et ſuis heredibus centum mercas. Habito ſuper hoc maturo aviſamento, tandem ad id conſenſum eſt, quamvis pluribus de Scotia contractus diſplicuerat, propter hoc, quòd per multorum curricula temporum, priùs quàm Scoti longè Britanniam advenerant, introducti primò per Eugenium Rothay quendam eorum ducem, prædictas coluerunt inſulas; et abinde, uſque ad tempus illud fatale contentionis filiorum regis Scotiæ Malcolmi Canmore contra Dovenaldum Bane, dictorum filiorum patruum, quo diviſo totaliter regno, Magnus nomine Noricorum rex, filius Olavi, potenter inſulas invadens, ſuo ſubdiderat dominio, Scoti, nullâ interruptione præpediti, eaſdem continuò poſſederunt.

Anno

Anno præcedenti exorta eſt magna diſſentio inter Henricum regem Angliæ et Eadwardum filium ſuum ex una parte, et Simonem de Monteforti comitem de Leiceſter ac magnates Angliæ ex altera. Unde ipſi magnates Alienoram reginam Angliæ, et omnes Francigenas, cum confuſione de finibus Angliæ ejecerunt. Rex verò Henricus et filius ejus exercitum circumquaque copioſum colligentes, contra dictos magnates apud Lewis* pridie Idus Maii bellum commiſerunt. Tandem utrinque, ſtrage non modicâ procerum et populi peractâ, rex, et filius ejus Eadwardus, Langſchankis nuncupatus, à Simone Montford capiuntur; ac etiam dominus Johannes Comyn, et alii milites et valentes viri Scotiæ, qui, juſſu regis Alexandri, ad ſuccurſum regis Henrici venerant, capti ſunt, et apud Londonias carceribus deputantur †.

CAP. XX.

De evaſione principis Eadwardi, et bello de Eveſhame.

ANNO Domini MCCLXV. apparuit in Anglia mirabilis cometa per XV. continuè dies. Quo anno Eadwardus filius regis Angliæ, qui in cuſtodia arctiſſima ſervabatur, inauditâ prudentiâ, ante feſtum Sancti Johannis Baptiſtæ, de procuratione Gilberti comitis Gloverniæ, evaſit: nam cuſtodibus ſuis ſeipſum quamplurimè exinanivit ‡, quibus et ſi pauca dedit, multa tamen promiſit, et eiſdem ſe conſonum in omnibus exhibebat; attendens ad illud Saluſtii dicentis;

Conſulo, quiſquis eris, qui pacis fœdera quæris,
Conſonus eſto lupis cum quibus eſſe cupis.

Id eſt, quamdiu eſſe cupis. Poſtquam igitur Eadwardus princeps carceres evaſerat, congregato undicunque exercitu grandi, apud Eveſhame inter ipſum principem et Simonem Leyceſtriæ comitem forte bellum committitur in vigilia S. Oſwaldi. In quo conflictu ipſe Simon cum Henrico primogenito ſuo interemptus eſt. Ipſo verò in bello octoginta ſeptem proceres, nobiles, trecenti vernaculi armati, et quingenti pedites ex parte comitis Simonis corruerunt, et quamplures carceribus ac vinculis mancipati ſunt. Rex autem Scotiæ, ex ſua mera voluntate, ad ſuccurſum regis Angliæ et conſanguinei ſui Eadwardi, tres homines de qualibet hida in expeditione connumeravit; ſed, auditâ ruinâ Simonis cum ſuis complicibus, Scoti, liberaliter à principe Angliæ dimiſſi, ad propria redierunt. Hida autem terræ vocatur unius aratri culturæ ſufficiens per annum: unde hidæ dicuntur jugera †. Omnes quoque qui cum Simone in bello perſtiterunt, exheredati ſunt, aut proſcripti: ita ut in anno ſequenti rex Angliæ infra unam hebdomadam terras ſeptemdecim millium quingentorum ac ſexaginta nobilium alienis conferret; quorum pars maxima vias et ſtratas obſidebat et in ſpoliationes facti ſunt. Mortalis tunc obſidio inter regem et exheredatos erupit, quâ villæ combuſtæ ſunt, oppida diruta, territoria depopulata, eccleſiæ ſpoliatæ,

* *Hewis*, MSS. † *Contruduntur*, edit. Hearn. *mancipati*, MS. Harl. ‡ *Et placenter humiliavit*, addit MS. Cupr. † Ita MS. Col. Edin. at num jugerum numerus exciderit, non dicam: certe jugerum Latinis exæquaſſe hidam apud noſtrates minime videtur. * *Ex Anglia proſcripti*, edit. Hearn.

religioſi

religioſi à cœnobiis effugati, eccleſiaſtici angariati, populi peſſundati: nuſquam pax, nuſquam ſecuritas; ſed ſqualor, calamitas, fames et rapina viguerunt. Hoc in tempore de exheredatis et bannitis ſurrexit et caput erexit ille famoſiſſimus ſicarius Robertus Hode et Litill-Johanne cum eorum complicibus, de quibus ſtolidum vulgus hianter in comœdiis et in tragœdiis prurienter feſtum faciunt, et, præ* ceteris romanciis, mimos et bardanos cantitare delectantur. De quo etiam quædam commendabilia recitantur, ſicut patuit in hoc, quòd cùm ipſe quondam in Barniſdale, iram regis et fremitum principis declinans, miſſam, ut ſolitus erat, devotiſſimè audiret, nec aliquâ neceſſitate volebat interrumpere officium; quadam die cùm audiret miſſam, à quodam vicecomite et miniſtris regis, eum ſæpiùs perprius infeſtantibus, in illo ſecretiſſimo loco nemorali, ubi miſſæ interfuit, exploratus, venientes ad eum qui hoc de ſuis perceperunt, ut omni anniſu fugeret ſuggeſſerunt. Quod, ob reverentiam ſacramenti quod tunc devotiſſimè venerabatur, omnino facere recuſavit. Sed ceteris ſuis ob metum mortis trepidantibus, Robertus in tantum confiſus in eum quem coluit, inveritus, cum paucis qui tunc ei forte affuerunt inimicos† congreſſus eos de facili devicit, et de eorum ſpoliis ac redemptione ditatus, miniſtros eccleſiæ et miſſas in majore veneratione ſemper et de poſt habere præelegit: attendens quod dictum eſt;

Hunc Deus exaudit qui miſſam ſæpius audit.

Eadwardus tandem filius regis rebelles ſuos quoſque volens ſubjugare, Johannem de Veſci, et alios quoſdam, in caſtello de Alnwick clanculò cepit, et uſque Londonias tranſmiſit. Deinde apud Roxburgh cum rege Scotiæ colloquuturus ſe divertit. Cui rex Scotiæ et regina Margareta, ſoror dicti Eadwardi, et fere tota nobilitas Scotiæ occurrerunt. Et poſt multas exultationes et applauſus utrinque factos, alteruter‡ ad propria cum gaudio ſunt reverſi. Eodem anno Richardus epiſcopus Dunkeldenſis novum chorum in eccleſia Sancti Columbæ de Æmonia propriis conſtruxit ſumptibus, cujus animæ propterea benedicat Dominus. Amen.

CAP. XXI.

De Ottobono legato in Scotiam non admiſſo, et aliis incidentibus.

ANNO Domini MCCLXVI. obiit Malcolmus comes de Fyſe: et regina Angliæ de partibus tranſmarinis in Angliam transfretavit. Filius et heres comitis de Mar deſponſavit comitiſſam, relictam comitis de Fyſe nuper defuncti. Iſto etiam anno graſſati ſunt acriùs Angliæ barones exheredati et regales: inter quos Rogerus de Mortuomari marchias Walliæ, Johannes Daynillis inſulam de Heli occupabant. Robertus Hode nunc inter fruteta et dumeta ſilveſtria exulabat. Inter quos quàm maximæ ſtrages communibus et plebeiis, civitatibus et mercatoribus ingruebant. Sed et inſuper munitiſſimam caſtrum de Killinword, ad quod fere omnes proceres regi rebelles confugerant, Henricus

* *Super ceteras romanciis*, MSS. Col. Ed. et Harl. † *Inſequentes*, MS. Cup. ‡ Al. *alterutri*.

rex

rex cum Eadwardo principe filio ſuo et exercitu obſident copioſo. Unde ipſi qui fuerunt de reliquiis Simonis de Monteforti, videntes ipſum caſtrum propugnaculis et antemuralibus inexpugnabile, pro viribus conſtanter repugnabant. Tandem, inediâ fameque pertæſi, caſtrum tali pacto reddiderunt, ut et ipſi vitas et membra obtinerent. Ottobonus interea Romanæ ſedis legatus, ad pacem inter regem et barones reformandam in Angliam veniens, Londoniis reſidentiam fecit. Qui fruſtra ſe laborare perpendens, epiſcopis Scotiæ ſcripſit, ut de ſingulis eccleſiis parochialibus quatuor marcas, de eccleſiis quoque cathedralibus ſex marcas, nomine procurationis ſuæ, ſibi deſtinarent. Quod rex de conſilio cleri omnino fieri prohibuit. Inſuper pro expenſis ad hoc fiendis acceptâ à clero pecuniâ duorum millium marcarum, ad ſedem Apoſtolicam appellavit. Hoc in anno Sarraceni multos de fratribus Templi et Hoſpitalis interfecerunt, ac eorum terras invaſerunt. Adam abbas de Melros, ob ejus ſuperbiam et obſtinationem, apud capitulum generale depoſitus eſt, et Johannes ejuſdem domûs Prior in abbatem electus eſt. Hoc etiam anno oſſa epiſcoporum Dunkeldenſium tranſlata ſunt; ſcilicet oſſa epiſcopi Johannis de Leyceſtre ad auſtrum, oſſa verò Richardi et Gilberti ad aquilonem, in novo choro inſulæ Æmoniæ, juxta altare, ſunt tumulata. A. D. MCCLXVII. facta eſt pax inter regem Henricum Angliæ, et Leulinum princ. Walliæ. Ludovicus rex Franciæ filium ſuum apud Pariſius in die Pentecoſtes coronavit, et crucem verſus Hieroſolymam contra Sarracenos pugnaturus accepit. Eadmundus junior filius regis Angliæ factus eſt comes Leyceſtriæ, quam per mortem rebellis amiſit Simon de Monteforti, filio ſuo Simone in Francia exulante. Hugo Giffard de Zeſter moritur, cujus caſtrum, vel ſaltem caveam, et dongionem, arte dæmonicâ antiquæ relationes ferunt fabrifactas: nam ibidem habetur mirabilis ſpecus ſubterraneus, opere mirifico conſtructus, magno terrarum ſpatio protelatus, qui communiter Bohall appellatus eſt. Eodem anno Robertus de Maneris, camerarius quondam domini regis Alexandri, mortuus eſt. Robertus de Abirbrothoc exabbas effectus, eo quòd monachi providentiam exhibitionis ſuæ, per Gamelinum epiſcopum Sancti Andreæ factam, irreverenter ſubtraxerant, et pudenter ejecerunt, ſedem appellans petiit Apoſtolicam. Pax inter regem et barones Angliæ, per Ottobonum Romanæ ſedis legatum et archiepiſcopum Rothomagenſem, circa feſtum S. Johannis Baptiſtæ, reformata eſt: ita ut, omni rancore utrinque ſedato, rebelles regis terris et redditibus ſuis per triennium privarentur.

CAP. XXII.

De aliis incidentibus, et diſſentione inter regem et clerum Scotiæ.

ANNO quo ſuprà, vermes et erucæ olera per totam fere Angliam et Scotiam, tanquam bruchus, corroſerunt. Tempus fuit ſiccum et amœnum, et fructus terræ abundans. Sed in profeſto undecim mille virginum, tempeſtas permaxima ab aquilone ſuborta eſt: unde mare in rabiem concitatum, fines debitos miro modo tranſgrediens, domos, villas, arbores complanavit, et damna plurima intulit multis locis, ſed maximè inter flumina de le Tay et Tweed. Tempeſtas talis

non eſt viſa à diebus Noæ uſque ad diem illum, ſicut adhuc veſtigia manifeſtant. Reginaldus le Chene camerarius regis effectus eſt. Ipſo anno pacavit clerus Scotiæ Ottobono legato in Anglia commoranti, de qualibet marca ſex denarios, et Huberto cardinali de qualibet marca quinque denarios, non obſtante appellatione de conſenſu regis, et expenſis ſibi propterea præſolutis. Nam quamdiu rex cum ſuo clero unanimes perſteterunt, ſua jura viriliter defenſârunt. Sed, rege commoto contra clerum, inconſultè ſatis per iniquos conſiliarios, remiſſiùs ſe in facto eccleſiæ habuerunt: quod levi cauſâ nullatenus rege fovendâ, ſubito nimis emerſerat. Rex autem in ſe firmiter quadratus, et in cunctis agendis ſatis ſtrenuus et conſultus; inſtinctu tamen ſuorum curialium contra eccleſiam et clerum cœpit rebellare, contra morem ſolitum, fovens exceſſus militum. Nam venerabilem virum, ſibi olim interrimum, de Sancto Andrea epiſcopum Gamelinum, per mobilia et manerias ſuas ſaiſando ſive recognoſcendo, voluit omnino de facto compellere ut Johannem de Dunmore militem, pro offenſis manifeſtis Priori et conventui de Sancto Andrea injuſtè illatis excommunicatum, nullâ ſatisfactione præambulâ, abſolveret. Epiſcopus verò ipſum ad inſtantiam regis nequaquam abſolvere curavit; ſciens quòd venia non datur niſi correcto, quinimmo ut bonus judex ſententiam in ipſum dom. Johannem confirmavit; et omnes alios qui ad illam compulſionem conſilium dederunt, exceptis duntaxat perſonis domini regis, reginæ, et eorundem liberorum, tam per epiſcopatum ſuum, quàm per alios epiſcopatus, fecit conſtanter excommunicatos denunciari: ab ipſa denunciatione non ceſſando, donec miles, rubore ſuffuſus, humiliter veniam petiit, et, ad inſtantiam regis abſolutus, quod forisfecerat plenariè ſatisfecit. Rex itaque et clerus concors effectus, cautiùs ſe de cetero opponentibus reſtiterunt, ſicut in ſequentibus patefiet. Nam cito poſt hæc venit quidam Romanus ex parte legati, petens licentiam à domino rege Scotiæ, ut ipſe legatus Romanus poſſet fines Scotiæ intrare et viſitare. Rex cum clero conſultus, viſâ commiſſione legati, hoc omnino fieri denegavit. Interim obiit Albinus epiſcopus Brechinenſis; loco cujus electus fuit Willelmus ipſius eccleſiæ decanus, vir per omnia laudabilis, ſed raucæ vocis; qui gratiam legati, ſi qua in eo ſuperfuerat, Angliam adiit, de conſecratione petiturus: ubi nihil proficiens, ſed quaſi cum indignatione electum ab eo rejiciens, curiam Romanam indilatè adivit, et de confirmatione ac conſecratione faciliter ſe expedivit.

CAP. XXIII.

Quomodo epiſcopus vel prælatus ſe debet habere erga principes et tyrannos.

A DIEBUS illis dominus rex epiſcopum Gamelinum in magna reverentia et ac dilectione habebat, ſciens eum virum juſtum et ſanctum. Ad conſilium cujus de poſt multa bona faciebat, et libenter eum, non tanquam Herodes, ſed tanquam rex catholicus, ut Johannem audiebat. Propter quod utrique competere poterit quod ſcriptum eſt, SAPIENTIÆ cap. x. viz. "Stetit contra reges horren-"dos." Omnis bonus prælatus talis debet eſſe, ut pro jure eccleſiæ, et pro veritate ſanæ doctrinæ audeat ſtare contra principes et tyrannos, ſicut

ſicut apoſtoli et prophetæ, ſicut martyres et confeſſores: ut de eo poſſit dici quod ſcriptum eſt Sapientiæ decimo, " Stetit contra reges " horrendos." In quibus verbis bonum prælatum quatuor commendant; duo à parte ſubjecti, et duo à parte objecti. A parte quidem ſubjecti, videlicet, rectitudo conſcientiæ, fortitudo reſiſtentiæ: à parte objecti, altitudo reverentiæ, magnitudo benevolentiæ. Ibi ſtetit contra reges horrendos. Primò enim debet eſſe in prælato rectitudo conſcientiæ; unde monet Apoſtolus: " State ſuccincti lumbos veſtros in " veritate, et induti loricâ juſtitiæ, et calciati pedes in præparationem " evangelii pacis." Proprietas palmæ eſt quòd nullo pondere impeditur, quin ſemper teneat ſtaturæ rectitudinem, quantumcumque onus magnum ſibi ſuperponatur, cùm creſcit: et ideo quia ſic invenitur invictæ virtutis, deputabatur in ornamentum victorum. Moraliter prælatus bonus quantumcumque ſibi onus imponatur, ſive per perſecutionem tyrannicam, ſive injuſtam calumniam, ſemper tamen ſervare debet ſtaturæ rectitudinem in conſcientia, ut ſibi merito dici poſſit illud CANT. VII. " Statura tua aſſimilata eſt palmæ." Dicit enim ARISTOTELES, *primo Ethicorum*, quòd virtuoſus debet eſſe tetragonus ſive teſſera, quæ in omni parte ſua æqualiter ſtat*. Secundò, in bono prælato debet eſſe fortitudo reſiſtentiæ contra malos; et ideo dicitur *contra*: non enim licet ſibi fugere, fingere, vel favere: fugere, per curæ dimiſſionem; fingere, per diſſimulationem; favere, per adulationem; ſed ſtare, ſcilicet contraveniendo, contra opponendo, contradicendo. Unde de prælatis bonis poteſt exponi illud Pſalmiſtæ: " Poſuiſti nos in contra- " dictionem vicinis noſtris." Tertiò, a parte objecti notatur altitudo reverentiæ, quia *contra reges*. Sic Helias contra Achab, et omnes prophetæ contra reges ſe objecerunt: ſicut ſparſim patet in libris Regum et Macchabæorum. Et ut in geſtis Perſarum et Medorum reperitur, Orientales utuntur elephantibus in bellis ſuis: eſt enim elephas animal ita forte, quòd ſupra dorſum ſuum conſtruitur unum caſtrum ligneum, in quo poſſunt triginta vel quadraginta vel eocirca homines dimicare. Alexander ergo pugnaturus contra Porum regem, duplici contra iſtos elephantes utebatur cautelâ: unâ vice ordinavit quòd ponerentur ſtatuæ æneæ plenæ prunis calidis et ferventibus in via ubi debebant tranſire iſti elephantes; qui ſtatuas homines æſtimantes, eas cum promuſcidibus ſubvertere nitebantur, et ſtatim, ab ære ferventi in promuſcidibus combuſti, fugam inierunt, et maximam ſtragem in exercitu Indorum fecerunt. Aliâ vice coram ſuo exercitu fecit inviari unum gregem porcorum, in quo juſſit unum porcellum teneri et affligi: quo clamante, totus grex grunnire cœpit. Modò naturaliter elephas timet ſuis grunnitum. Audientes autem illi elephantes tantum ſtrepitum porcorum grunnientium, fugam inierunt, et in exercitum proprium maximam ſtragem fecerunt. Moraliter per iſtos elephantes, qui ſunt animalia maxima fortiſſima, et caſtiſſima, deſignantur majores prælati in eccleſia propter magnitudinem dignitatis, et propter ſimilitudem caſtitatis; quia elephas eſt animal caſtiſſimum. Horum eſt officium exercitum eccleſiæ præcedere, et malos hoſtes mugitu prædi-

*Al. *fiet*.

cationis

cationis ſuæ terrere. Super iſtos collocantur turres ligneæ, quia eis ſupponuntur eccleſiæ, et committuntur animarum curæ. Talis fuit Petrus, cui dixit Dominus; " Tu es Petrus, et ſuper hanc petram " ædificabo eccleſiam meam." Diabolus ergo timens iſtos, duplicem providet cautelam; primo enim ponit contra eos ſtatuas æneas plenas igne. Iſtæ ſtatutæ ſunt mali nobiles, proceres, et potentes, qui videntur generoſi, ſicut fuerunt patres eorum qui eccleſias dotaverunt; ſed non ſunt niſi ſtatuæ et larvæ, quia effigiem exteriorem hominis habent, ſed non vitam, non prudentiam, non rationem, non manſuetudinem quam homini indixit natura. Sunt tamen ſtatuæ æneæ, propter ſtrepitum pompæ et ſecularis ſuperbiæ; repleti intrinſecus igne iracundiæ. Et ideo ſunt de familiaritate et ſecta Diaboli, de quo dicit Job; " Halitus " ejus prunas ardere facit." Iſti ſtant contra elephantes, id eſt epiſcopos, et comburunt promuſcidas eorum; ita quòd nec corripere nec corrigere eos audeant. Et non timent ſolùm iſtos epiſcopi noſtri moderni; immò ſtrepitum porcorum. Porci ſunt lubrici; et moraliter ſus eſt meretrix, juxta illud *Proverb.* xi. " Circulus aureus in naribus " ſuis, eſt mulier pulchra et fatua." &c. Non ſic timuit noſter Gamelinus, ſed ſtetit contra reges horrendos, ſicut et Moſes, in portentis et ſignis.

CAP. XXIV.

Quomodo citantur per legatum prælati et clerus Scotiæ, et de crucefignatione, et aliis incidentibus.

ANNO quo ſuprà, ſciz. Domini MCCLXVII. Johannes de Chiam epiſcopus Glaſguenſis, non bene conveniens cum ſuis canonicis et clericis, ultimum vale illis faciens, adiit partes tranſmarinas; et in receſſu ab eiſdem, cùm omnes Deo commendaret, clarâ ſibi voce ait quidam clericus, forte ab eodem perprius beneficio mutilatus;

Hoſpes colubri, non rediturus abi.

Alexander rex Scotiæ tenuit natale ſuum regaliter et cum maximo applauſu apud Berwicum, fere cum omnibus proceribus regni ſui: ubi etiam affuit Eadmundus junior filius regis Angliæ, comes Leyceſtriæ, cum ſorore ſua Scotorum regina collocuturus, et regem Scotiæ ſolatiaturus: ubi etiam Johannes, filius Johannis Comyn, ab ipſo rege Alexandro baltheo præcingitur militari. Anno ſequenti citati ſunt per Ottobonum legatum omnes epiſcopi Scotiæ, ut ad quindenam poſt Paſcha coram eo, ubicunque foret, comparerent, ad ſuum concilium celebrandum. Similiter mandavit clero Scotiæ, ut vel abbates duo, vel duo Priores pro toto clero Scotiæ mitterentur. Attamen epiſcopi, communi conſilio, pro ſe deſtinaverunt Richardum et Robertum Dunkeldenſem et Dumblanenſem epiſcopos, ne quid, ipſis abſentibus, in eorum præjudicium ſtatueretur. Clerus verò reliquus pro ſe miſit abbatem de Dunfermelyn, et Priorem de Londoris. Legatus quoque nova ſtatuta quædam, tam de ſeculariſbus quàm de religioſis perſonis, Scotorum præcipuè, conſtituit; quæ penitus clerus Scotiæ obſervare recuſarunt. Legatus tandem, pace qualicunque in Anglia inter magnates reformatâ, crumenâ plenâ repatriavit, circa S. Johannem. Eodem anno magna

ſignatio

ſignatio crucis ubique terrarum contra Sarracenos facta eſt. Nam cruce-ſignatus eſt Ludovicus Chriſtianiſſimus rex Franciæ, cum filio ſuo primogenito Ludovico, cum plebe plurima ſuorum procerum. Similiter Eadwardus et Eadmundus, filii regis Angliæ, et cum eis Anglorum turba magna. Ad quorum expenſas, hortatu Ottoboni, et ad inſtantiam regis Angliæ, Papa Clemens clero Scotiæ ſcripſit, ut decimum denarium omnium ſuorum proventuum eccleſiaſticorum Angliæ regi perſolverent. Quod rex et clerus, unanimi conſenſu et voce, facere renuerunt; pro eo quòd de proprio ſuo regno miſſuri erant, juxta qualitatem regni, competenter. Nam nobilis David comes de Atholia, et Adam‡ comes de Carrik, cum aliis quampluribus nobilibus et militibus cruce-ſignati, lætantiùs ad expeditionem proceſſerunt. Hoc anno hiems erat aſperrima continuis turbinibus grandium, nivium et pluviarum. Rex Manniæ mortuus eſt; cujus relictam comes Maliſius de Strathern poſtea duxit, ſcilicet filiam Eugenii de Ergadia*.

CAP. XXV.

De diverſis incidentibus, et quòd excommunicatio non eſt parvipendenda.

REX Alexander verſus Man exercitum ſuum citari fecit, ibidem contra inſultus rebellium caſtrametaturus. Tandem inito conſilio, quoſdam de ſuis cum Galweyenſibus† illuc tranſmiſit; et exercitus reverſus eſt. Ver fuit ventoſum et pluvioſum; æſtas ſimiliter ventoſa, frigida et pluvioſa: unde magna ſtrages fuit animalium, ſcilicet cervorum, damarum, equorum ſilveſtrium, ſed maximè ovium. Maria mater regis Alexandri, ſcilicet uxor Johannis de Aconia, fugiens à viro ſuo venit in Scotiam de partibus tranſmarinis. Inter quos tandem Johannes epiſcopus Glaſguenſis pacem reformavit, ad inſtantiam regis Scotorum ſibi ſcribentis, ita ut ipſe ſingulis annis perciperet de dote ipſius in Scotia quingentas marcas, et ipſa moram faceret in Scotia. Obiit comitiſſa de Mar, ſoror comitis de Buchania. Magna diſſentio orta eſt inter comitem de Mar et epiſcopum Moravienſem, ob multas injurias eccleſiæ Moravienſi illatas per ipſum comitem. Unde ipſe comes à legato excommunicatus eſt. Abbas de Melros, et magna pars conventûs ſui, in concilio apud Perth celebrato ſolenniter excommunicatus eſt, eo quòd pacem de Wedal infregerunt, et domos epiſcopi S. Andreæ violenter invadentes, quendam clericum interfecerunt, et alios plures vulneratos reliquerunt. Eadwardus et Eadmundus filii regis Angliæ, poſt bellorum ſedationem et rebellium confœderationem, venerunt apud Rokeſburgiam, gratiâ ſpatiandi, et cum rege Scotiæ et regina, ſorore ſua, colloquendi. Conſequenter rex Scotiæ cum manu militum electa et modeſta Eboracum acceſſit unà cum regina, ſocerum ſuum regem Angliæ de tribulationibus et anguſtiis præhabitis conſolaturus. Obiit Johannes epiſcopus Glaſguenſis, vir eximiæ ſcientiæ, in partibus tranſmarinis. Et electus eſt magiſter Nicholaus de Moffet, archidiaconus Thevidaliæ; qui etiam ante dictum Johannem electus fuit in epiſcopum, ſed fraude canonicorum ſuorum, ut præſcripſimus, caſſatus,

‡ *Adam de Kilconath*, Chron. Mailr. * *Argadia*, MS. Col. E. † Al. *Galvalenſibus*,

vir ſanctæ vitæ et dapſilitatis. Obiit etiam Papa Clemens. Hoc anno Corradinus, nepos olim Frederici imperatoris, domini Papæ Clementis IV. excommunicationem parvipendens, cùm regem Carolum, fratrem regis Francorum, cui Papa regnum Siciliæ contulerat, debellaturus intraret; et plerique factum regis Caroli pro deſperato haberent, congreſſum cum innumeris contra dictum regem pauciſſimis comitatum confecit; ſed ſtatim Corradinus in excommunicatione perſeverans, poſt fugam captus decollatus eſt. Hic Clemens Papa ſedit annis tribus menſibus novem, et tanto tempore ſedes vacavit. Hic uxorem et filios habens, primo fuit famoſus advocatus regis Franciæ et conſiliarius. Deinde, mortuâ uxore, propter vitam bonam et ſcientiam laudabilem, primò Podienſis epiſcopus, et poſt Narbonenſis archiepiſcopus, tandem Sabinenſis epiſcopus et cardinalis efficitur. Sed cùm poſt in Angliam, propter pacis reformationem, à Papa Urbano legatus miſſus fuiſſet, abſens à cardinalibus Peruſii in Papam electus eſt. Sic vigiliis, jejuniis et orationibus, ac aliis bonis operibus intentus fuit, quòd multas, quas tunc eccleſia ſuſtinebat tribulationes, Deus ſuis meritis creditur extinxiſſe.

CAP. XXVI.

De aliis incidentibus.

ANNO Domini MCCLXIX. hiems erat aſperrima, ita quòd à feſto Sancti Andreæ, uſque ad feſtum Purificationis, nemo poterat arare aut terram excolere. Rex Angliæ miſit iterum nuncios ad petendum decimum denarium de clero Scotiæ. Clerus verò, ſicut priùs, reclamavit, et ad dominum Papam appellavit, ac clericos propterea ad curiam deſtinavit. Hoc etiam anno orta eſt diſſentio inter comitem de Atholia et Johannem Comyn, eo quòd dictus Johannes caſtrum fundavit apud Blaire, in præjudicio ipſius comitis: quam rex, conſilio procerum ſuorum, ſedavit. Cauſa diutinæ vacationis ſedis Apoſtolicæ fuit diſſentio inter cardinales: quia citramontani tranſmontanos contempſerunt, eo quòd ambo ad apicem Apoſtolatûs aſpirabant. Mortui ſunt clerici de Scotia ad curiam Romanam, qui ibidem variis de cauſis mittebantur. Audita ſunt plura miracula per S. Simonem comitem de Monteforti apud Eveſhame, qui pro fidelitate et pace terræ Anglicanæ in bello cum multis corruit: ſed propter indignationem regis et regalium, miracula ſunt interim repreſſa. Ipſo anno Johannes abbas de Melros curæ reſignavit paſtorali; et dominus Robertus de Keldeleth, olim abbas de Dumfermelyn, et deinde regis cancellarius, ſed metu ductus, ut præmiſimus, apud Neubotil habitum ordinis Ciſtertii ſuſcepit, abbas effectus eſt Melroſenſis. Obiit Richardus abbas de Cambuſkenneth; et Richardus Groſſus, ejuſdem eccleſiæ Prior, in abbatem præficitur. Obiit Hugo Prior de Maia, vir magnæ ſanctitatis et abſtinentiæ; et Willelmus monachus de Redinghis ad Scotiam miſſus, in Priorem à domino rege pro tunc admittitur. Sed propter pericula quæ regno poſſent per talem locum exoriri, rex taliter operatus eſt, ut de poſt Anglici ad infirmiora regni exploranda non admittantur, redemit locum, ne inimici inter regnicolas ſedem vendicarent, et ad iſtud

accelerandum,

accelerandum, et ad quitantiam habendam de monachis de Redinche; ſolvit dominus Willelmus Wiſchard epiſcopus S. Andreæ ſeptingentas marcas; et contulit ipſum prioratum monaſterio Sancti Andreæ pleno jure. Reginaldus de Chene camerarius domini regis curam ſuam reliquit; et dominus Thomas, filius Thomæ, filii Ranulphi, vir magnæ manſuetudinis et ſapientiæ, camerarius domini regis effectus eſt. Motus maximus verſus Terram Sanctam contra Sarracenos ubique terrarum populi infiniti factus eſt, Deo inſpirante. Unde Ludovicus rex Franciæ Chriſtianiſſimus non territus laboribus præteritis et expenſis, quas olim fecerat ultra mare, iterato cum filiis duobus, adjuncto ſibi rege Navarræ, et quamplurimis eccleſiarum prælatis et baronibus pro navigatione, Terræ Sanctæ iter arripuit. Verùm ad hoc, ut facilius Terra Sancta recuperaretur, incidit eis conſilium ut regnum Tunicii, quod in medio conſiſtens, non parum daret transfretantibus impedimentum, primitus Chriſtianorum ſujicerent poteſtati. Et cùm portum in Carthaginem, qui eſt prope Tunicium, obtinuiſſent, infirmitas, quæ illo anno maximè circa confinia maris viguit, in eodem Chriſtianorum exercitu nimis invaluit; ubi de regis Franciæ filiis unum, poſtea legatum domini Papæ Albanenſem cardinalem, et demum ipſum regem Chriſtianiſſimum Ludovicum, cum pluribus comitibus et baronibus, necnon et aliis ſimplicibus, de medio ſuſtulit. Ubi etiam David comes de Atholia, viij. Idus Auguſti, in Carthagine mortuus eſt. Quàm feliciter rex prædictus vitam finierat, rex Navarræ domino Tuſculano per literas intimavit. Nam in infirmitate ſuâ laudare nomen Domini non ceſſans, illam orationem ſæpiſſimè interſerebat, viz. Fac nos Domine proſpera mundi deſpicere, et nulla ejus adverſa formidare. Orabat et pro populo quem ſecum adduxerat, dicens; Eſto Domine plebi tuæ ſanctificator et cuſtos, &c. Appropinquans autem ad finem, ſuſpexit in cœlum, dicens; Introibo in domum tuam, adorabo ad templum ſanctum tuum, et confitebor nomini tuo Domine. Et, hoc dicto, obdormivit in Domino. Et cùm de morte pii regis Chriſtianorum exercitus turbaretur, et Sarracenorum lætaretur, dominus Carolus rex Siciliæ, bellator egregius, pro quo adhuc vivens frater ſuus rex Franciæ miſerat, navigio cum magna militia advenit. De cujus adventu Chriſtianis gaudium Paganiſque mœſtitia accrevit, qui laudabiliter bella Chriſti peregit, et infideles ad deditionem coëgit.

CAP. XXVII.

De eodem Sancto Ludovico, et aliis incidentibus.

DE hoc Sancto Ludovico alibi ſic reperi. Ludovicus rex Franciæ, flos principum, procerum gloria, militiæ nobilitas, pauperum ærarium, poſtquam inſulam quandam maximam ſuper Sarracenos cum ſuo exercitu bellando acquiſivit; quæ inſula Barbaria dicitur, et habet in ſe civitates multas, oppida et caſtella fortiſſima: inter quæ civitas quædam, quæ Thunis dicitur, præcellit, ubi ipſe rex et filius ejus Johannes, Triſton nomine, in fata deceſſerunt, et cum eo populus multus Chriſtianorum; inter quos nobilis David de Atholia, et alii quamplures nobiles

nobiles Angliæ et Scotiæ mortui ſunt*. Cujus David oſſa in Scotiam ſunt tranſlata. Primogenitus verò regis Franciæ ſuperſtes, poſtquam patrem ſuum honorificè tumulaverat, ad Gallias rediens, die Purificationis ad Sanctum Dionyſium diadema regni ſuſcepit. Carolus rex Siciliæ frater regis Ludovici jam defuncti, miles ſtrenuiſſimus, et in bellis expertiſſimus, qui provincias multas ſuper Sarracenos acquiſivit, acceptâ magnâ pecuniâ de ipſis Sarracenis ad propria reverſus eſt: et tanquam imperator à Romanis adeo honoratus eſt, ut ſenator totius imperii Romani efficeretur. Fratris autem ejus ſanctiſſimi Ludovici jam, ut præmittitur, mortui†, tanta exſtant opera præclara et ſcripta permagnifica, commendatione valde digna, et relatione prædicabilia; unde filios ſuos nunquam paſſus eſt in diebus Veneris ferre ſerta florida, vel hujuſmodi vanitatis oſtenſiva, ob honorem ejus qui in Paraſceue pro nobis paſſus eſt. Sic enim edoctus erat à glorioſa matre, quæ ſæpiſſimè ſibi dicere ſolebat; Plus vellem te, cariſſime fili, mortem incurrere temporalem, quàm per aliquod peccatum mortale te tuum offendere creatorem. Multum enim perſecutus eſt rex Ludovicus omnem jurationem execrabilem. Unde legitur eum ſæpius dixiſſe; Tantum, inquit, horreo verbum de neganda fide, etiam ſub conditione, audire, quòd non poſſem illud exprimere ſono vocis. Hic quendam civem Pariſienſem qui turpiter jurando Chriſtum blaſphemaverat, juxta regale ſtatutum, in ſui peccati pœnam et aliorum terrorem, ferro candenti in labiis cauterizari præcepit. Cùm audiret propter hoc nonnullos in ſe maledicta congerere; Vellem, inquit, quoad vixero in labiis meis talem indecentiam ſuſtinere, dummodo iſtud peſſimum jurationis vitium de regno noſtro penitus tolleretur. Hic propterea erat imitator egregius avi ſui piiſſimi Philippi, de quo et pro iſta materia vide ſuprà, lib. VIII. cap. XXVij. Anno MCCLXX. magiſter Nicolaus de Moffet electus Glaſguenſis mortuus eſt, qui ſe nimis protervè contra religioſos et alias eccleſiaſticas perſonas gerebat: cui, ad regis inſtantiam, magiſter Willelmus Wiſchard archidiaconus Sancti Andreæ, et domini regis cancellarius, electus eſt, vir magnæ ſagacitatis et aſtutiæ. Eodem anno combuſta eſt eccleſia de Elgyn et ædificia canonicorum. Rogerus abbas de Corſraguel curam ſuam reliquit, et reverſus eſt apud Dunfermelyn unde venit. Poſt quem electus eſt Nicholaus ejuſdem domûs monachus. Obiit Walterus de Baltrodi epiſcopus Cathanenſis, vir diſcretus conſiliò et ſanctitate vitæ commendabilis. Ipſo anno Robertus abbas de Scona baculum paſtoralem reſignavit, ob perſecutiones conventûs ſui intolerabiles: et dominus Nicolaus quidam neophytus, poſt multas diſceptationes inter ipſum et conventum de Scona præhabitas, plus domini regis timore, quàm amore, abbas effectus eſt. Iſte Nicholaus ad epiſcopatum Cathanenſem electus eſt, eo quòd abbas de Scona canonicus ſit eccleſiæ Cathanenſis, cujus apicem plus regio precario, quàm vitæ merito, adeptus eſt.

* Morte temporali mercati ſunt vitam æternam, *MS. Cup.* † Ut in legenda fratrum Prædicatorum de Edinburgh reperi, *addit MS. idem.*

CAP.

CAP. XXVIII.

De aliis incidentibus, et vacatione quinque epiſcopatuum.

ANNO quo ſuprà, Simon abbas de Dunfermelyn et Willelmus comes de Mar miſſi ſunt ad regem Angliæ pro comitatu de Huntingdona, cujus honores à temporibus antiquis rex Scotiæ per ſuos progenitores habebat: ſed rex Angliæ et ejus conſiliarii dictum comitatum detinebant. Obiit Richardus de Potton Abirdonenſis epiſcopus; cui ſucceſſit magiſter Hugo de Benhame. Obiit et Colbanus comes de Fyfe, cujus comitatus commendatus eſt Alexandro filio regis, donec filius Colbani, verus heres, puer octo annorum, legitimæ ſit ætatis. Dovenaldus filius Willelmi comitis de Mar, die Sancti Michaëlis, apud Sconam de rege Alexandro arma militaria percepit. Obiit Johannes abbas de Abirbrothoc; et dominus Adam de Invirlounane electus eſt. Obiit Adam abbas de Balmurynach; et dominus Willelmus de Periſbi electus eſt. Eodem anno Willelmus Ferreris, filius comitiſſæ de Ferreris, quæ fuit filia Rogeri de Quinci conſtabularii Scotiæ, accepit relictam Colbani nuper defuncti et dignitatem conſtabulariæ, quam Alexander comes de Buchan injuſtè tenuit, prætextu uxoris ſuæ, ſcilicet filiæ junioris ipſius Rogeri de Quinci.

Stella quædam mirabilis circa horam nonam manifeſtè videbatur in alto cœli cardine per tres dies, circa feſtum Sancti Michaëlis. Magna fuit cauſtia, et totum tempus ipſius ſtellæ* pluvioſum. Princeps Angliæ Eadwardus de Langſchankis vulneratus fuit à quodam Sarraceno in civitate Achon, quem propterea propriis manibus de lecto exiliens viriliter jugulavit. Anno ſequenti quinque epiſcopatus vacabant ſimul, ſcilicet Glaſguenſis, Brechinenſis, Abirdonenſis, Cathanenſis, et Sancti Andreæ; quos omnes rex in manu ſua tenuit, aut cenſum annuum per electos ipſorum epiſcopatuum finaliter et de facto accepit; eo quòd etiam tunc vacabat ſedes Apoſtolica per diſſentionem cardinalium: quare nullus potuit electorum gratiam conſequi conſecrationis. Gamelinus epiſcopus Sancti Andreæ paralyſi defecit apud Inchemurdach†, et in eccleſia S. Andreæ, juxta altare magnum verſus Aquilonem, ſepelitur: qui fuit vir magni conſilii, juſti judicii, defenſor eccleſiæ, dapſilitatis et curialitatis dum vitales in proſpectis carperet auras. Cujus loco magiſter Willelmus Wiſchard archidiaconus Sancti Andreæ et cancellarius regis, electus pro tunc ad cathedram epiſcopalem Glaſguenſis eccleſiæ, poſtulatus eſt ad S. Andream. Et mirum multis viſum eſt quòd vir tam magnæ opinionis, qui fuit, ut dictum eſt, electus Glaſguenſis et Sancti Andreæ archiadiaconus, domini regis cancellarius, ac rector ſive præbendarius viginti duarum eccleſiarum captus fuit tantâ ambitione, quòd hæc omnia eidem non ſufficerent, quin, potius ſimulatione quàm religione, plus regis timore quàm ſui amore, epiſcopatum Sancti Andreæ ſibi uſurparet.‡ Is de illis apparet eſſe et eſt, de quibus Juvenalis:

Non

* *Ipſius anni*, MS. Collegii Edinburgenſis. † *Inchemurthac*, ibidem. ‡ *Addit MS. Cupr.* O ſi ſcirent ambitioſi quanto onere prægraverentur, cum adepti fuerint quod tam anhelo

Non propter vitam faciunt patrimonia quidam,
Sed, vitio cæci, propter patrimonia vivunt.
Creſcit amor nummi quantum ipſa pecunia creſcit.

Hoc anno Henricus filius Richardi imperatoris Alemanniæ, apud Viterbiam in eccleſia orans, à filiis Simonis de Monteforti apud Eveſhame interfecti, ſubito circumſeptus crudeliter interemptus eſt.

CAP. XXIX.

De Martha comitiſſa de Carrik Roberto Bruce deſponſata.

EOdem anno Willelmus de Soulis, filius et heres Nicholai de Soulis, die Sancti Michaëlis, apud Hadington, à domino rege Alexandro arma militaria ſuſcepit. Robertus Wiſchard, conſanguineus Willelmi Wiſchard cancellarii, ad procurationem ipſius et regis inſtantiam, ad eccleſiam Glaſguenſem eligitur, qui priùs fuit archidiaconus Laudoniæ, juvenis ætate, ſed moribus ſenior: qui ſtatim poſt electionem, ad expedienda tam ſua quàm cancellarii negotia, verſus Romam profectus eſt. Maliſius comes de Stratherne in partibus Gallicanis deceſſit; vir genere et liberalitate præclarus, et ſuper omnes compatriotas munificus; et apud Dumblane ſepelitur. Obiit Robertus Roſſenſis epiſcopus, qui Roſmarkin ædificavit; et Robertus archidiaconus ejuſdem ejus loco eligitur. Adam * comes de Carrik in Terram Sanctam pro Chriſto peregrinaturus, ibidem moritur, relinquens unicam filiam heredem nomine Martham, quæ ſibi in comitatum ſucceſſit: quæ dum unâ dierum cum ſuis armigeris et domicellis ancillis quò ſibi placuerat venatum pergeret, egregio militi, juveni ſpecioſiſſimo, trans eadem equitanti rura, Roberto de Bruce nomine, filio Roberti de Bruce, cognomine Nobilis, domini Vallis de Annandia in Scotia et de Clyveland in Anglia, obviavit. Quæ quidem, peractis hinc inde ſalutationibus, velut curialium moris eſt, et oſculis, ipſum venandi gratiâ ſpatiandique manere ſupplicat; ſed et illius quodammodo renuentis habenas vi quâdam, ſi dicere fas eſt, propriâ manu retraxit, et ſecum militem, quamvis minime volentem, verſus Turnbiri ducebat ſuum caſtrum; ibique ſpatio dierum quindecim, vel ampliùs, cum ſuis perhendinans, comitiſſam clandeſtinè, benevolis etiam et amborum amicis inſciis, uxorem duxit, regio ſuper hoc conſenſu nullatenus procurato. Quapropter totius regni vulgaris fuit aſſertio, quòd ipſum juvenem quaſi vi rapuerat in maritum. Quod ut regis Alexandri pervenit ad aures, caſtrum cepit de Turnbiri, ac omnes alias terras et poſſeſſiones illius in ſuis manibus fecit recognoſci; eo quòd, inconſultâ majeſtate regiâ, cum domino Roberto de Bruce ſe maritare præſumpſit. Intervenientibus tandem amicorum precibus, et pactâ pecuniæ quadam ſummâ, regis animum æquiorem et bene-

helo deſiderio concupierant: Multi, inquit Bernardus, non tanta fiducia et alacritate currerent ad honores, ſi et ſe ſentirent et onere gravari metuerent, nec cum tanto labore et periculo quarumlibet affectarent inſulas dignitatum: nunc vero quia ſola attenditur gloria et non pœna, purum eſſe clericum erubeſcitur. In eccleſia ſeſe viles æſtimant, et ingl›rioſiores, qui quocunque loco eminentiori non fuerint ſublimati. In iſto igitur electo apparet quod ſcribit Juvenalis. * *Nigellus*, pro *Adam*, MS. Cupr.

volum

volum invenit, ac etiam totum dominium idem Robertus obtinebat. Ex qua, Divinâ providentiâ, filium genuit, cui nomen patris ejus impoſitum eſt Robertus, futurum conterendæ gentis Angliæ baculum, Scotorum vero ſalvatorem, propugnatorem, et regem, de ſtirpe regia progenitum: cujus pater fuit iſte Robertus comes de Carrik ex parte uxoris; cujus Roberti patris pater Robertus Bruce ſenior; cujus pater ille inclitus Robertus, qui deſponſavit Iſabellam comitis David de Huntingdona ſecundo-genitam. Natus eſt ergo feliciter anno poſt hoc tertio rex futurus. Unde quidam;

M ſemel ad bis C. L. X bis, et I quater adde,
Tunc rex Robertus, omni probitate refertus,
Feſto, quo Sancti tranſlatio fit Benedicti,
Exſtiterat natus; divinitùs immò vocatus.

CAP. XXX.

De variis incidentibus.

AN. Dom. MCCLXXII. magna ſterilitas terræ, et maris infœcunditas, aëris inæqualitas fuit; unde hominum plurima infirmitas, et beſtiarum mortalitas provenit. Sabbato infra octavas Epiphaniæ, circa mediam noctem, quidam ventus vehemens ab Aquilone ſubitò cum grandine irruens, domos ſubvertit, dormientes ſuffocavit, et ædificia alta complanavit. Et de vehementia tempeſtatis ignis egrediens eccleſiam de Abirbrothoc, et plures alias incendit. Fames prævalida Franciam, Angliam, Scotiam, et plures provincias invaſit: nam pecora fere interierunt, fruges defecerunt, pauperes penuriâ perierunt; theſaurus in Terram Sanctam et Romam per peregrinos et clericos tranſportatur; plebicula omnino periclitatur. Ingeramus de Coucy, avunculus regis Scotiæ, venit cum ſorore ſua et nepote regi Scotiæ collocuturus; qui poſtquam loca regalia ſpatiando viſitaverat, non vacuâ crumenâ repatriavit. Die Veneris ante Paſcha inter Chriſtianos et Sarracenos bellum grave commiſſum eſt; in quo multi fratres de Templo et de Hoſpitali, cum plebe multa Chriſtianorum corruerunt. Multi electorum ſteterunt in curia Romana nihil ad libitum expedientes. Citatio generalis facta eſt per Papam Gregorium X. ut omnes archiepiſcopi, epiſcopi, metropolitani, et alii prælati, reges et perſonæ ſeculares convenirent, A. Gratiæ MCCLXXII. apud Lugdunum Galliæ, tractaturi de pace et ſtatu eccleſiæ, et de ſubſidio Terræ Sanctæ; ita tamen quòd in qualibet provincia remanerent duo epiſcopi. Mortuus eſt magiſter Richardus de Inverkethin, camerarius Scotiæ et Dunkeldenſis epiſcopus, die Sancti Magni martyris, vir magnæ maturitatis et gravitatis; qui fuit fideliſſimus regis et regni conſiliarius, et juſtitiæ inflexibilis: cujus corpus apud Dunkelden ſepelitur, et cor ejus in choro monaſterii canonicorum Sancti Columbæ de Æmonia, apud parietem verſus Aquilonem, reconditur. Cui per electionem ſucceſſit magiſter Robertus de Stutevillis decanus Dunkeldenſis, vir dapſilis, genere nobilis, vitæ ſanctitate conſpicuus, conſilio et prudentiâ cautus et præclarus. Willelmus abbas de Cupro deponitur, et Andreas de Buchan loco ejus præficitur.

præficitur. Richardus rex ſive imperator Alemanniæ, frater regis Henrici Angliæ, mortuus eſt; et Henricus filius ejus, die Sancti Eadwardi, apud Londonias, à patruo ſuo rege Henrico, miles effectus eſt. Hugo electus de Abirdon à domino Papa conſecratus, loculis in Scotiam evacuatis repedavit. Henricus dictus pacificus rex Anglorum xij. Kalend. Decembris, anno ætatis ſuæ ſexageſimo tertio, coronationis quinquageſimo ſexto, regni verò regis Scotorum Alexandri viceſimo quarto, fatis ceſſit, et apud Weſtmonaſterium Londoniis ſepultus eſt. Poſt cujus ſepulturam omnes magnates, cleri et populi gentis Anglicanæ fidelitatem juraverunt filio ſuo Eadwardo de Langſchankis, adhuc peregrino in Terram Sanctam exiſtenti. Qui videns ſe in Terra Sancta ob militum Chriſtianorum paucitatem contra Paganos nihil poſſe proficere, acceptis treugis, cum uxore ſua et proceribus multis transfretavit, et uſque ad Romam profectus eſt; ubi à domino Papa honorificè ſuſcipitur. Anno ſequenti Robertus Wiſchard confirmatus eſt mandato Apoſtolico; et à Dumblanenſi, Abirdonenſi, et Moravienſi epiſcopis conſecratus eſt in epiſcopum Glaſguenſem apud Abirden, die Dominicâ ante purificationem beatæ Mariæ; plus, ut prædiximus, regis et cancellarii precario quàm ſcientiæ et vitæ merito. Macchabæus electus Roſſenſis gratiam conſecrationis à domino Papa impetravit, et conſecratus repatriavit. Electus Brechinenſis et electus Cathanenſis in curia Romana ſteterunt, gratiam Romanam præſtolantes.

CAP. XXXI.

De periculo plura beneficia retinentium.

WIllelmus Wiſchard cancellarius regis, electus Glaſguenſis, et poſtulatus Sancti Andreæ, ſuper multis criminibus, præcipuè de retentione tantorum et tam plurium beneficiorum, ut prædictum eſt, compatibilium ſive aliàs non refert, coram domino Papa accuſatus eſt: ac ideo negotia ſua aliquamdiu protelata. Sed et hæc materia anno ſequenti in concilio Lugdunenſi multipliciter ventilata: et ne quis plura beneficia, præter mentem canonis, retinere præſumat, concluſum exſtitit, ſicut et ante in diverſis conciliis et famoſis diſputationibus exaratum eſt. Super iſto multum inſtat BARBASON libro ſuo de apibus, ubi ſic ait; "Velint quicunque hæc legerint ſcire, me anno ab incarnatione Domini MCCXXXVIII. fuiſſe Pariſius, ubi venerabilis Willelmus Pariſienſis epiſcopus, qui in theologia jam rexerat, convocationem fecerat; et omnium magiſtrorum, propoſitâ quæſtione de pluralitate beneficiorum, ſolerti et longâ valde diſputatione probatum eſt, duo beneficia, dummodo unum valeret quindecim librarum Pariſienſium, teneri cum ſalute non poſſe. Hoc determinavit prædictus epiſcopus: hoc frater Hugo ordinis Prædicatorum, poſtmodum Romanæ curiæ cardinalis; hoc frater Guiricus, et frater Gaufridus ejuſdem ordinis, et frater Johannes de Rupella ordinis fratrum minorum, et alii quamplures ſolennes in theologia magiſtri determinaverunt in ſcholis ſuis ſucceſſivè. Fuerat etiam diſputatio longa valde et multo ſolennior ante annos tres: in qua etiam omnes magiſtri theologiæ, exceptis duobus, idem determinâſſe

minâſſe probantur per omnia quod et ſuprà: quorum unus fuit magiſter Philippus cancellarius Pariſienſis, et magiſter Ernaldus poſtmodum epiſcopus Ambianenſis. Quid autem de dicto Philippo contigit, audiamus. Agonizantem in morte dictus Willelmus Pariſienſis epiſcopus paternâ ſolicitatione viſitavit, rogans eum, ut ſingulari ſuæ opinioni de pluralitate beneficiorum tenendorum cederet, et omnia beneficia ſua, qui tunc plura retinuit, excepto uno, in manibus eccleſiæ reſignaret; et hac conditione mediâ, ut, ſi convaleſceret, ei ſupplere vellet de ſuo proprio quod dimiſit. Renuit ille pertinaciter, dicens ſe velle experiri utrùm eſſet damnabile plura beneficia tenere. Sanctus verò epiſcopus multum proinde exacerbatus. Et mortuo dicto magiſtro Philippo, cùm poſt paucos dies, dictis matutinis, quietum locum, ut de more conſueverat, peteret, ut peculiares ſuas preces Domino effunderet; tandem venit ſibi in mentem orationem pro Philippo effundere: ubi cùm proſtratus attentè intercederet, ecce vidit inter ſe et lumen quaſi umbram hominis teterrimam. Elevatâ ergo manu, conſignat ſe, et, ſi ex parte Dei ſit hæc viſio, præcepit ut loquatur. Cui reſpondens ſpiritus; Alienus à Deo ſum, ſed tamen mirabilis factura ejus. Et præſul; Tu quis es? inquit. Cui ille: Sum qui fuit cancellarius Pariſienſis miſerrimus. Ruſſus epiſcopus, elato altiùs gemitu, Et quomodo, inquit, tibi eſt ſic dolenti? Malè, ait, immò quàm peſſimè, ſicut qui damnatus ſum morte æternâ. Et epiſcopus; Heus ait cariſſime, quæ cauſa tuæ damnationis? Tres ſunt, inquit, cauſæ quare morte perpetuâ ſum damnatus: una eſt, quòd recreſcentes fructus annuos contra pauperes timidè reſervavi. Secunda eſt, quòd contra ſententiam tuam et plurimorum orthodoxorum, de pluralitate beneficiorum, quaſi licitè tenendorum, opinionem propriam defenſavi, et in hoc me periculo mortalis culpæ commiſi. Tertia eſt illa graviſſima omnium, quòd nefando innaturali et abominabili carnis vitio, in ſcandalum multorum, multo tempore laboravi. Reperi etiam alibi, quòd una cauſa fuit, quia quicquid docuerat, vel prædicaverat, vel dictaverat, plus fecerat pro laude hominum et gloria mundi, quàm Dei. Et ad epiſcopum conſequenter ſubjunxit; Eſtne, inquit, finitus mundus? Cui epiſcopus: Miror te, ait, quondam literatiſſimum virum hoc quærere, cùm me adhuc vivum cernas, et omnes viventes adhuc mori neceſſe eſt, antequam mundus, inſtante judicio, finiatur. Et ille: Non mireris, quia de tota ſcientia quam habui in carne, nec prima quidem jam novi elementa; quia nec ſcientia, nec opus, nec ratio eſt apud inferos venienti. Et hæc dicens, umbra ab oculis mirantis evanuit. Ipſe autem epiſcopus, ſuam ſanctitatem humilitatis chlamide coöperiens, non tamen ſub perſona ſua, quaſi hoc vidiſſet, ſed de quaquam alia perſona in prædicatione ſua clericis omnibus conſtanter recitavit.

CAP. XXXII.

Adhuc De Barbaſon proſequitur ad idem.

IDEM. Simili modo, cùm quidam clericus, maximæ literaturæ, agonizans in morte, pro me mandaſſet et conſilium quæreret, quaſi in proximo migraturus, reduxi ei in memoriam diſputationem illam ſolennem

lennem et determinationem de pluralitate beneficiorum Parisius, cui ille interfuerat doctor magnus eximiique consilii, cum magna instantia lacrimarum, ut unam præbendarum dimitteret, qui duas contra animam suam tenuerat, quarum una ad omnem vitæ copiam clerici sufficere potuisset. Tunc ille, facie conversâ dissimulans, hoc tantum respondit: Orate Dominum ut inspiret. Nec diu postea cùm recessissem, et tenuissimo spiritu vix hærente, hoc idem quod consuleram ei, quidam consobrinus suus, qui, consilio meo, super hoc sibi intererat, et eum multum dilexerat, cum maximis lacrimis inclamaret; et, cùm voce non posset, manu innuens ne hoc suggereret, exspiravit. Post cujus obitum, cùm quidam clericus nimium stupefactus cogitaret, cur tantus clericus, si mortale peccatum esset plura beneficia retinere, in tali statu mortuus exstitisset; mox quasi sibi invigilanti defunctus apparens, dixit: Hæc sola præbendarum causa est pro qua infelix ego æternaliter sunt damnatus.

Super hac eadem quæstione, cùm bonæ memoriæ Jacobus de Vitriaco canonicus regularis, quondam Achonensis episcopus, postea verò Romanæ curiæ cardinalis, magistrum theologiæ quondam probatissimum Robertum de Corthona, Romani apicis cardinalem, morientem, ante primam Damiatæ obsidionem interrogaret, respondit; Dico jam migraturus à vita, quòd mortale et damnabile est, dummodo unum competens sit, plura beneficia in simul retinere. Hoc idem magister Petrus sanctæ memoriæ cantor Parisiensis dixit et scripsit. Hoc idem magister Guiardus Cameracensis episcopus verbo hujusmodi confirmavit: Nollem, inquit, pro toto auro Arabiæ unâ nocte duo beneficia retinere, et certus tamen essem quòd de mane unum illorum homini idoneo conferretur; et hoc propter incertæ vitæ discrimen. Super hoc, narrante fratre Bernardo quondam domini Papæ pœnitentiario, cùm beatissimæ memoriæ Papa nonus Gregorius interrogaretur, si posset, de plenitudine potestatis, cum plurium beneficiorum detentoribus dispensare, respondit; Non possum, inquit, ubi unum est sufficiens habenti, nisi super vexationem tantùm detinentium dispensare. Quis ergo sapiens qui fallat se, et sibi dispensatione aliquâ blandiatur? Esto quòd multi magistri dicant hoc, et multi aliqui opinentur contrarium; hoc solum mortale ab Augustino, doctore omnium maximo, judicatur, quòd quis incertitudinis periculo, et mortalis peccati discrimini se unquam committat. Ut autem scias quòd non placet Deo detentio plurium, audi quid dictus BARBASON testatur, dicens: Ego in quadam civitate episcopali annis undecim adolevi, ubi sexaginta duo canonici sub præbendis pinguissimis ducentarum fere librarum Parisiensium in matrici ecclesia serviebant; quorum plures erant beneficiorum pinguium detentores. Mihi testis et judex sit Sancta Trinitas unus Deus, quòd paucos eorum vidi communi morte defungi, sed subitò omnes et reprobi mori; ita quòd quidam eorum, audito quòd unus sociorum, in nocte sanus, mane mortuus inventus esset, complosis manibus dixit; Et quid vultis? secundùm usum et consuetudinem ecclesiæ mortuus est, ut videtis. Vidi ego ipse in eadem ecclesia infra paucos annos quatuor archidiaconos sic defungi. Unde lector mirare miraculum. Primus eorum de equo phalerato cecidit, et fractis cervicibus exspiravit. Secundus

cundus mane in cathedra ſedens, mortuus ſubito eſt repertus. Tertius in choro ſtans, cùm ad miſſam elevatio corporis Chriſti fieret, cecidit reſupinus, et ſubtractâ loquelâ cum ſenſu, quaſi brutum animal, die tertiâ ſine ſacramentis eccleſiaſticis eſt defunctus. Quartus confeſſionem peccatorum et ſacramenta recuſans mortuus eſt, et extra cœmeterium in ſterquilinio ſepultus. Et non mirum ſi beneficiorum pluralitas canonibus inimicetur, cùm ſcribit in epiſtola HIERONYMUS, dicens; "Clericus qui de bonis ſuis ſuſtentari poteſt, ſi ulteriùs accipit quod "pauperum eſt, ſacrilegium profectò committit, atque, per abuſionem "talium, judicium ſibi manducat et bibit. Si accipis et eges, das po-"tius quàm accipis; ſi autem non eges et accipis, rapis, quia diſtri-"buenda indigentibus tibi uſurpas."

CAP. XXXIII.

De incidentibus.

AUDIVI de quodam notabili theologo, in prædicationibus ſuis quamplurimum deteſtante pluralitatem beneficiorum uni commiſſorum, et, quanquam ipſe habebat pingue ſatis beneficium, collatum fuit eidem aliud, quæ ſine metu retinebat: et tunc plane prædicavit, quòd licitè poſſet aliquis plura beneficia retinere; et addidit, quòd nullus poſſet intelligere hoc niſi qui haberet ea. Cujus rei cauſa eſt, quòd dicit propheta: "Impietas eſt oculus eorum in univerſa terra;" luxuria eſt oculus luxurioſi, avaritia avari, et ſic de ceteris. Unde accidit, quòd alicui luxurioſo videtur aliquando mulier fatua, quam nimio diligit amore, pulchra; cùm tamen in veritate ſit turpis. Ad propoſitum. Legimus de Francorum nobili regina, Blanca nomine, quæ fundaverat quandam capellam, et, electo ad hoc devotiori preſbytero, capellaniam ejus eidem perpetuò tradidit ad divina inibi celebranda, viz. miſſam quotidie de Spiritu Sancto. Cui preſbyter poſt paucos dies dixit; Domina, non poſſum cum devotione celebrare, impeditus ſonitu propinqui molendini. Super hoc conſulit regina Willelmum de Alvergnia Pariſienſem epiſcopum, ſuum confeſſorem; qui ſic reſpondit reginæ: Si vultis facere conſilium meum, ſonus molendini videbitur preſbytero ſonus viellæ. Domina promiſit. Detis, inquit epiſcopus, ſibi molendinum, et quanto magis molet, tanto plus ſibi placebit. Quod et factum eſt. Interrogatus preſbyter, quid ſibi videbatur de ſonitu molendini; reſpondit, Hoc quod priùs erat mihi tædio, uſu convaleſcit. Sic in propoſito. Unde AUGUSTINUS in epiſtola ad Comitem. Avarus vir inferno ſimilis eſt, infernus autem quantoſcunque devoraverit, nunquam dicit ſatis eſſe: ſic etſi omnes theſauri confluxerunt in avarum. Propterea, qui ſuprà, de verbis domini. Quæ eſt iſta aviditas concupiſcentiæ, cùm et ipſæ belluæ habeant modum: tunc enim rapiunt quando eſuriunt; parcunt verò prædæ cùm ſenſerint ſatietatem. Inſatiabilis eſt ſola avaritia divitum, ambitio clericorum; ſemper rapit dives, et nunquam ſatiatur: nec Dominum timet, nec hominem reveretur, nec patri parcit, nec matrem cognoſcit, nec fratri obtemperat, nec amico fidem ſervat; viduam opprimit, pupillum invadit,

vadit, liberos in ſervitium revocat, teſtimonium falſum profert: res mortui occupantur, quem etiam faciunt quaſi non moriatur. Quæ eſt illa inſania, admittere aurum, et perdere cœlum? Ad propoſitum, unde digreſſi ſumus, revertamur. Conſecratus non fuiſſet dominus Willelmus Wiſchard ad epiſcopatum Sancti Andreæ, niſi fuiſſent multiplicata precamina domini Eadwardi Langſchankis, qui, de Terra Sancta remeando, inſtetit perſonaliter apud Papam Romæ pro ipſius expeditione. Papa tandem, importunitate precaminum Eadwardi et cardinalium per ipſum principem rogatorum, petitioni annuit. Qui Willelmus, die Dominicâ ante feſtum Sancti Lucæ, apud Sconam, præſentibus domino rege, ſeptem epiſcopis, et fere omnibus regni proceribus, ſolenniter conſecratur. Willelmus Fraſer, decanus Glaſguenſis, factus eſt regis cancellarius. Robertus abbas de Melros curam paſtoralem reliquit: cui Patricius ſucceſſit. Wido abbas de Neubotil loco ſuo ceſſit; ad quem Walthevus monachus de Melros aſſumptus eſt. Nicholaus abbas de Scona, et electus Cathanenſis, ad curiam caſſatus eſt; et Archibaldus Moraviæ archidiaconus electus eſt: quia dominus Papa dedit canonicis Cathanenſibus licentiam reëligendi. Magna lis orta eſt apud Eboracum inter Johannem Comyn et Walterum Bullok pro comitatu de Menteth, eo quòd Willelmus filius ipſius Johannis deſponſaverat filiam comitiſſæ prioris, quæ fuit verè heres. Celebratum eſt concilium apud Perth, quò per literas domini Papæ citati ſunt omnes prælati Scotiæ, ut conveniant apud Lugdunum in principio Maii; ubi decretum eſt epiſcopos Dunkeldenſem et Moravienſem in regno debere remanere pro ſtatu eccleſiæ conſervando. Hoc anno factus eſt prioratus de Abirnethy in canonicos regulares, qui priùs fuerunt Keldei. Obiit Robertus abbas de Melros, qui priùs erat abbas de Dunfermelyn et cancellarius regis: cui ſucceſſit ad Melros Patricius ejuſdem monachus. Obiit Thomas, vir magnæ ſanctitatis, abbas de Londoris; cui ſucceſſit Johannes Prior ejuſdem.

CAP. XXXIV.

De concilio Lugdunenſi, et aliis incidentibus.

ANNO Domini milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo quarto natus eſt Robertus de Bruce*, rex Scotiæ futurus. Hoc anno profecti ſunt omnes epiſcopi Scotiæ verſus Lugdunum poſt feſtum Purificationis, præter epiſcopos Dunkeldenſem et Moravienſem. Willelmus electus Brechinenſis, poſtquam diu ſteterat in curia, ibidem mortuus eſt: et frater ejus Willelmus de ordine Prædicatorum electus eſt; quam quidem electionem, ob tenuitatem redituum, contempſit. Hoc anno, Kalendis Maii, celebratum eſt concilium Lugdunenſe, in quo præſidebat Papa Gregorius X. quo interfuerunt duo patriarchæ, quindecim cardinales, quingenti epiſcopi, et prælatorum mitratorum, præter præmiſſos, mille. Hoc concilium quinto anno pontificatûs ſui fecit præcipuè pro utilitate Terræ Sanctæ, quam perſonaliter viſitare intendebat;

* *De Broys*, vel *de Brois*, in libris recentioribus.

debat; ſed morte præventus excuſatus eſt. Hic Papa fuit miræ experientiæ in ſeculáribus, et non minoris abſtinentiæ et ſagacitatis in ſpiritualibus. Nec inter hæc intendebat pecuniarum lucris, ſed pauperum eleemoſynis. In hoc concilio Græcorum et Tartarorum ſolennes nuncii interfuerunt. Græci Spiritum Sanctum confeſſi ſunt à Patre Filioque procedere, ſymbolum in concilio ſolenniter decantando. Nuncii verò Tartarorum infra concilium baptizati ad propria redierunt. In quo concilio Græcorum eccleſia, laus Deo, ad unitatem et fidem Romanæ eccleſiæ converſa eſt. In ipſo concilio dominus Papa ſtatuit decimam omnium bonorum eccleſiaſticorum, nullis privilegiatis exceptis, ad ſubſidium Terræ Sanctæ contribui per ſex annos: ubi ſtatutum eſt procurationes epiſcoporum et archidiaconorum non deberi ſolvi, niſi eccleſias perſonaliter viſitent. Statutum eſt inſuper, quòd nullus rector habeat niſi unicam eccleſiam, in qua continuam faciat reſidentiam. Omnes etiam ordines fratrum mendicantium caſſati ſunt, præter Minores et Prædicatores. Carmelitæ quoque et Eremitæ de S. Auguſtino in ſuo ſtatu ſtare ſunt permiſſi, donec dominus Papa peramplius de eis ordinaverit. Unde cùm ſuper hoc ſtatutum edidit dictus dominus Gregorius X. et Bonifacius VIII. illud in corpore canonis, viz. lib. Decret. VI. in cap. Religionum de religioſis domibus inſeruit, ibi expreſſè approbat ipſe Bonifacius ordines Prædicatorum et Minorum: Ordines Eremitarum S. Auguſtini et Carmelitarum, dicit Papa, in ſolito ſtatu volumus permanere. Ubicunque illud capitulum ad manus Carmelitarum vel Auguſtinenſium pervenerit, ſicut quidam ferunt, mutant terminum ſive dictinem *ſolito* in *ſolido*, facientes de litera *t*, literam *d*; relinquentes ſic textum, *eos in ſolido ſtatu volumus permanere*. Ac per hoc argumentantur ipſorum ordinem æquè cum Prædicatoribus et Minoribus approbatum. Propter quod non reperies quaſi duos libros Sixti concordare: quamobrem verè reputandi ſunt approbati, cùm nullicubi reperientur reprobati. Hoc anno in dicto concilio moritur magiſter Matthæus epiſcopus Roſſenſis; cujus loco eligitur Thomas de Fifyne. Johannes abbas de Londoris moritur, et in Kalco ſepelitur; cui ſucceſſit Nicholaus cellerarius de Londoris. Nicholaus abbas de Scona apud Romam detentus eſt pro multo ære alieno in quo tenebatur.

CAP. XXXV.

De coronatione regis Eadwardi tyranni, et de aliis incidentibus.

HOC anno Alexander rex Scotiæ cum uxore ſua et liberis ſpecialiter invitantur ex parte Eadwardi, ut in octavis Paſchæ interſint perſonaliter coronationi ſuæ apud Londonias. Sed dilata eſt ejus coronatio, propter concilium generale celebratum apud Lugdunum, uſque ad ſequens feſtum aſſumptionis beatæ Virginis; quò rex Scotiæ cum magna nobilitate interfuit, unà cum regina et multis proceribus et regni nobilibus, ſub libertate et proteſtatione ſolitis in conſimilibus coronationibus fieri conſuetis. Eodem anno obiit dicta regina Scotiæ Margareta filia regis Henrici, et ſoror ejuſdem regis Eadwardi, quarto Kalendas Martii, apud caſtrum de Cupro; et apud Dunfermelyn, juxta regem

David tumulatur. An. Dom. MCCLXXV. obiit Alanus Oſtiarius, vir dapſilis, et ſtrenuiſſimus in armis, ac regi et regno fideliſſimus, et apud monaſterium de Cupro ſepultus: cujus terræ tribus filiabus ſunt diviſæ. Obiit Adam abbas de Abirbrothoc, et Henricus abbas de Kalco. Nicholaus abbas de Scona caſſatus, de curia rediit. Magiſter Bajamondus miſſus à domino Papa venit in Scotiam, ad colligendum et deponendum decimam ad ſubſidium Terræ Sanctæ. Omnes beneficiati, nullis exceptis, ſub diſtrictione juramenti et excommunicationis perſolverunt decimas [non ſecundùm antiquam taxationem, ſed ſecundùm verum valorem] omnium bonorum eccleſiaſticorum. Monachi Ciſtertienſes conceſſerunt domino Papæ, pro toto ordine ſuo finaliter, quinquaginta mille marcas argenti. Concilium ad hoc congregavit apud Perth hoc anno, in craſtino Sancti Oſwaldi regis, ubi requiſitus à prælatis et clero, non ſine magnis expenſis, et majoribus promiſſis ſi expediret, repedavit ad curiam Romanam, dominum Papam pro clero Scotiæ precaturus, ut antiquas taxationes omnium bonorum ſuorum acciperet, ſeptem annis utique pro ſex computatis: ſed rediit in Scotiam, infecto negotio, multo ære propterea expoſito; quia communiter, ut dicitur, legati, niſi delicatè nolunt procurari. Unde legitur, quòd quidam legatus viſitans abbatiam unam, et audiens abbatem habere optimam mulam, quæſtionem cœpit movere ad inducendum abbatem quòd vellet eam ſibi dare, quod abbas cœpit totum diſſimulare. Craſtinâ die cùm conduceret legatum equitans ſuam mulam optimè ambulantem, verbum de mula legatus replicavit; et abbas, propter ætatem et corporis debilitatem, de dando excuſavit. Indignans ſibi legatus, Præcipio, ait, vobis in virtute obedientiæ, ut mihi ſtatim tradatis eam. Fateor, ait abbas, me vobis teneri ad obedientiam canonicam, ſed non ad mulaticam. Unde plus legatus offenſus abbatis reſponſione, quàm mulæ amiſſione, indignabundus receſſit. Nolunt * equidem niſi placentia audire. Unde legitur quòd quidam legatus cardinalis veniens ad locum ubi multum audivit quendam fratrem commendari, pro eo quòd ubique in promptu habebat facere ſermonem, cupiditatem et avaritiam et ſuperbiam ſuper omnia deteſtantem. Volens ergo legatus fratrem experiri, præcepit ſibi ut incontinenti faceret coram eo aliquem ſuccinctum ſermonem de Cardinalibus, credens eum, ut moris eſt diverſorum, ſibi in collatione ſua adulari: qui ſibi obtemperans ait; Domine, enim ſunt cardines terræ, id eſt cardinales, qui ſunt de conditione cardinis. Nam cardo quando non eſt inunctus murmurat et clamat, unctus autem ſuaviter claudit et aperit. Sic cardinales niſi inungantur donis et pecuniis, ſemper inveniuntur rebelles: cùm autem inuncti ſunt, advenientibus et ſervientibus dulciter oſtium cameræ claudunt et aperiunt. Cui legatus; Frater, ſatis eſt: dimittatis.

* Magni etenim et prælati, ut et cardinales et legati, nolunt libenter niſi placentia audire, *MS. Cuprenſis.*

CAP.

CAP. XXXVI.

Adhuc de conditionibus cardinalium et legatorum.

ALIUS legatus viſitans abbatias, in legatione ſua injunxit preſbyteris religioſis, ut eum in eorum *memento* ad miſſas haberent recommiſſum: converſis autem et laicis fratribus injunxit, ut pro eo quotidie dicerent certos *Pater noſter*. Quidam autem converſus, ſimplex et devotus, ac in officio ſuo diligens et intentus, quando ſerviebat ſanis aut infirmis eundo ad coquinam et redeundo, tunc pro legato orabat: quia aliis temporibus multum circa alia erat occupatus. Et quæſito ab eo quid diceret; Ego, reſpondit, paco legatum. Inde verſum eſt in proverbium, qui minus bene exſolventes et dicentes horas canonicas, *Il paie le legate*. Alius etiam legatus viſitaturus quandam abbatiam, multum comminatus eſt abbati. Abbas timens ſævitiam ejus, et ſtudens pacare eum, tandem venit ſibi in mentem quòd egregius erat potator; fecit igitur ſibi claretum vinum, ſciz. forte et dulciſſimum, propinari, quouſque inebriatus effectus eſt ſine voce et ſenſu tanquam mortuus: pro quo in feretro compoſito, fecit circa eum de mane ſoporatum exequias, et *placebo* decantari. Evigilans ergo legatus et ad ſe reverſus, confuſus aufugit, et ſic abbas manus ejus evaſit.

Simon abbas de Dunfermelyn anno quo ſuprà, ob innatam animi pertinaciam, et intolerabilem operum proterviam depoſitus eſt: cui ſucceſſit Radulphus de Grenlaw, vir manſuetus ac providus, ac in monaſtica diſciplina ſatis exercitatus, qui fuit ſubprior ejuſdem eccleſiæ. Magiſter Archibaldus archidiaconus Moraviæ conſecratus eſt in epiſcopum Cathanenſem, et frater Willelmus de ordine Prædicatorum in epiſcopum Brechinenſem. Nicholaus abbas de Jedword ſenio fatigatus curam paſtoralem abdicavit; qui fuit vir ſapiens et providus: cui ſurrogatur Johannes Morel canonicus ejuſdem. Cruce-ſignatio per dominum Papam ſingulis provinciis indicitur ad prædicandum pro ſubſidio Terræ Sanctæ. Philippus rex Franciæ, et ejus regina, ac multi prælati et proceres pluribus in locis cruce-ſignati ſunt. Similiter Eadwardus rex Angliæ cum tota fere nobilitate magnatum ſuorum cruce-ſignatus eſt, et viceſimum denarium totius Angliæ impetravit. Cum hujuſmodi collecta Walliam invaſit et obtinuit; et per hoc viagium Terræ Sanctæ præpedivit, ſicut poſtea dicetur. A. D. MCCLXXVI. obiit Innocentius Papa quintus: cui ſucceſſit Octobonus priùs legatus in Anglia, qui eodem anno obiit: cui ſucceſſit Johannes XXII. Anno ſequenti obiit idem Papa. Quo anno rex Alexander apud S. Thomam in Angliam peregre profectus eſt: ibidem regi Eadwardo fecit homagium, ſicut et patri ſuo feçerat, omnibus ſuis ſalvis dignitatibus, pro terris et dominio de Penreth et diverſis aliis, quas rex Henricus olim cum filia ſua Margareta regina Scotiæ, jam defuncta, ſibi dederat in maritagium; etiam pro terris aliis et honoribus antiquis, à ſuis prædeceſſoribus regibus Scotiæ priùs poſſeſſis, præter comitatum de Huntingtona, quod ſibi de facto retinuit, ſicut et pater ejus, ut præmiſſum eſt. Cujus honores à priſcis temporibus rex Scotiæ per ſuos progenitores habebat, et tempore pacis integrè poſſidebat. Hoc anno orta eſt guerra inter dominum

dominum Eadwardum regèm et Wallenſes. Tandem venit princeps Leulinus ad pacem, et fecit regi homagium. Hoc anno exoritur grandis contentio inter Alexandrum regem Scotiæ et Eadwardum Angliæ, per epiſcopum Dunelmenſem, ſuper diverſis marchiis utriuſque regni. Anno Domini MCCLXXV. fundata eſt abbatia de Dulcicorde, per Dervorgillam filiam Alani de Galweia.

CAP. XXXVII.

De contentione inter reges Scotiæ et Angliæ, et de Alexandro filio regis Scotiæ uxorato.

ANNO Domini milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo octavo pro contentione ſedanda inter reges, convenerunt apud Berwic ſuper Tuedam, in medio Quadrageſimæ, tres epiſcopi Scotiæ, videlicet Sancti Andreæ, Glaſguenſis et Dumblanenſis, ex parte regis Scotiæ, cum comitibus et aliis pluribus nobilibus: ex parte verò regis Angliæ convenerunt apud Twedmouth epiſcopi Norweicenſis et Dunelmenſis, vicecomes de Novo-caſtro, et alii quamplures milites et clerici, ut ſuper diviſis prædictis et marchiis tractarent; ſed, infecto negotio, receſſerunt. Leulinus princeps Walliæ duxit filiam Simonis de Monteforti in uxorem apud Wigorniam. Et anno ſequenti Rogerus dominus de Mortuo-mari ſecundus tenuit rotundam tabulam apud Kenlenore, qui cum centum militibus et totidem dominabus comptis armaturâ ſuâ, à civitate Londoniarum, ubi rex fecit milites filios dicti Rogeri, ſcilicet Rogerum, Willelmum et Galfridum, uſque Kenlenore perrexit. Ibi per tres dies tenuit haſtiludium, et quarto die duxit leonem ſuum apud Warwik, et ſalvum reduxit. A. D. MCCLXXIX. Martinus Papa IV. conſecratus eſt: et obiit Willelmus Wiſchard Sancti Andreæ epiſcopus quinto Kal. Junii. Eodem anno electus eſt Willelmus Fraſer pridie Nonas Auguſti. Anno ſequenti obiit David filius regis Alexandri III. apud Strivelyne, et ſepultus eſt apud Dunfermelyn. Anno ſequenti orta eſt guerra inter dominum regem Angliæ et Wallenſes, per David Griffyne fratrem Leulini principis, decimo Kal. Aprilis, id eſt, die Palmarum: quo die dictus David cepit Rogerum de Clifford apud Haward. Quo anno Alexander filius regis Alexandri III. nobilem puellam filiam domini comitis Flandriæ duxit in uxorem apud Roxburgh, Dominicâ proximâ poſt feſtum Sancti Martini in hieme, cum ingenti applauſu militum et dominarum Flandrenſium; ubi quamplures epiſcopi Scotiæ, et abbates, comites et barones celebriter convenerunt, et per quindecim dies feſtum ovanter continuantes, nuptiis regaliter celebratis, tandem ad propria remearunt. Sed, proh dolor! poſt tantum gaudium, infra breve tempus ſecutus eſt ingens luctus: nam idem Alexander, juvenis egregius, regni futurus ſperatus heres, A. Dom. MCCLXXXIII. apud Londoris obiit, ſepultuſque eſt in Dunfermelyn in feſto Sanctæ Agnetis ſecundo, anno ætatis ſuæ viceſimo. Paulo tamen ante hoc, A. ſciz. D. MCCLXXXI. deſponſata eſt Margareta filia regis Alexandri tertii regi Norwegiæ Hanigow * ſive Hericio nuncupato; quæ, pridie Idus Auguſti Scotiam relinquens, nobili transfretavit apparatu, cum

* *Alias ſcribitur* Handow, Haingouneo, *et* Haingo.

Waltero

Waltero Bullok comite, et ejus de Menteth comitiſſa, unà cum abbate de Balmurinach, et Bernardo de Monte-alto, ac aliis multis militibus et nobilibus; ac in vigilia aſſumptionis noſtræ Dominæ Norweiam eſt ingreſſa, et à rege honorificè ſuſcepta, ac ab archiepiſcopo illius regni, invitâ matre ejuſdem regis, coronata eſt. Poſt verò nuptias ſolenniter celebratas, dicti abbas et Bernardus, et alii plures in redeundo ſunt ſubmerſi. Walterus autem comes, et uxor ejus, cum tota familia de Norweia in Scotiam proſperè redierunt. Sed et hæc eadem domina Margareta Noricorum regina, cùm per unum annum et dimidium cum rege viro ſuo vixiſſet, in ejuſdem anni principio, quo et frater ejus Alexander obiit, quinto Idus Aprilis debitum humanæ conditionis perſolvit. De qua rex Noricus unicam filiam tantùm genuit, nomine etiam Margaretam; quæ cùm ad annos maturitatis pervenerat, et ipſa ſimiliter ab hac luce migravit.

CAP. XXXVIII.

De crudelitate regis Eadwardi, et de miſera ſervitute Walleniſium.

QUorum viz. Alexandri et David fratrum, Margaretæ ſororis, et ejus filiæ Margaretæ mors, initium fuit dolorum Scotiæ futurorum. Heu, proh dolor! O Scotia! quoniam ſi cognoviſſes et tu tot tibi venturos luctuum et lacrimarum dies, et tanta tamque multiplicia mala infallibiliter adeſſe feſtinant;

Quantaque, ſi ſcires, nunquam te ferre putares.

Poſt mortem autem Alexandri prædicti regis Alexandri primogeniti, venerunt quatuor milites à comite Flandriæ miſſi ad dominum regem Scotiæ, ut filiam prædicti comitis, relictam Alexandri filii ſui nuper defuncti, ad patrem ſuum adducerent. Super quo dominus rex ſuique conſiliarii diu tractantes, tandem conſenſerunt, ut prædicta domina, nullâ pro dote ſua fidelitate domino regi præſtandâ, rediret ad patrem ſuum. Quod ita factum eſt, atque remeantes ad propria munificè ſunt dimiſſi. Rex etiam Norwegiæ poſt mortem Margaretæ uxoris ſuæ, filiæ dicti regis Alexandri, ſolennes nuncios ad dominum regem Scotiæ miſit, ad exigendum* et recipiendum ad opus præfatæ filiæ, ſcilicet neptis ſuæ, redditus ſeptingentarum marcarum in certis terris, ſecundùm conventiones inter ipſos reges initas et ſcriptis roboratas. Quos quidem nuncios rex benignè ſuſcepit, et de conſilio ſuorum procerum expediens ipſos† nuncios, ad Norwegienſium regem honorificè remiſit cum immenſis muneribus et diverſis. Eodem anno, ſciz. Dom. MCCLXXXI. obiit Alexander ſeneſcallus Scotiæ, avus nobilis Walteri generi domini Roberti Bruce regis. Et Eadwardus Anglorum rex cum innumerabili exercitu perrexit in Walliam, ubi Leulinum Britannicæ gentis principem expugnavit; et utriuſque partis non modicâ plebe interfectâ, tandem ipſe princeps crudeliter ac ſeditioſe peremptus eſt. Ubi propterea, ut ſperatur, multi nobiles regis Angliæ ultione Divinâ, quidam aquis im-

* *Petendum*, MSS. Col. Ed. et Cupr. † *Nuncios ſuos*, edit. Hearn.

merſi, quidam gladioperempti quidam in tentoriis ſubitâ morte præventi, eccleſiaſticâ privati ſunt ſepulturâ, in agris velut canes morſibus avium patentes. Quos ut dictus rex ab hac luce migrâſſe cognovit, quaſi inhumanus et nequam, ſuorum mortem parvipendens, jactitabat quibuſdam ſe non illos, ſed eorum matres, perdidiſſe. De hoc conquæſtu infrà, lib. xv. cap. xxvij.

Mortuo Leulino, Wallenſes quamplurimi David Griffini ſequentes, et ſibi tanquam principi obedientes, juramentum fidelitatis præſtiterunt. Qui princeps poſt hoc, anno ſcilicet Domini MCCLXXXIII. in craſtino S. Matthæi captus, et apud Londonias, per eundem regem Eadwardum tyrannum, tale judicium redditum fuit; " Ut equis, tanquam proditor, " traheretur, tanquam latro ſuſpenderetur, et ut prædo decapitaretur, " et ut corpus ſuum in quatuor partes divideretur, et ad IV. regni prin- " cipaliora oppida unaquæque pars ſuſpendio mitteretur: caput verò " ſuum ſuper turrim Londoniis affixum eſt." A quo etiam rege exiit edictum per totam Angliam et Walliam, et voce horridâ præconum proclamatum, " Ut nullus Britannici generis, cujuſcunque fuerit con- " ditionis, infra muratas urbes, caſtra, fortalicia, oppida, ſeu quaſ- " cunque munitiones, ſub amiſſionis vitæ membrorumque pœna, per- " noctaret." Hoc igitur inſertum eſt breviter capitulum, ne qua gens, Angliæ collateralis vel confinis, præmiſſam legens hiſtoriam, exemplo Wallenſium, incaſtigata decidat ſub Anglorum incautè dominio miſerrimæ ſervitutis: quia, ut communiter de eis dictum eſt, videlicet quòd " Anglicus eſt proditioſus ſocius, bonus ſervus, inſufferabilis magiſter " ſive dominus: ſed et in quemcunque ſtatum eum repoſueris, tan- " quam vulpes, verſipellis et doloſus reperietur." Unde quidam de Anglis et aliis nationibus ſic metrificare exorſus eſt:

Sculptor, dum ſculpes Anglos, facies quaſi vulpes;
Et Gallos agnos, Normannos fac bene magnos
Urſos; ſed Britones apros, Scotoſque leones.

CAP. XXXIX.

Quomodo hujus tyranni cupiditate rapida paſſagium Terræ Sanctæ præpeditur.

DOminium itaque ſic totius Walliæ, et reliquiarum Britonum ſuperioritatem, hoſtili feritate conquiſitus, in ſignum triumphalis lætitiæ rotundam tabulam cum ſuis commilitonibus et ſatrapis, apud Snaudon pompaticè celebravit rex tyrannus; idemque rex totam decimam papalem in regno ſuo per ſex annos, ſecundùm verum valorem omnium proventuum eccleſiaſticorum in ſubſidium Terræ Sanctæ collectam, et in diverſis monaſteriis et eccleſiis cathedralibus regni ſui depoſitam, temeritate validâ aſportavit, proinde Terræ Sanctæ, ſanctiſſimo viagio omnino præpedito. Quo igitur jure vendicet ſibi regna, tanta exercens latrocinia? Non utique legiſlator ſed legiſlatro merito eſt dicendus; dicente AUGUSTINO *de civitate Dei* lib. IV. " Remotâ " juſtitiâ, quid ſunt regna niſi magna latrocinia? et latrocinia quid ſunt " niſi parva regna? Hoc malum tantum creſcit, ut et loca teneat,

" ſedes

" ſedes conſtituat, civitates occupet, populos ſubjuget, et evidentiùs " regni nomen aſſumat: quod jam ei in manifeſto confert non dempta " cupiditas, ſed addita impunitas. Ideo eleganter et veraciter Alex- " andro Magno quidam pirata comprehenſus reſpondit, cùm ab eo " interrogaretur, quid ſibi, ut mare haberet infeſtum, daret? Ille liberâ " voce, Quod tibi, inquit, ut orbem terrarum. Sed quia ego exiguo " navigio facio, latro vocor; quia tu magnâ claſſe, imperator." Hæc ille.

Anno ſequenti obiit Maria mater Alexandri tertii regis Scotiæ in partibus tranſmarinis. Eodem anno, quarto Idus Januarii, rex Alexander apud Sanctum Andream exiſtens ante magnum altare, coram ſuis ſatrapis et magnatibus, dedit et conceſſit Deo et beato Andreæ percuſſuram monetæ adeo liberè et quietè ſicut aliquis epiſcopus Sancti Andreæ tempore patris ſui Alexandri II. vel alicujus prædeceſſorum ſuorum, liberiùs et quietiùs habere conſuevit, ſalvâ ſibi declaratione inquiſitionis ejuſdem ſuper infeodatione habenda. Eodem anno natus eſt Eadwardus filius regis Eadwardi apud Carnarvane. Obiit etiam Carolus rex Siciliæ, Calabriæ, et Apuliæ, ac Africæ illuſtriſſimus: in cujus baltheo nomina dictarum regionum, in ſtipatis aureis umbonibus, artificioſe et conſperſim ſic erant inſculpta;

SICULUS ET KALABER, APULUS MIHI SERVIT ET AFER.

Eodem anno Duncanus filius Colbani comitis de Fyfe ſuſcepit regimen et dominium comitatûs ejuſdem, ad ipſum jure hereditario ſpectantis. Hoc etiam anno, videlicet decimo à morte reginæ, rex Alexander, de ſuorum prælatorum et procerum conſilio, nuncios miſit ſolennes, viz. Thomam Charteris cancellarium ſuum, Patricium de Graham, Willelmum de Sancto-claro, et Johannem de Soulis milites, ad providendum ſibi de ſponſa nobiliori proſapiâ exorta: qui ſine mora poſt feſtum Purificationis beatæ Mariæ virginis in Franciam ſunt profecti; ubi Joletam ſive Jolandam dominarum ſpecioſiſſimam, filiam nobilis viri comitis de Droco, ſive Droys communiter nuncupati, cum magno apparatu, et veneranda Francorum comitiva, ad Scotiam proſperè perduxerunt.

CAP. XL.

De deſponſatione regis Alexandri III. cum Joleta filia comitis de Droco.

ANNO Dom. milleſimo ducenteſimo octogeſimo quinto, dominus Alexander rex Scotiæ, die S. Calixti, deſponſavit Joletam filiam comitis de Droco. Ad cujus nuptias regaliter celebrandas quamplures nobiles de Francia et Scotia cum innumerabili multitudine utriuſq. ſexûs ſolenniter convenerunt. Quibus peractis, Francigenæ variis muneribus lætificati, exceptis paucis cum regina remanentibus, læti remearunt. De tam celebri feſto à retroactis temporibus non recolitur in Scotia lectum eſſe. Sed, proh dolor! hujuſmodi inconſuetum feſtum, paulo poſt infeſtum, ſive faſtidii ſignum, inſatiabilem famem Scotis parturivit: nam ut locus feſtum decoraret, et feſtum loco conveniret, regales illæ nuptiæ per induſtriam apud Jedwod electæ ſunt celebrari. Nam

et

et locus ipſe dictus eſt ab illa aqua, quæ et JED; et ſilva, quod eſt in lingua materna WOD, compoſitus. Unde quidam;

Unda nemus *verè duo ſunt bona nata placere,*
Compoſitum de re dic ſingula laudis habere.

Ubi in nuptiis regalibus dum omnia ritè fierent, factum eſt tale ludi ſimulacrum per modum proceſſionis inter catervas diſcumbentium, præcedentibus in arte illa doctis, cum multimodis organis muſicis et tragœdicis inſtrumentis organicis, aliiſque poſt eos viciſſim et interpolatim choream militarem pompaticè agentibus, inſecutus eſt unus, de quo penè dubitari potuit utrum homo eſſet, an phantaſma: qui, ut umbra, magis labi videbatur quàm pedetentim tranſire. Quo quaſi oculis omnium evaneſcente, quievit tota illa proceſſio phainatica, melos tepuit, muſicum diſſolutum eſt, et chorealis phalanx diriguit citiùs inſperato. Riſus dolore miſcetur, et extrema gaudii luctus occupat, et poſt tantam gloriam regnum ingloriè ululabat, dum poſtmodum in brevi ſeipſum perdidit, et conſequenter regem. Nam eodem anno, decimo quarto Kal. Aprilis, rex apud Portum-reginæ paſſagio præpeditus uſque noctis atræ crepuſculum, à ſuis conſultus ne Invirkethin hac nocte præteriret, ſpreto eorum conſilio, ſeptus agmine militari, verſus Kingorn-regis gradu præcipiti feſtinavit. Ad cujus occidentalem plagam juxta maritimalem ripam ſonipes in ſabulo ceſpitavit, et, heu! nobilis rex à ſuis negligentiùs obſervatus, fractis cervicibus exſpiravit*: ac in monaſterio de Dumfermelyn, ut regem decuit, tumulatur. Cujus mors quàm lacrimoſa fuerit regno Scotiæ et nociva, damna temporum ſubſequentium patenter declarant. Nemo, obſecro, propter ſubitationem inſperatæ mortis, hæſitet de tranſitu tanti regis ad gloriam; quia, ut dicitur, non poteſt malè mori qui benè vixit. Unde quidam:

Mors juſti ſubita, quam præceſſit bona vita,
Non minuit merita, ſi moriatur ita.

De ipſo rege habentur hujuſmodi metra:

L ſemel, X ter, et V, bis centum, mille volutis
Annis, Aprilis quarto decimoque Kalendas,
Tertius Alexander in Kingorn mortuus, infra
Dumfermelinam jacet eccleſiam tumulatus,
Inter avos reges. Regnavit ter deca ſeptem,
Vixit et octo plus, non completis tamen, annis.
Cujus nobile cor in pace quieſcit apud Perth.
Et ſic de regno poſt hæc Deus ordinet iſto.
Mortem prædicti regis, ſine prole relicti,
Poſt annis fere ſeptem Scoti doluere,
Quòd regem verè tot ariſtis non habuere.

* *Addunt libri Cupr. et Perthenſis,* Ubi ad monumentum facti crux lapidea erigitur, et in margine orbitæ adhuc tranſeuntibus conſpicitur.

CAP.

CAP. XLI.

De commendatione boni regiminis regis Alexandri tertii, et circuitione regni, et juſtitia ubique exhibita.

OMnibus diebus vitæ hujus regis, Chriſti floruit eccleſia; ſacerdotes ejus debitâ honorabantur reverentiâ: aruit vitium, abfuit dolus, ceſſavit injuria; viruit virtus, viguit veritas, regnavit juſtitia. Erat enim formâ præcipuus, corpore compoſitus, ſtaturâ largus et procerus, non tamen groſſitie notatus; vultu jocundus, corde ſolidus, mente devotus; affabilis colloquio, amabilis aſpectu; prudentiâ præditus, temperantiâ clarus, internâ fortitudine firmus, et externâ probatus; cenſurâ juſtitiæ ſtabilis, longanimitate aſſiduus, patientiâ robuſtus, humilitate manſuetus, caritate ſolicitus, et omnibus æquus. Juſtè igitur ob ſuæ probitatis merita et æquitatis libramina potuit dici rex; eo quòd rectè ſe rexit et ſuos, jus ſuum unicuique tribuens. Unde reges, ſecundùm Iſidorum, à rectè agendo vocati ſunt: ideoque rectè faciendo regis nomen tenetur, peccando amittitur. Rectè ergo illi reges vocantur, qui tam ſemetipſos quàm ſubjectos benè regendo modificare noverunt.

Fit rex ut ſit lex; ubi non lex, eſt ibi nec rex.

Et ſi quos aliquando rex Alexander de ſuis habuit rebelles, tanto rigore diſciplinæ eorum repreſſit inſanias, ut miſſo fune in collo ad ſuſpendium parati, ſi ſuæ placitum eſſet voluntati, ſuo ſubderentur imperio. Propter quod prope et procul non ſolùm amicis, ſed etiam adverſariis, præcipuè Anglicis, timori habebatur pariter et amori. Omni itaque tempore poſtquam rex annos diſcretionis attigerat, regnicolæ vixerunt firmâ tranquillitate et pace, jocundâque et ſecurâ libertate; ita quòd poterat applicari quod ſcriptum eſt: "Sedebat populus meus in "pulcritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, et in requie opulenta." Hæc Isaias. Et ut omnem ſeditionem et inſolentiam ubique infra regnum ſedaret, hoc ſemper quaſi omni anno de more habuit, cùm electa videlicet manu valida militum et nobilium regnum peragrare, et in qualibet quaternali ipſius plaga, pro rata anni, perhendinare, juſtitiarium ſuum ſecum habens juſtitiam cuilibet adminiſtrandum, ut nihil de contingentibus omitteretur de juſtitia unicuique promptè exhibenda. Quotieſcunque etiam contingeret regem de longè equitare, vicecomes illius ſhiræ præmunitus, ad fines ſui comitatûs cum tota electa militia ſhiræ, regi de more convenit obviare. Quo exeunte confines comitatûs, militia regi valedicens receſſit ad propria; aliâ interea militiâ apud fines ſhiræ regem accuratiùs præſtolante, et ſimiliter à fine uſque ad finem propriis expenſis concomitante: unde ubique rex ſecuro agmine conſtipatus gaviſus eſt de populo, et populus multipliciter exultaverunt de rege ſuo. Rex etiam de facili non paſſus eſt aliquos non habentes poſſeſſiones vel artes eſſe otioſos: ſed ſtatuto actum eſt, et ſub pœnis, quòd unuſquiſque talis ſeptem pedes in quadro foderet omni die; attendens quòd otioſitas eſt mater nugarum, noverca virtutum, quæ virum fortem præcipitat in rapinam, ſuffocat politiam, nutrit ſuperbiam, inducit conſpirationem, et viam conſtituit ad perdendum regnum. Statuit etiam

in curia cujuſcumque prælati vel magnatis certum et paucum numerum fieri evectionum, quia * multitudo equorum non neceſſariorum deſtruxit † ſuſtentationem pauperum.

CAP. XLII.

Quomodo providit rex ne merchandiæ extra regnum periculis ſupponerentur.

DE conſilio regis diffinitum eſt, attento quòd merchandia regni defecit, et ex hoc regnum nimium depauperetur, amiſſione viz. navium pereuntium tam per piratas, quàm per rupturas ad ſcopulos, tempeſtates inopinatas et arreſtationes levi occaſione apud diverſas partes et portus intentatas, Quòd ipſe merchandiæ ad tempus in regno remanerent: quod et non ſine difficultate factum eſt. Propter quod paſſim, nondum anno revoluto, venerunt ad partes naves diverſarum regionum onuſtæ mercaturis multimodis commutatis pro rebus in regno conſtantibus. Et ſic * proviſum fuit, ut nulli de hujuſmodi negotiatione intromitterent, burgenſibus duntaxat exceptis. Propter quod infra paucos annos regnum † abundabat omnibus bonis tam in victualibus quàm pecuniis, beſtiis, et pecudibus, merchandiis et artibus ‡; ita ut multi ab Oriente et Occidente, et à finibus terræ venirent audire juſtitiam, videre politiam, conſiderare regni potentiam et regis ſapientiam †. Qui cùm de præmiſſis experti fuiſſent, et ſuper gloriam regni mirarentur, dicere ſanè poterant cum regina Saba, dicente ad Salomonem: "Verus eſt ſermo quem audivimus in terra noſtra, et non cre-
" debamus narrantibus nobis, donec ipſi veniremus et vidimus oculis
" noſtris, et probavimus quòd media pars non fuerat nobis nunciata:
" quia majora opera vidimus, quàm rumor quem audivimus. Sit
" Dominus tuus et Rex benedictus, cui complacuiſti, et poſuit te ſu-
" per thronum, et conſtituit te regem, ut faceres judicium et juſtitiam."
In tantum viguit diebus ejus juſtitia ubique in regno, ut et ditiſſimi Lumbardi in magna confluentia venirent, et regi offerrent ad ædificandas prò ſe in diverſis locis ad hoc prævisis, ſicut in monte Portûs-reginæ vel apud inſulam Leneri prope Crawmond, regales civitates infra certos annos, conceſſis ſibi propterea ſpiritualibus quibuſdam privilegiis. Quæ quidem petitiones quibuſdam de ſtatibus regni non placuerunt, et ſic petita non ſunt in effectu conſecuti. Sed aliàs qualitercunque ſufficienter fuiſſet Lumbardis ſatisfactum, niſi ſors humana, mors inopinata, caſus fatalis regem noſtrum ſub pedibus ſuis ſubjeciſſet, et illius mortis morſus tenuis ſolutionis anticipans, extorſiſſet debitum ante diem.

* *Scient quod*, pro *quia*, MSS. Cupr. et Perth. ‡ *Annonam et ſuſtentationem*, iid.
* Utique proviſum exſtiterat, *MSS. Cupr. et Perth.* † Regnum opulentiis abundabat, tam ſciz. victualibus, &c. *Iidem.* ‡ Artibus ac honeſtatibus politicis, *Iidem.*
† Regis ſapientiam admirari, *Ibidem.*

CAP.

CAP. XLIII.

De complanctu mortis regis Alexandri, et prophetia Thomæ Rymor.

O Verè infelix Scotia! cùm tali et tanto caruiſti duce et auriga; et, quod infelicius eſt, nullâ ab eo prole relictâ ad ſuccedendum legitimâ. Ejus ergo mors tibi exſtat jugis cauſa luctûs et mœroris; cujus vita laudabilis tot et tanta tibi præcipuè contulit incrementa ſalutis. O Scotia! quàm dulcia, dum rex tuus viveret, rememoranda ſunt præconia? Sed et nunc;

Innumerabile, debile, labile, dic genus Evæ;
Dic, mea tibia, tolle, tragœdia, flebile Væ væ.
Gens male libera tendit ad infima calle ſiniſtro;
Nil niſi flebile, nil niſi debile ſolo ſub iſto.

Nam verſa eſt in lamentum lyra tua, et organum in voce flentium, auditâ tui amantiſſimi regis morte ſubitaneâ, acerbâ pariter et inviſâ. Sed et ſi cognoviſſes et tu, quot mala undique circumplectere te feſtinant, cor tuum, futuri rumoris præſcium, vehementer expaveſceret; et eis quæ ſequenda ſunt pleniùs intellectis, dolor repentinus taliter te invaderet, adeo quòd, animi vigore deperdito, oculi præ lacrimis caligarent, et, linguâ luctuoſis occupatâ ſingultibus, quaſi officium locutionis non abs re amitteres. Diceres equidem, ſi ex intimis præcordiis ſaperes et intelligeres, ac futuras calamitates prævideres, Utinam, ſi non divinæ repugnaret voluntati, me ſubitus voraſſet hiatus, antequam illa dies miſerabilis, illa hora rabidiſſima, illa feria peſſima oculis meis illuſiſſet. Annon recordaris quid ille vates rutalis, Thomas videlicet de Erſildon, nocte præcedenti mortem regis Alexandri, in caſtro de Dunbar, obſcurè prophetando, de occaſu ejus dixerat comiti Marchiarum interroganti ab eo, ut ſolitus quaſi jocando, quid altera dies futura novi eſſet paritura? Qui Thomas, attrahens de imo cordis ſingultuoſum ſuſpirium, ſic fertur comiti coram aulicis plane protuliſſe: " Heu diei craſtinæ! diei " calamitatis et miſeriæ! quia ante horam explicitè duodecimam au- " dietur tam vehemens ventus in Scotia, quòd à magnis retroactis " temporibus conſimilis minime inveniebatur. Cujus quidem flatus " obſtupeſcere faciet gentes, ſtupidos reddet audientes, excelſa humi- " liabit, et rigida ſolo complanabit." Propter cujus ſeria affamina comes cum aulicis craſtinum obſervantes, et horas diei uſque ad nonam conſiderantes, et nullum veſtigium in nubibus vel ſignis ventoſis cœli auſpicantes, Thomam tanquam inſenſatum reputantes, ad prandium propetârunt. Ubi dum comite vix menſæ collocato, et ſigno horologii ad meridianam horam fere approximato, affuit quidam ad portam, importunis pulſibus aures comitis concutiens, aditum ſibi ociùs fieri flagitavit. Intromiſſus igitur advena, et de novis impetitus, Nova, inquit, habeo ſed nociva, toti regno Scotiæ deflenda, quia inclitus, heu! rex ejus finem præſentis vitæ heſternâ nocte apud Kingorn ſortitus eſt; et hæc veni nunciare tibi. Ad hanc narrationem quaſi de gravi ſomno excitatus comes unà cum familiaribus tutiderunt pectora, et dicti Thomæ experti ſunt credibilia nimis facta fore vaticinia.

CAP.

CAP. XLIV.

Qualiter vita humana tranſitoriis et caducis rebus comparatur, et nihil ſtabile ſub cælo reperitur.

NEC mirandum eſt, quòd ille vates Thomas myſticè loquutus eſt de metaphorico vento, cùm et Sacra Scriptura comparat vitam humanam inſtabilibus rebus. Unde JOB VII. " Memento quoniam " ventus eſt vita mea." Et idem alibi; " Abſtuliſti, quaſi ventus, " deſiderium meum, et velut nubes pertranſiit ſalus mea." De qua nube et de aliis Sapientiæ II. ſcriptum eſt: " Et tranſiet vita noſtra " tanquam veſtigium, et ſicut nebula diſſolvetur, quæ fugata eſt à " radiis ſolis." Nunquam vel raro comparat Sacra Scriptura vitam humanam alicui rei permanenti vel ſtabili, ſed ſemper rebus tranſitoriis et caducis. Aliquando enim comparatur vento, aliquando umbræ, aliquando herbæ vel flori, quandoque nubi vel rori, hoſpiti vel curſori: omnia enim iſta ſunt tranſitoria et caduca. Iſto modo loquitur Pſalmiſta dicens; " Mane ſicut herba tranſeat, mane floreat, et tranſeat; " veſpere decidat, induret, et areſcat." Hic dividit vitam humanam in tria, ſcilicet in pueritiam, adoleſcentiam, et ſenectutem. Tempore pueritiæ, comparatur homo herbæ nondum florenti, ibi, *mane ſicut herba tranſeat.* In adoleſcentia, herbæ florenti; unde, *mane floreat et tranſeat:* tunc de homine vulgariter dicitur, quòd eſt in floribus ſuis. Sed veſpere, hoc eſt in ſenectute, decidat per infirmitatem, induret per mortem, et areſcat per reſolutionem in pulverem.* Propter quod quidam conſiderans nullam ſubſiſtentiam ſive ſolidam ſubſtantiam in mundo diu permanere poſſe, carmen ſuum threnoſum exorſus eſt in hunc modum:

CANTUS SIVE RISMUS THRENOSUS.

Res mundi variabiles,
Dieſque ſic labiles,
Conſiderans gemiſco.
Mortis pœnas terribiles,
Planctus inevitabiles,
Imaginans tremiſco.

Quàm vana mundi gaudia,
Quibus ſuccedunt triſtia,
Æternum permanſura!
Quàm vana quoque gloria,
Cujus mors ſolvit præmia,
Conditione durâ!

Ætati ſive ſexui
Mors non parcit alicui,
Perſonas non diſcernit.
Non imæ parcit domui,
Non defert potentatui;
Mors omnes æquè ſternit.

En ſenes cum puerulis,
En dites cum pauperculis,
A ſeculo diſcedunt.
En domini cum ſervulis,
En feminæ cum maſculis,
Sub una lege cedunt.

Rex Alexander valuit
Quondam; nec tamen valuit
Extrema præterire.
Cæſar mundum edomuit,
Et tamen hunc oportuit
Finalia ſubire.

* *Addit MS. Cupr.* " Unde quidam: Flos homo aret, funus homo pendet, cineris vas " olet, olla teritur favillæ; cur arrogat ideo?"

Quid

Quid moror? omnes abeunt,
Æs, aurum, gemmæ pereunt,
Cum quibus et obimus.
Quæ dantur, et quæ veneunt,
Ut in momento pereunt;
Nec minus insanimus.

Putret vestis purpurea,
Subtili cæsa tineâ,
Vel usu crebro læsa.
Perit lorica ferrea,
Perit cassis chalybea,
Rubigine peresa.

En mœnia Romelia,
Palatia marmorea,
Nonne jam corruere?
Imago solis aurea,
Forma Phœbes argentea,
Ex toto periere.

Quòd brevi durat spatio
Possessor et possessio,
Præmissis declaratur.

Quòd autem desolatio
Frequentior sit gaudio,
Per sequens addiscatur.

In sorde quivis gignitur,
In fletu miser oritur,
In turbine victurus.
Laborat, languet, moritur,
Et vermibus conteritur,
Commissa luiturus.

Quæro: Inter tot aspera
Quæ possint esse prospera,
Vel gaudia secura?
Evam seduxit vipera,
Sub cujus sorte misera
Sectamur nocitura.

Ergo circa mortalia
Cur ludimus ingenia?
Caduca deseramus;
Et ad perpetualia
Sinceræ mentis studia
Perfectè convertamus.

EXPLICIT LIBER DECIMUS.

Incipiunt tituli capitulorum libri undecimi.

De electione ſex cuſtodum, et regimine Scotiæ poſt mortem Alexandri tertii Scotorum regis. CAPITULUM I.
De diſcuſſione juris Ballioli et Bruce. CAP. II.
Quòd rex Angliæ ſub dolo fecit evocari Scotos. CAP. III.
Tenor falſæ ſuggeſtionis regis Angliæ in Franciam miſſæ de ſucceſſione regni Scotiæ. CAP. IV.
De eodem, et quòd iniquè et falſè poſuit rex Angliæ caſum. CAP. V. VI. VII. VIII. IX.
De ſubtilitate et malitia Eadwardi regis Anglorum, et de electa aſſiſa ſuper jure regni proceſſura. CAP. X.
Qualiter conſultus fuit rex Angliæ non ſententiare ſuper jure regni Scotiæ ſine ipſius ſubjectione. CAP. XI.
Ut pleniùs ſciatur de jure Bruce et Ballioli, ſequitur compendioſa computatio regum Scotiæ. CAP. XII.
De filiabus David comitis de Huntingdona, et earum filiatione. CAP. XIII.
De eodem, et de filiabus Sanctorum Margaretæ et Malcolmi, et eorum ſobole. CAP. XIV.
De incidentibus et proceſſu privationis Macduff fratris Duncani comitis de Fyfe. CAP. XV.
Tenor compoſitionis et confœderationis regum Francorum et Scotorum. CAP. XVI.
De eodem. CAP. XVII.
Quomodo rex Johannes reclamavit homagium factum regi Angliæ, et de proceſſu privationis ejuſdem Johannis. CAP. XVIII.
Quòd diviſio eſt res peſſima in omni regno, et de notabili ad hoc exemplo. CAP. XIX.
De obſidione et captione villæ Bervici, et de dolo Anglorum. CAP. XX.
De ejectione Anglorum beneficiatorum et aliorum de regno Scotiæ. CAP. XXI.
Quomodo rex Robertus ſecundus obtulit prioratum de Coldingham monaſterio de Dunfermelyn. CAP. XXII.
Quòd Dunelmenſes monachi ſe inhabiles reddiderant ad ſtandum in Coldinghame, quam combuſſerunt. CAP. XXIII.
Qualiter, præmiſſis non obſtantibus, Anglici ſuo dolo vel dato favores aucupantur. CAP. XXIV.
De fautoribus Ballioli et Bruce, et reſponſis regis Angliæ factis Roberto Bruce. CAP. XXV.
De captione regis Johannis, et reſignatione regni in manus regis Angliæ. CAP. XXVI.
Quomodo communitas Scotiæ fecit homagium regi Angliæ, et magnates juraverunt pro tuitione regni. CAP. XXVII.
De primordiis victorioſiſſimi Willelmi Wallace, truculentis ferulæ Anglorum.* CAP. XXVIII.

* *Al.* Wales.

Quomodo

Quomodo deſtruxit Northumbriam. CAP. XXIX.
Quomodo ſine pugna fugavit et devicit regem Angliæ. CAP. XXX.
De conſpiratione contra cuſtodem concepta per magnates. CAP. XXXI.
* * * [Deſiderantur tituli duorum capitulorum.] * * *
De bello Variæ Capellæ, et aliis. CAP. XXXIV.
De treugis conceſſis communitati Scotiæ ad inſtantiam regis Franciæ. CAP. XXXV.
Litera miſſa à Papa domino Cantuarienſi ad præſentandam bullam regis Angliæ. CAP. XXXVI.
Copia bullæ Papæ præſentatæ regi Angliæ per Cantuarienſem archiepiſcopum. CAP. XXXVII.
De eodem. CAP. XXXVIII.
Reſponſio aliqualis facta per barones Angliæ domini noſtri Papæ bullæ. CAP. XXXIX.
Reſponſio regis Angliæ facta domino Papæ, oſtendendo jura quæ dicit ſe habere in regno Scotiæ. CAP. XL.
De eadem ſuggeſtione. CAP. XLI.
De eodem etiam figmento et falſa ſuggeſtione. CAP. XLII.
Adhuc de eodem. CAP. XLIII.
Copia diverſarum literarum miſſarum domino Papæ per dictum regem Eadwardum, ad palliandum prætenſum ſuum jus in contrarium Scotorum. CAP. XLIV.
Copia literæ, &c. CAP. XLV.
Objectiones Scotorum ad figmenta Anglorum. CAP. XLVI.
De eodem. CAP. XLVII.
De eodem. CAP. XLVIII.
De eodem. CAP. XLIX.
De eodem. CAP. L. *et ſic conſequenter per quinque capitula ſequentia.*
Proceſſus Baldredi Biſet et ſuorum compatriotarum contra figmenta Anglorum. CAP. LVI.
Et ſic conſequenter per VII. *capitula ſequentia.*

LIBER XI.

CAP. I.

De electione et regimine cuſtodum Scotiæ poſt mortem regis.

MORTUO ſiquidem principe magnifico Alexandro tertio, omnibuſque liberis de ſuo corpore procreatis, ac etiam cunctis legitimis heredibus et cognatis à rege Willelmo avo ſuo linealiter, vel à latere quomodolibet deſcendentibus, exceptâ unâ parvâ puellâ, nomine Margaretâ, filiâ Margaretæ reginæ Norwegiæ, filiæ quondam dicti regis Alexandri, vacavit regnum Scotiæ ſex annis et novem menſibus; prout diu ante per GILDAM exſtitit vaticinatum, ſic dicentem:

Principe magnifico tellus viduata vacabit
Annis bis ternis, menſibus atque novem.

Regebatur

Regebatur interim * ſex cuſtodibus, videlicet, domino Willelmo Fraſer epiſcopo Sancti Andreæ, Duncano comite de Fyfe, et Johanne Comyn comite de Buchan, ex parte boreali aquæ de Forth‡; Roberto epiſcopo Glaſguenſi, domino Johanne Comyn, et Jacobo ſeneſcallo Scotiæ ex parte auſtrali ejuſdem†. Sed Duncanus de Fife paulo poſt rebus exuitur humanis, ut poſtea patebit. Durante abhinc numero annorum ſupradicto, Eadwardus Langſchankis† rex Angliæ, cognito quòd puella prædicta, nomine Margareta, filia regis Norwegiæ, ſimul et filia filiæ ſororis ſuæ, eſſet vera et legitima heres regis Scotiæ, affectanſque omni ſtudio et anniſu ipſum regnum Scotiæ ſuo regno conjungere et adunare, ordinavit et conſtituit, anno Domini milleſimo ducenteſimo octogeſimo nono, ſex ſpeciales procuratores et nuncios ſolennes, videlicet, epiſcopos Dunelmenſem et Kaerleolenſem, comites Lincolniæ et Varenſ. Willelmum de Veſſi militem, et Henricum decanum Eboracenſ. ad appunctuandum, diſponendum et tractandum inter ipſum et cuſtodes prædictos Scotiæ, ac ceteros regni ſtatus, ſuper matrimonio contrahendo inter filium ſuum et heredem Eadwardum de Carnavoran, et prædictam Margaretam veram Scotiæ tunc heredem. Dictis verò nunciis ſuum negotium et tractatum cum prædictis cuſtodibus, et aliis quibus intererat, debitè exſequentibus, petitionibus nunciorum decretum fuit annuendum; ita tamen quòd regnum Scotiæ foret liberum et quietum ab omni ſervitute et ſubjectione, ſicut melius et liberius exſtitit quoad conſuetudines et jura, tam eccleſiaſtica quàm ſecularia **, temporibus Alexandri regis antefati, ſecundùm quod patet in quodam inſtrumento intra proceſſum magiſtri Baldredi Biſet contento: Et in caſu quòd ipſum matrimonium non teneret, vel alter contrahentium ſine prole in fata decederet, altero ſuperſtite exiſtente, in omni caſu et eventu ad proximos heredes, liberè et abſolutè abſque ulla ſubjectione, regnum reſtitui debeat et reverti; ſalvo regi Angliæ jure ſuo, ſi quod ab initio competebat. Et ut dictum negotium ad finem perduceretur optatum, nobiles Scotiæ duos milites ſcientiâ et moribus præclaros, Michaëlem de Wemys et Michaëlem Scot, ad regem Norwegiæ pro matrimonio perficiendo, et pro puella ad regnum deducenda, ſolenniter direxerunt. Sed, proh dolor! incompleto negotio, dicta puella ab hac luce migravit, anno Dom. milleſimo ducenteſimo nonageſimo primo. Hoc anno Judæi de Anglia ejecti ſunt. Quâ mortuâ, ſtatim facta eſt contentio inter Johannem de Balliolo, et Robertum de Bruce ſeniorem, (nam tres tunc erant ſuperſtites qui uno nomine vocabantur Roberti, ille ſcilicet nobilis ſenior, et filius ſuus comes de Carryk, et nepos ſuus qui poſtea fuit rex) ſuper jure et hereditate regni Scotiæ: quæ quidem contentio modo quo ſequitur ſopita fuit ad tempus.

* *Tamen*, MS. Col. Edinb. et edit. H. ‡ Vel ultra Forth conſtitutis, *addit edit. H.*
† Vel ultra Forth conſtitutis, *ibid.* † Dictus tyrannus rex Angliæ, *MSS. Cupr. et Perth.* Rex Angliæ et princeps magnificus, *edit. H.* ** Hactenus uſitat. et ſervat. *ibid.*

CAP.

CAP. II.

De diſcuſſione juris Johannis de Balliolo et Roberti Bruce.

NObiles regni memorati, cum ſuis cuſtodibus prænominatis, ſuper creationem ſui regis inter ſe tractabant ſæpiſſimè: ſed ea quæ ſentiebant ſuper jure ſucceſſionis proferre non præſumebant, tum quia cauſa erat difficilis et ardua, tum quia ſuper jure varii varia ſentiebant et multipliciter vacillabant; tum quia potentiam partium, quæ magna erat et multum timenda, merito metuebant; tum quia ſuperiorem non habebant, qui eorum ſententiam per poteſtatis rigorem executioni poſſet demandare, vel partes compellere ad obſervantiam ſententiæ. Iſtis cum diligentia conſideratis, tandem unanimi conſenſu decreverunt inter ſe, pro eodem Eadwardo regi Angliæ nuncios mittere ſolennes, ut in cauſa ipſa judex fieret ſuperior ac juris utriuſque declarator; atque in ejus potentia partem, contra quam ſententiam promulgaret, ſecundùm juris exigentiam debitè coërceret. Mittunt igitur pro ipſo, in remotis ſua negotia gerente, dominum W. Fraſer epiſcopum S. Andreæ cum aliis. Reſponſio tamen Scotorum ad figmenta ejus habens contrarium, ſciz. quòd venit non vocatus, ut infrà eodem lib. cap. liv. Venit Eadwardus requiſitus, diem conveniendi in unum coram eo apud Berwicum omnibus nobilibus regni Scotiæ, cujuſcunque eſſent ſtatûs vel conditionis, præfixit; et partes, inter quas controverſia erat, unà cum ceteris omnibus qui jus in dicto regno vendicabant, vocari mandavit; ita tamen quòd talis vocatio vel comparitio nullum regno Scotiæ præjudicium generaret; ac etiam ut per hoc nullius ſuperioritatis dominium ſibi accreſceret, cùm ad hoc, non tanquam ſuperior dominus vel de jure judex, ſed tanquam amicabilis arbiter et vicinus præſtantior, ad ſedandam diſcordiam, per ſuam ſapientiam ſimul et potentiam, more amicabilis compoſitoris, et gratiâ viciſſitudinis, vocaretur. Et hoc ante diem et litis ingreſſum expreſſè per ſuas literas patentes cavebat.

Convenientibus igitur in unum coram eo apud Berwicum omnibus libere tenentibus de regno Scotiæ, qui debuerunt et potuerunt intereſſe; præſtito etiam à partibus juramento, quòd ejus decreto ſententialiter proferendo, quoad declarationem juris regiæ ſucceſſionis, firmiter obedirent; obligatiſque omnibus epiſcopis et ceteris de clero, ſimul cum antedictis cuſtodibus, comitibus, baronibus, et ceteris communitatibus tam burgenſium quàm libere-tenentium, per unum inſtrumentum authenticum, ſigillis omnium ſupradictorum ſimul roboratum, ut illi, tanquam de jure et de facto regi et domino ſuperiori, omnes et ſinguli obedirent, quem ipſe de duobus contendentibus regnandum declararet. His itaque ordinatis, ſæpedictus rex elegit viros ſcientiâ, ætate, moribus, et fidelitate præclaros, et in quolibet ſtatu vel gradu prudentiores, numero centum et quatuor, quorum XXIV. de Anglia, et LXXX. de Scotia fuerunt. A quibus, recepto gravi juramento de veritate dicenda, dedit in mandatis, ut, ceteris omnibus excluſis qui jus in regno vendicabant, quoniam plures erant, ſub debito juramenti præſtiti, et in ſuarum periculo animarum, inter prædictum Johannem ſciz. de Balliolo et Robertum de Bruce ſeniorem fideliter inquirendo diſcernerent, et

diſcernendo manifeſtarent, Quis eorum propinquius jus vel clarius in regno Scotiæ haberet, qui prædicto regi Alexandro jure propinquitatis, ſecundùm conſuetudines regni approbatas, ſuccederet.

CAP. III.

Quòd rex Angliæ ſub dolo fecit Scotos evocari, patet per ſequentia.

NAM, ut ſerlem rei evidentius prodamus, anno Gratiæ milleſimo ducenteſimo octogeſimo ſexto, ad quindenam poſt Paſcha, ordinatum eſt parliamentum apud Sconam, ubi præfecti ſunt ſex cuſtodes præmiſſi; quorum alter, ut quidam libri habent, erat epiſcopus Dunkeldenſis; alii tenent quòd ſurrogatus fuit loco Duncani comitis de Fyfe poſtquam fuerat peremptus, ut poſtea patebit. Ubi tamen acriter placitatum erat ſuper jure ſucceſſionis regni Scotiæ, inter Robertum Bruce ſeniorem, avum ſciz. regis Roberti, et Johannem de Balliolo.

Dicebat ergo Johannes de Balliolo ipſum potiùs regnare debere, quia de Dervorgilla filia ſenioris ſororis filiarum David comitis de Huntingdonâ, fratris junioris regis Willelmi, proceſſit, cujus adhuc vivit mater, prima ſciz. ſoror. Robertus de Bruce è contra reſpondit, Quòd non, ſed ipſe; quia, quamvis de ſecunda ſorore proceſſiſſet, primus tamen maſculus erat, et uno gradu propinquior: nam nepos dicti comitis David fuit, et femineus ſuccedere non debet, quamdiu maſculus invenitur, nec pronepos nepoti præferri debet. Hujuſmodi hinc inde fortiſſimis allegationibus auditis, facta eſt magna diviſio regni, tam in clero quàm in populo, à parte Roberti Bruce, et Johannis de Balliolo. Quidam Johannem de Balliolo in regem ſublevare vellent, quia de filia primæ ſororis genitus, et jure primogenituræ fulcitur. Alii hoc omnino negabant; quia Robertus de Bruce debet ſuccedere, eo quòd vir erat, et uno gradu propinquior dicto comiti David, non obſtante quòd de ſecunda ſorore proceſſit. Propter hujuſmodi altercationes et alias cauſas præmiſſas, tandem unanimi conſenſu in regem Angliæ Eadwardum, modo et formâ præmiſſis, compromittentes, decreverunt ibi inter ſe, ut ipſe in cauſâ juris utriuſque partis declarator fieret, atque partem, contra quam ſententiam promulgaret, ſecundùm juris exigentiam debitè coerceret. Unde in parliamento electi ſunt epiſcopus Brechinenſis, quamvis alii * ponant epiſcopum Sancti Andreæ, abbas de Jedword, et Galfridus de Moubrey, ad implorandum ſuum conſilium et patrocinium ſuper ſtatu regni Scotiæ et terrarum de Penreth. Qui quidem nuncii eodem anno, in die Sancti Donati, iter arripientes verſus Gaſconiam, dietas ſuas continuaverunt, ita ut à Novo-caſtro uſque ad S. Johannem Evangeliſtam nullum diem prætermitterent, niſi unum ſolum diem Londoniis. Prædicto rege apud Sanctonas invento, cauſam ſui itineris ſibi ibidem exponentes, redierunt ad partes Scotiæ, et venerunt uſque Clackmanan cum reſponſis regis Angliæ in die Sanctæ Catharinæ. Quo die ibidem congregabantur cuſtodes regni; quia eo tunc dicebatur reginam Joletam ſive Jolandam impregnâſſe: ad cujus fœtum producendum et viſendum exſpectabant. Quâ caſu deficiente, ſive abor-

* Quædam chronicæ, *MS. Cupr.*

ſum

ſum edente, dictus rex Angliæ lætus ad Angliam recurvavit greſſus, et, quanto citius poterat, vocavit prælatos et proceres ſui regni, et eis intimavit nuncium per Scotos pro ſuo conſilio et auxilio perquirendo tranſmiſſum, dicens, quòd aptum tempus aderat quo regnum Scotiæ, cum regnicolis ejuſdem, ſuæ prorſus ſubjiceret ditioni; quod in re veriùs poſtea probabatur. Ex procerum itaque conſilio et aſſenſu, peritos Franciæ ſuggeſſit, incongruè ponendo caſum in modum qui ſequitur, conſilium ſuum et decretum ſuper ſucceſſione dicti regni de Scotia expetendo.

CAP. IV.

Tenor falſæ ſuggeſtionis domini Eadwardi regis Angliæ in Franciam miſſæ, de ſucceſſione regni Scotorum.

REX cujuſdam regni non coronatus nec inunctus, ſed tantummodo in ſede quadam regali, à comitibus, proceribus et prælatis regni, in loco ſolito coronationis poſitus, regnum ipſum à quodam alio rege, ut ſuperiori et directo domino ejuſdem regni, pro homagio tenens in feodum, proceſſu temporis, ſine liberis et heredibus quibuſcunque ex linea deſcendentibus, deceſſit. Rex ipſe, qui eſt ſuperior et directus dominus illius regni, quia comparent multi quorum quilibet aſſerit ſe heredem, regnum ipſum ad manus ſuas accepit, donec per viam juris coram eo diſcuſſum fuerit, quis potior eſſe debeat in ſucceſſione dicti regni. Potiſſimè autem inter eos comparent duo petentes, qui ex fratre avi dicti regis defuncti proceſſiſſe dicuntur. Unus, puta Titius, ex filia dicti fratris primogenita, tanquam pronepos ejuſdem fratris; alius, puta Seius, proceſſit ex ſecunda filia dicti fratris, tanquam nepos ejuſdem fratris: et ſic iſti duo regi defuncto attingunt in linea collaterali. Sed Titius jure primogenituræ fulcitur: Seius autem propinquior eſt uno gradu. Unde, ſuppoſito quòd regnum ipſum ſit impartibile, quæritur quis iſtorum præferri debeat in ſucceſſione dicti regni.

Conſultationes peritorum de conſilio curiæ regis Franciæ et doctorum ſtudii Pariſienſis, ſuper cauſa de ſucceſſione regni Scotorum.

DOMINUS epiſcopus Aurelianenſis ita diſtinguit. Aut in regno Scotiæ, ſuper hujuſmodi regni ſucceſſione conſtare poteſt de certa et approbata conſuetudine, quòd in quacunque linea deſcendente, aſcendente, vel collaterali primogenitus, vel qui ex primogenito ſeu primogenita proceſſit, præferri debeat in ſucceſſione dicti regni. Et hoc caſu ſequenda eſt illa conſuetudo, circumſcriptâ lege omni, vel alio jure quocunque. Aut non eſt in dicto caſu certa et approbata conſuetudo; et tunc ad leges communes, ſcilicet imperiales, dicit eſſe recurrendum. Per quas leges certum eſt, ex quo duo petentes dictum regnum in linea collaterali attingunt regi ultimè defuncto; nec ſunt fratres, vel fratrum filii, ſed ulteriores et remotiores in gradu; quòd propinquior in gradu præfertur in ſucceſſione, primogenituâ ex alio latere non obſtante. In eadem ſententia fuit magiſter Simon Matifas epiſcopus Pariſienſis, et dominus Petrus de Capella epiſcopus Cartaſonenſis: Dominus

minus Johannes de Feritate, magiſter Johannes de Silomonte, et præpoſitus Maſſilienſis, dicunt, quòd in caſu iſtorum petentium regnum Scotiæ, tam de jure ſcripto quàm de conſuetudine generali curiæ Franciæ, in majoribus et minoribus perſonis, propinquior in gradu, licet ſecundo-genitus ſit, vel ex ſecundo-genito proceſſerit, præfertur remotiori in gradu, licet prior natu fuerit, vel ex priori natu proceſſerit. Hoc enim locum habet in perſona regis Franciæ et aliorum parium illius curiæ, quòd ſi filius primogenitus, habens liberos ſuperſtites, decedat vivo patre, poſtmodum autem decedat pater; ipſe filius ſecundo-genitus ſuccedet patri, quia ei propinquior eſt, excluſis liberis filii primogeniti, quia remotiores ſunt, licet primogenituram pro ſe habeant. Et hoc per regem Franciæ Ludovicum ultimum, qui in paſſagio ſancto ivit in Thunicum expreſſè fuit coram ſuo barnagio pronunciatum, propter liberos Philippi filii ſui primogeniti, viz. Quòd ſi idem Philippus deceſſiſſet, vivo patre ſuo Ludovico, liberi ejuſdem Philippi non ſucceſſiſſent regi Ludovico in regnum, quamdiu ſupereſſent alii filii ejuſdem Ludovici. Dicunt tamen iſti, quòd ſi in regno Scotiæ eſſet conſuetudo, quòd primogenitura in quocunque gradu daret prærogativam in ſucceſſione illa, conſuetudo ante omnia alia jura, ſive ſcripta ſive conſuetudinaria, ſpecialiter eſſet ſervanda.

CAP. V.

De eodem, et quòd iniquè et falſè poſuit rex Angliæ caſum.

SUPER hoc etiam quærebatur ab iſtis; Si in caſu in quo ſunt iſti petentes regnum Scotiæ, non ſit obtenta hactenus aliqua conſuetudo; quia caſus iſte, vel ſimilis, quoad ſucceſſionem regni Scotiæ ante hæc tempora non emerſit, licet forte quoad ſubditos ejuſdem regni, puta comites, barones, et alios ſæpiùs accidat talis caſus; numquid ſecundùm obtentam in comitatibus, baroniis, et aliis hereditatibus dicti regni judicandum erit de ſucceſſione dicti regni? Dicunt ipſi, Quòd non; quia regnum Scotiæ tenetur in feudum: [Quod omnino falſum eſt. Sed concludo in fine pro rege Roberto:] unde petentes regnum Scotiæ petunt illud in curia regis Angliæ, non in curia regis Scotiæ: et ideo ſecundùm conſuetudinem curiæ regis Angliæ, quæ in paribus illius curiæ locum haberet, judicari debet in hoc caſu. Exemplum optimum de caſu ducis Burgundiæ. Dux enim, pater iſtius ducis, filium habuit primogenitum, qui ex uxore legitima tres filias ſuſceperat, quarum prima nupta fuerat comiti Nivernenſi. Hic filius primogenitus deceſſit, vivo patre. Filius junior, qui nunc eſt dux, petiit ducatum in curia Franciæ, tanquam proximus heres patri ſuo. Comes Nivernenſis pro uxore ſua ſimiliter petiit ducatum ipſum, aſſerens pro parte ſua generalem eſſe conſuetudinem per totum ducatum Burgundiæ, quòd, quamdiu plures ex filio primogenito ſuperfuerint, filius ſecundus non ſuccedet, licet patri propinquior ſit in gradu. Pars adverſa fatebatur illam eſſe conſuetudinem in ducatu, et in curia ducis quoad ſubditos ipſius, qui in ſua curia jus habent recipere ſuper ſucceſſione quacunque: ſed dux ipſe non habet recipere jus in ſua propria curia quoad

ducatum

ducatum ipſum, ſed in curia regis Franciæ, tanquam unus de paribus Franciæ. Unde ſecundùm conſuetudinem curiæ Franciæ, quæ in rege et in aliis paribus illius curiæ obſervatur, debet quoad dictum ducatum judicari. Pendente autem quæſtione prædicta, rex Franciæ illi ſecundo filio, qui nunc eſt dux, ſororem ſuam dedit in uxorem Pariſius. Comes Nivernenſis hoc perpendens, quòd rex Franciæ homini ſororem ſuam ſine terra dediſſet, firmiter concepit quòd judicium ſuper ducatum contrarium reportaret, et modico accepto, ſuam petitionem remiſit. Sic igitur, quoad ſucceſſionem Scotiæ, non eſt obſervanda conſuetudo curiæ regis Scotiæ, quæ obtenta eſt in ſubditis illius regni, puta comitibus, baronibus, et aliis: ſed magis obſervanda eſt conſuetudo quæ obtenta eſt in curia regis Angliæ quoad pares illius curiæ. Quare ſi nec in illa curia ſuper caſu præmiſſo, vel ſimili, poſſit inveniri conſuetudo, recurrendum eſt ad jus ſcriptum, per quod ſine dubietate aliqua propinquior in gradu præferetur.

CAP. VI.

De eodem.

MAgiſter Ægidius Lamberti, decanus Sancti Martini Turonenſis, dicit, Quòd in regno Franciæ primogenitura non præfert aliquem aliis in ſucceſſione, niſi ubi ſunt plures in eodem gradu, puta plures filii, plures nepotes vel plures pronepotes, aut plures fratres aut ſorores, vel plures filii fratrum vel ſororum; et ſic deinceps in gradibus ulterioribus in eadem linea deſcendenti vel collaterali. Sed ubi agitur de pluribus perſonis gradu diſtinctis, ſtatim præferetur in ſucceſſione qui gradu propinquior, primogenituræ non obſtante; ſicut patet in filio ſecundo genito, qui in ſucceſſione patris præfertur liberis filii primogeniti, qui deceſſit vivente patre. Et idem eſt in gradibus ulterioribus in eadem linea deſcendenti. Idem eſt etiam in lineis * collateralibus. Verumtamen ſi in regno Scotiæ fuerit conſuetudo, quòd primogenitus, vel ex primogenito procedens, licet gradu remotior, præferri debet in ſucceſſione, illa conſuetudo eſt ante omnia obſervanda. Et quia dicebatur ei, quòd alii magni ſunt in opinione, quòd in caſu iſto de ſucceſſione regni Scotiæ non ſit ſequenda conſuetudo ipſius regni Scotiæ, ſed magis conſuetudo curiæ regis Angliæ, quæ in paribus illius curiæ locum habet; ipſe in hoc ſic diſtinxit: Aut tractamus quoad petitionem ipſius regni Scotiæ, ſuper ipſo proceſſu ordinando, et ordine placiti ſervando; et, quoad hoc, ſervanda eſt conſuetudo curiæ regis Angliæ, in qua petitur regnum Scotiæ: aut tractamus quoad ipſum negotium decidendum ſive determinandum; et, quoad hoc, ſervanda eſt conſuetudo † loci in quo res de qua agitur ſita eſt; unde cùm de regno Scotiæ agitur, quoad terminandum negotium, et adjudicandum cui regnum ipſum debeatur, ſervanda eſt conſuetudo regni Scotiæ. Sic enim in hac materia diſtinguunt et diffiniunt doctores tam juris canonici quàm civilis. Ulteriùs autem quærebatur ab ipſo; Si,

*Ita MS. D. G. M. al. *linea collaterali.* † *Servanda eſt conſuetudo regni Scotiæ,* MS. Col. Edinb. ubi mancam eſſe ſententiam palam eſt.

in adjudicando uni petentium regnum Scotiæ, ſervari debeat conſuetudo illius regni; vel * ſervabitur conſuetudo quæ obtenta eſt in ſucceſſionibus comitum, baronum, et aliorum ſubditorum regni Scotiæ, vel tantùm obſervabitur conſuetudo quæ obtenta eſt in perſonis regum Scotiæ, quoad ſuccedendum in ipſo regno. Ad hoc ipſe reſpondit; Servandam eſſe conſuetudinem obtentam in perſonis regum, non in perſonis ſubditorum. Sed alia et alia eſt conſuetudo in ſucceſſionibus regum et ſubditorum. Hoc enim habemus pro maxima, quòd conſuetudo deſcendit, non aſcendit; hoc eſt dictu, Quòd conſuetudine ſuperioris inferiores judicantur, non è contra. Si verò in perſonis regum Scotiæ, quoad ſuccedendum in regno ipſo, in caſu in quo ſunt dicti petentes, non eſt hactenus viſa conſuetudo, quia nunquam contigit iſte caſus: adhuc non eſt recurrendum ad conſuetudinem obtentam in ſucceſſionibus comitum et baronum ipſius regni; ſed in hoc caſu recurrendum eſt ad conſuetudinem curiæ ſuperioris, ſcilicet curiæ Anglicanæ, in qua ſuper hujus regni ſucceſſione habet judicari †. HOC EST FALSUM OMNINO: QUIA NEC SUPERIOR, NEC HABET REGNUM SCOTIÆ JUDICARE, SED SUA FALSA SUGGESTIONE PERITI FRANCIÆ RECITATIVE SIC DICEBANT.

CAP. VII.

De eodem.

MAgiſter Salinus, magiſter Tancretus, et magiſter Reverius de Senis ſimiliter conferentes ſuper hoc facto, et librum *De uſibus feudorum* pleniùs revolventes, ad interrogationes eis factas multa ſatis propria invenerunt. Imprimis, quòd aſcendentes in feodo non ſuccedunt, ut in dicto libro, titulo *De natura ſucceſſionis feodi*, cap. 1. Per hoc excluditur petitio regis Norwegiæ, qui eſt aſcendens ad Margaretam filiam ſuam. Item poſtmodum invenerunt, quòd filius naturalis, licet poſtea fuerit legitimatus, etiam quoad temporalia, ſive per matrimonium ſubſequens, ſive aliter, non ſuccedit in feodum, ut in dicto libro in fine, tit. *Si de feodo defunct.* cap. *Naturales.* Per hoc autem excluditur dom. Willelm. de Roſs, licet de legitimatione Iſabellæ antecedentis ſuæ poſſet plenè doceri. Item poſtea invenerunt, quòd femina vel proles ex ea deſcendens ad ſucceſſionem feodi aſpirare non poteſt, ut in dicto libro, tit. *De gradu ſucceſſionis in feodum*, cap. 1. Per hoc excluduntur comes Hollandiæ, Robertus de Bruce, et Johannes de Balliolo, cùm hi per deſcenſum ex duabus ſororibus vendicent dictum regnum, et comes Hollandiæ per deſcenſum ex altera. Item caſum expreſſum invenerunt ad excludendum Robertum de Bruce et Johannem de Balliolo; Titio enim defuncto ſine legitimo herede maſculo, ejus feodi ſucceſſio non pertinet ad ejuſdem Titii patruum magnum,

* Ita MS. D. G. M. *nihil*, cod. Col. Edin. *ut*, cod. Cupr. † "Judicari, ſecundum "partem adverſam. Quod eſt omnino falſum et deteſtabile, quia nullum omnino habet "ſuperioritatis dominationem in regno Scotiæ, nec judicium nec juriſdictionem; ſed tan- "tum quod, ſua proditioſa et falſa ſuggeſtione ſapientibus et juriſperitis Franciæ, relative "talem poſuit caſum, ut ipſi hoc crederent." MS. D. G. M.

nec

nec ad prolem ex eo deſcendentem, ut in dicto titulo *De gradibus ſucceſſionis in feod.* cap. 1. David autem comes de Huntington, anteceſſor dictorum Roberti et Johannis, per cujus deſcenſum ipſi petunt dictum regnum, fuit patruus magnus regis Alexandri ultimò defuncti, quia fuit frater regis Willelmi avi ejuſdem Alexandri; et ſic hujus feodi ſucceſſio ad prolem ex dicto David comite deſcendentem pertinere non debet, ſed revertetur ad dominum ſuperiorem illius feodi. Item invenerunt, quòd tunc demum in feodis ad leges communes recurritur, cùm conſuetudo non invenitur, ut in tit. *De cognitione feodi*, cap. 1. in fine. Item invenerunt, quòd in feodis conſuetudo quæ obſervatur in majoribus, in minoribus etiam debet obſervari. Non tamen invenitur cautum, quòd conſuetudine minorum majores conſtringantur: ut in tit. *De natura feodi*, cap. 1. in fine. Dicunt tamen iſti, quòd ſi ad ſucceſſionem regni Scotiæ, in caſu qui nunc contingit, vel ſimili, obtenta fuerit certa conſuetudo, illa ſervanda eſt, prætermiſſâ omni lege; ſin autem, recurrendum eſt ad conſuetudinem vicinorum regnorum, quæ ſi in caſu de quo agitur non valeat inveniri, aut recurrendum eſt ad leges de uſibus feodorum, per quas excluduntur omnes petentes, et devolutum eſt regnum ipſum ad dominum ſuperiorem, aut recurretur ad leges communes imperiales, per quas ſucceſſio ad lineam collateralem delata ultra fratres et fratrum filios, indubitanter defertur propinquiori in gradu, primogenituræ in perſona alia non obſtante.

Magiſter Johannes de Forcalcaria, magiſter Girardus Pagii, magiſter Reverius de Florentia, doctores in Decretis dicunt, quòd tam jure canonico quàm civili, ex quo iſti duo petentes attingunt regi ultimo defuncto in linea collaterali, et ſunt ultra fratres et fratrum filios, non attentâ primogenituræ aliquâ, propinquior in gradu præfertur. Quod eſt verum, niſi, in loco de quo agitur, aliud de conſuetudine obſervetur. Conſuetudo enim in loco ſuo præfertur omni legi.

CAP. VIII.

Decretum ſequentis militat pro rege Roberto.

D. Willelmus Bonet ſummus doctor juris canonici dicit, Quòd ſi altera filiarum comitis David ſupervixiſſet regi Alexandro ultimè defuncto, ad ipſam et ejus poſteritatem transferretur ſucceſſio dicti regni: ſi tamen neutra earum dicto regi ſupervixiſſet, tunc ille de duobus petentibus qui priùs eſt natus, et ſic dicto regi priùs factus eſt cognatus, licet ex ſorore ſecunda proceſſerit, in ſucceſſione dicti regni præferendus eſt. Ad quod eſt auctum quaſi expreſſum loquens de ſucceſſione cognatorum ex tranſverſo venientium. Reginaldus Barbon ballivus Normanniæ declinavit in ſententiam decani Turonenſis in hoc, quòd ſi ſuper ſucceſſione, de qua agitur, in perſonis regum Scotiæ certa fuerit obtenta conſuetudo, ipſa omnino ſequenda eſt; non autem conſuetudo obſervata in ſucceſſionibus comitum, baronum, et aliorum ſubditorum ejuſdem regni: quòd ſi perſonis regum quoad ſucceſſionem dicti regni, in caſu præmiſſo, vel ſimili, nulla fuerit obtenta conſuetudo, recurrendum eſt ad conſuetudinem curiæ Anglicanæ, quæ ſuperior eſt,

[ſecundum

[ſecundùm falſam ſuggeſtionem Anglorum regis*] et in qua de regno illo agitur. Quòd ſi in ipſa curia Anglicana, quoad pares illius curiæ, in præmiſſo caſu vel ſimili, nulla conſuetudo valeat inveniri, recurrere poterit rex Angliæ ad viam juris ſcripti, vel de conſilio parium curiæ ſuæ, necnon procerum et magnatum terræ ſuæ, legem novam condere poterit ſuper hoc caſu et ſimilibus caſibus inauditis.

Dominus Thomas de Welland dicit, Quòd niſi lex et conſuetudo in caſu præmiſſo vel ſimili expreſſa eſſet in regno Scotorum, quoad ſucceſſionem ipſius regni, caſum iſtum de dicto regno reputat omnino ſimilem hujuſmodi caſui, ſi contingeret de comitatu vel baronia in regno Angliæ: nam regnum iſtud tenetur in feodum à rege Angliæ pro homagio, ſicut comitatus vel baroniæ in regno Angliæ. Sed ſi comitatus vel baronia de regno Angliæ incidiſſet in hunc caſum, ille qui ex ſorore primogenita proceſſerit, ratione primogenituræ, nomen et dignitatem comitatûs ſolus obtineret, et id quod principalius eſſet de comitatu, ſive eſſet caſtrum, ſive alia poſſeſſio: alii tamen qui ex aliis ſororibus proceſſerunt, quia omnes ſorores, quotquot fuerunt, unum heredem ſui patris repræſentant, de tota hereditate, de qua agitur, ſuas partes habere debent. Et ſic licet Johannes de Balliolo, ratione primogenituræ, nomen regiæ dignitatis ſolus habere debeat, et etiam principaliorem locum regni Scotorum, ſive ſit civitas, ſive palatium, ſive caſtrum, nihilominus tamen quia ipſe Johannes de Balliolo, et Robertus de Bruce, et Johannes de Haſtingis, ex tribus filiabus comitis David proceſſerunt, quæ fuerunt unus heres comitis David, ad quem fit reſortum de jure dicti regni; ideo dicti Robertus de Bruce et Johannes de Haſtingis partes ſuas habere debent de omnibus poſſeſſionibus ad regnum Scotiæ qualitercunque pertinentibus; et hi duo partes ſuas tenebunt à rege Angliæ, non ab alio, ita liberè ſicut ipſe Johannes de Balliolo; nec ipſe Johannes de Balliolo quicquam ad regalitatem pertinens in aliorum partibus exercebit; et hæc eſſet magna ſecuritas et utilitas domini ſuperioris. Item cùm quæreretur ab ipſo, ſi dominus Robertus de Bruce in petitione ſua, quâ petit totum regnum, eo quòd propinquior eſt in gradu, contrarium judicium reportaret, nihilominus poſtea poteſt redire ad petendum partem ſuam ratione præmiſſâ, viz. quòd mater ſua et aliæ duæ ſorores fuerunt unus heres dicti David comitis; et reſpondit, quòd ſic, et partem ſuam per judicium obtinere deberet.

CAP. IX.

Adhuc de eodem.

MAgiſter generalis Fratrum Minorum, deliberato conſilio cum toto conventu Pariſius, ſic reſpondit, Quòd ſi in caſu, de quo agitur, in regno Angliæ vel Scotiæ fuerit obtenta conſuetudo, illa præ ceteris legibus eſt ſequenda. Sin autem, Aut rex vult uti lege imperiali, aut lege divinâ: ſi lege imperiali, quid ſecundùm eam fieri debeat ſatis noverunt ſui juriſperiti: ſi lege divinâ, expreſſus eſt textus

* Ita lib. D. G. M. *quod factum eſt*, forte pro *quod falſum eſt*, alii MSS.

Bibliæ

Bibliæ pro eo qui propinquior eſt in gradu. Sic enim legitur in libro NUMERORUM, xxvij. cap. in principio: *Acceſſerunt filiæ Salphat, ſteteruntque coram Moyſe, et Eleazaro ſacerdote, et cunctis principibus populi, atque dixerunt; Pater noſter mortuus eſt in deſerto. Hic non habuit mares filios. Cur tollitur nomen illius de familia ſua, quia non habuit filium? Date nobis poſſeſſionem inter cognatos patris noſtri. Retulitque Moyſes cauſas earum ad judicium Domini, qui dixit ad eum; Juſtam rem poſtulant filiæ Salphat: da eis poſſeſſionem inter cognatos patris ſui, et ei in hereditatem ſuccedant. Ad filios autem Iſraël loqueris hæc: Homo cùm mortuus fuerit abſque filio, ad filiam ejus tranſibit hereditas; ſi filiam non habuerit, habebit ſucceſſores fratres ſuos. Quòd ſi et fratres non fuerint, dabitis hereditatem fratribus patris ejus.* SIN AUTEM NEC PATRUOS HABUERIT, DABITUR HEREDITAS HIS QUI EI PROXIMI SUNT. *Eritque hoc filiis Iſraël ſanctum legè perpetuâ, ſicut præcepit Dominus Moyſi.*

Majores et peritiores Fratrum Prædicatorum Pariſius dixerunt, Se penitus ignorare varias conſuetudines regnorum ſuper ſucceſſionibus hereditariis, etiam leges imperiales de ſucceſſionibus hujuſmodi tractantes. Verumtamen jure divino dixerunt, in caſu qui quæritur, *Proximiorem in gradu modis omnibus præferendum*, per allegatum capitulum libri Numeror. et adjunxit unus de fratribus, quòd ORIGENES, ſuper illo capitulo, ita dicit; "Hîc expreſſè et diſtinctè judicio Domini "determinatur, quis defuncto hereditatem habenti debeat in heredi-"tatem ſuccedere."

Quidam etiam alius de fratribus ſimiliter adjecit, Quòd in caſu conſimili vidit quæſtionem in Hannonia, ubi duo qui proceſſerant ex duobus fratribus petebant quandam hereditatem; ille qui proceſſit ex fratre primogenito diſtabat à ſtipite, ſcilicet patre fratrum eorum, in quarto gradu: alius, qui ex fratre ſecundo genito proceſſit, diſtabat ab eodem ſtipite in tertio gradu: et judicatum fuit pro eo qui propinquior fuit in gradu, primogeniturâ ex parte alia non obſtante.

His conſultationibus, et decretis peritorum Franciæ adunatis, ac in Angliam quàm celeriùs deportatis, prænominatus rex Angliæ venit Norhame, ad menſem poſt Paſcha, A. Dom. milleſimo ducenteſimo octogeſimo nono, ubi fecit prælatos, magnates, et cuſtodes convenire: ubi eos dulci allocutione hortatus eſt, ut componerent inter ſe pacem, concordarent in regem, quod utique, ut prætendit, maximum ſibi gaudium generaret. "Valentes, inquit, gens huc uſque fuiſtis; docti "viri dicimini, Ne extranei apponant ſe inter vos magnificare ſuper "terram. Sufficiunt nobis noſtra. Unanimiter congeratis veſtra. Quòd "ſi nequeatis in unam coîre ſententiam, tali die huc reveniatis, et "quod Deus dederit annunciabimus, et juſtitiam miniſtrabimus." O ficta doloſitas, incantatrix alauda, ſimulatrix fucata, adulatrix venenoſa, quæ pedicas inſontibus abſcondis, laqueos ſimplicibus paras! Latent tua venena, peſtis prurulenta circumlita melle verborum, et tam diu fiſtulator dulcis blandiris, quouſque ſimulator decipies. O igitur viduata Scotia! non attendis quid ſapit SENECA dicens; "Malum ho-"minem blandè loquentem agnoſce tuum laqueum; habet enim ſuum "venenum blanda oratio." Hæc ille.

CAP. X.

De ſubtilitate et malitia regis Eadwardi, et de electa aſſiſa ſuper jure regni proceſſura.

ANNO igitur ſequenti, ſed et interim, ut veriùs dicam, per ſuggeſtiones verſipelles et immiſſiones per Angelos malos aurâ regis Angliæ inſufflatos, oritur lamentabilis ſeditio inter ſtatus de Scotiæ regno, quâ fit maxima diviſio, tam in clero quàm in populo, à parte Roberti Bruce et Johannis de Balliolo, ceteris omnibus ut præmittitur excluſis, jus et juriſdictionem in regno Scotiæ petentibus. Quæruntur interim geſta, annales et chronicæ multiformiter, tam in Scotia, Wallia, et Hibernia, non ſolùm inter regnicolas Scotiæ, ſed, per conſilium regis Angliæ, ſuper jure ſuo ſuper ſubjectione regni Scotiæ. Hoc igitur anno convenerunt omnes majores regni Scotiæ apud Upſetlyntonam, et, de rogatu regis præfati, ſalvo conductu ejuſdem, Marchiam pertranſeunt, et ad eccleſiam parochialem de Norhame congregati ſunt. Ubi primò, myſticè quodammodo et tenuè, et non quaſi ſerioſè, petiit prædictus rex Angliæ directum dominium regni Scotiæ, quatenus prædeceſſores ſui per ſolennes evidentias hactenus obtinuerunt. Ad quod breviter reſponſum fuit per Robertum Wiſchard epiſcopum Glaſguenſem, Quòd ab olim regnum Scotiæ ita fuit liberum, quòd nulli, niſi ſoli Deo, et poteſtatem ejus in terris habenti, in tributo vel homagio tenebatur. Et addidit ad præmiſſa hæc dicta, quæ referam: O rex! quæ loquar de libris Anglorum excerpſi; et ſignanter in vaticinio Gildæ, inter cetera, ſic habetur:

Regnum Scotorum fuit inter cetera regna
Terrarum quondam nobile, forte, potens:
Poſt Britones, Noricos, Pictos, Dacoſque repulſos,
Nobiliter Scoti jus tenuere ſuum.

His auditis rex ſurdâ aure præteriens, et quaſi pro nihilo reputans reſponſum præſulis, finxit ſe longiùs ire, et ſe pro reformatione regni totis viribus inſtare: de petitione ſua ulteriùs tacuit, et ad conſilium privatum tranſiens, ſupplicavit prælatis, magnatibus, et proceribus Scotiæ venire Berwicum, et ibi cauſam ſuam, ut prætendebat, fideliter haberent declaratam. Sed in hoc deficiebat, quia modica fidelitas reperta eſt in eo, ut in ſequentibus latiùs patet.

Venientibus illis Berwicum, ut præmiſſum eſt, electi ſunt viginti quatuor viri præclari, ſecundùm quoſdam quadraginta, ſecundùm alios octoginta *, (ſed, ut reperio, plures codices in primam ſententiam concordant) quorum duodecim de Anglia, et totidem de Scotia jurati fideliter decernere et determinare quis duorum contendentium, Roberti et Johannis, potius ad regnum haberet jus. Iſtis ergo ſic juratis, et ordinatâ aſſiſâ viginti quatuor, ut prædictum eſt, omnes alios fecit rex de eccleſia amoveri, præter illos duntaxat ad aſſiſam juratos, quos in

* Immo centum et quatuor, quadraginta viz. Scoti ex parte Roberti de Bruce, totidem ex parte Johannis de Balliolo, et viginti quatuor Angli. Vide Rymeri Acta publica Angliæ, vol. 2. p. 556.

loco

loco ſecreto à frequentia populi arctiùs cuſtodiri decrevit. Idem rex, nullo ſecum comitante, ad illos de aſſiſa quando et quoties volebat ſolus intravit, et de exitu rei ſæpiùs inquirebat. Tandem per aliquorum * pejeratorum inſinuationem perpendens, quòd Robertus Bruce eſſet jure ſucceſſionis potior, ſecundum leges et conſuetudines approbatas, firmatâ cuſtodiâ aſſiſæ, receſſit ad ſuos, et de privato conſilio ſuo quoſdam ad partes retraxit, intimans eiſdem diffinitionem aſſiſæ: et ſuper hoc de eorum conſilio deliberans, quid ſuper præmiſſis eſſet faciendum.

CAP. XI.

Qualiter conſultus fuit rex non ſententiare ſuper jure regni Scotiæ, ſine ipſius ſubjectione.

AD interrogata regis reſpondit quidam Anglicus, Antonius de Beck nomine, epiſcopus Dunelmenſis, ſic dicens; " Si Robertus de " Bruce fuerit rex Scotiæ, ubi manebit rex Angliæ Eadwardus, cùm " idem Robertus ſit de meliori proſapia totius Angliæ, et quod † " regnum Scotiæ potens ſit valde in ſe, ita quòd regibus Angliæ retro- " actis temporibus multa fuerint incommoda per reges Scotiæ illata." Ad quod idem rex, quaſi caput concutiens, Gallicâ linguâ ſic reſpondit, dicens, *Per le ſang Dieu vous aves bien eſchante*; quod eſt dicere, *Per ſanguinem Chriſti tu bene cantâſti. Aliter ibit negotium quàm priùs diſpoſueram.* Similiter omnes de ſuo privato conſilio, nunc clàm nunc palam, modis omnibus ſibi ſuggerebant, ut ſine ſubjectione nunquam proferret ſententiam‡, cùm tempus tunc inſtaret opportunum quo diu deſideratum ſuum poſſet complere deſiderium.

Iſtis ſic deliberatis, vocari fecit Robertum de Bruce ſeniorem, quærens ſi prædictum regnum vellet de eo in capite tenere, et, ſi ſic, ipſum regem faceret et conſtitueret ejuſdem. Cui ſimpliciter reſpondit Robertus ┼ et dixit: Si prædictum regnum per viam juris et fidelem aſſiſam adipiſci valeam, bene quidem; ſin autem, nunquam in ſervitutem redigam acquirendo mihi regnum præfatum, quod omnes reges ejuſdem, cum magno tædio et labore, ſine ſervitute, ſub firma libertate hucuſque ſervaverunt et tenuerunt. Hoc audito, et eo callidè remoto, vocatoque Johanne de Balliolo, ipſum ſimili quæſtione, quâ primum, pulſavit. Qui citò deliberans cum ſuo conſilio ſatis corrupto, prædicti regis voluntati conſenſit, ut regnum ab eo teneret, et homagium faceret pro eodem. Quo facto, vocatis citò poſt partibus, in præſentia nobilium Scotiæ et Angliæ pronunciavit Johannem de Balliolo in ſucceſſione regni heredem fore legitimum, et ipſum jura ſententialiter definivit habere potiora. Poſt datam verò ſententiam, comes Gloverniæ, tenens Robertum de Bruce per manum, in conſpectu omnium dixit; *Recognoſce, O rex! quale judicium hodie dediſti, et ſcito quòd in extremo examine*

* *Per eorum inſinuationem*, editio Hearnii, quæ etiam in aliis minoris momenti rebus a noſtris libris variat circa hæc tempora. † *Et quod in regno Scotiæ potens ſit valde in ſe*, MSS. coll. Edinb. Cupr. Perth. et Harl. ‡ *Cum pilam tunc haberet ad pedem, et tempus*, &c. MSS. Cupr. et Perth. ┼ Atqui ex Actis publicis Angliæ conſtat Robertum ipſum ante Johannem de Balliolo in verba Eadwardi juraſſe, coacte quidem, nullus dubito, cum eam tantum ob falſam hypotheſin quod regnum Scotiæ eſſet feudum Angliæ, cauſa exciderit.

oportet

oportet te judicari: Statimquè idem Robertus, de mandato ejuſdem comitis receſſit, nec unquam Johanni de Balliolo homagium præſtitit vel fidelitatem.

Anno ſupradicto quo hæc fiebant, videlicet MCCLXXXVIII.* ſeptimo Idus Septembris, Duncanus comes de Fyfe filius Colbani filii Malcolmi interfectus eſt apud Petpolloch, à Patricio de Abirnethy et Waltero de Percy militibus, de conſilio et conſenſu domini Willelmi de Abirnethy militis, qui aliâ viâ, ſicut præordinatum fuit inter eos, tranſitum dicti comitis latenter cum multis expectavit, ne aliquo modo ab eis vivus evaderet. Quos ſtatim, ſcelere perpetrato, Andreas de Moravia, loco ejus cuſtos effectus, ſecutus eſt: et ipſos cum ſuis miſerè fugientes per loca diverſa quærendo citra mare Scoticanum et ultra, eorum duos, ſcilicet Walterum et Willelmum, in villa quæ vocatur Colbanſton in valle de Clyde, viriliter comprehendit: ubi ſtatim Walterum, cum duobus armigeris, capitali punivit ſententiâ, et Willelmum in caſtello de Douglas apud cuſtodiam Willelmi de Douglas, uſque ad mortem, carceri mancipavit. Patricius verò in Franciam fugiens, ibidem diem clauſit extremum.

CAP. XII.

Ut pleniùs ſciatur de jure Bruce et Ballioli ſequitur compendioſa computatio regum ſerici.

HIC inſeritur compendioſa ſeries generationis regum Scotiæ deſcendentium à rege Malcolmo, et Sancta Margareta ejus ſponſa, uſque ad obitum Margaretæ filiæ regis Norwegiæ, et Margaretæ reginæ ejuſdem regni, filiæ ſcilicet Alexandri tertii regis Scotorum; in cujus morte omnis poſteritas à rege Willelmo, ſive linealiter, ſive à latere deſcendens, penitus extincta eſt et deleta. Quâ viſâ, faciliùs et clariùs liquebit de jure prædictorum pro regno Scotiæ diu litigantium.

Anno Dom. milleſimo ſexageſimo ſeptimo Malcolmus Kenremore, ſive Kanmor, rex Scotiæ S. Margaretam duxit in uxorem, de qua ſex filios genuit, ſciz. Eadwardum, Eadmundum, Ethelredum, Eadgarum, Alexandrum et David; et duas etiam filias, Matildem et Mariam. Ex his ſex filiis tres juniores, ſcilicet Eadgarus, Alexander et David, ſucceſſivè regnaverunt: ſed Eadgarus et Alexander ſine liberis obierunt. David autem unum filium genuit tantùm, nomine Henricum, comitem de Huntingtona. Iſte Henricus genuit tres filios, ſcilicet Malcolmum, Willelmum et David. Qui Henricus mortuus eſt ante patrem ſuum. Mortuo rege David, ſucceſſit ei Malcolmus nepos ſuus, duodennis, et regnavit duodecim annis, et mortuus eſt virgo. Cui ſucceſſit Willelmus frater ſuus, qui regnavit quinquaginta annis, et mortuus eſt et ſepultus in monaſterio de Abirbrothoc, quod idem fundavit. Iſte Willelmus genuit Alexandrum ſecundum, qui ſibi ſucceſſit, et regnavit triginta ſex

* Nequaquam fiebant ſupradicta A. D. MCCLXXXVIII. nam Margareta regina obiit tantum exeunte anno MCCXC. et conventio apud Norhame habita eſt anno ſequenti; ſententiam ſuam denique pro Johanne de Balliolo dedit Eadwardus Anglus die xvij Novembris A. D. MCCXCII.

annis:

annis: hic mortuus eſt apud Curlay, et ſepultus apud Mailros. Iſte Alexander genuit Alexandrum tertium, qui patri ſucceſſit, et regnavit ſimiliter xxxvi. annis, et mortuus eſt anno xxxvii. ſuæ regnationis apud Kingorne, et apud Dunfermelyn ſepultus. Iſte Alexander tertius genuit ex Margareta regina Scotiæ, et ſorore Eadwardi primi regis Angliæ, poſt conquæſtum, duos filios, Alexandrum ſcilicet et David; ſed mortui ſunt ante partem. Genuit etiam unicam filiam, nomine Margaretam, ex eadem regina, quæ deſponſata fuit Ericio regi Norwegiæ, qui ſuſcepit ex ea unam filiam nomine Margaretam, quæ in puellari ætate mortua eſt. Et ſic finit tota progenies Willelmi regis Scotorum et ſuorum ſucceſſorum. Et ideo ad David Huntington fratrem juniorem neceſſario exſtat recurrendum.

CAP. XIII.

De filiabus David de Huntington, et earum ſobole.

REgnantibus Malcolmo virgine et Willelmo fratribus regibus Scotiæ, David eorum junior frater, factus eſt comes de Huntingtona, ratione uxoris ſuæ Matildis filiæ Hugonis comitis de Ceſtria, de qua genuit tres filias; quarum prima vocata eſt Margareta, quæ nupſit Alano de Galweya; de qua idem Alanus genuit duas filias; quarum prima, nomine Dervorgilla, nupſit domino Johanni de Balliolo, qui genuit ex ea unum filium nomine Johannem, qui poſtea fuit rex Scotiæ; et ille Johannes Eadwardum, qui prævaluit apud bellum de Duplyne, in quo finitum eſt nomen maſculorum de Balliolo. Etiam ſupradictus Johannes de Balliolo genuit unam filiam nomine Marjoriam, ſororem ſcilicet Johannis regis ſupradicti. Hæc nupſit Johanni Comyn, de qua idem Johannes Comyn genuit unum filium nomine Johannem, quem Robertus de Bruce, qui poſtea fuit rex, interfecit apud Dumfries. Iſte Johannes genuit unam filiam tantùm, quæ nupſit David comiti Atholiæ, de qua idem David comes genuit plures filios, quorum primus et ſenior, nomine David, duxit in uxorem filiam Henrici de Bellomonte, quam quidem idem Henricus genuit ex filia primogenita et una de heredibus comitis Johannis de Buchan; de qua idem David genuit unum filium nomine David. De ſorore ipſius Dervorgillæ, et filia prædictorum Alani de Galweya et Margaretæ ſponſæ ſuæ, quæ ſoror nupta fuit Rogero de Quinci; de qua genuit tres filias, et proceſſit generatio magna. Nam hæ tres filiæ Rogeri tribus nobilibus matrimonialiter copulatæ ſunt, videlicet domino de Ferrariis, Alexandro comiti de Buchan, qui fuit pater Johannis comitis ejuſdem; cujus filiam primogenitam Henricus de Bellomonte duxit in uxorem, ſecundam dominus de le Zouche; de quibus innumerabiles plures ſucceſſerunt, quarum generationes non minus difficile quam longum eſt numerare.

Secundam filiam comitis David, fratris regis Willelmi prænominati, nomine Iſabellam, dom. Robertus de Bruce duxit in uxorem; de qua genuit unum filium, nomine Robertum, qui genuit Robertum comitem de Carric ex parte uxoris ſuæ, et ille Robertum regem, et plures alios filios et fratres uterinos: ſed hi omnes ſine prole legitima obierunt.

Habuit etiam plures filias, de quarum una et ſeniore, quæ nupſit Garthenai comiti de Marria. Idem Garthenai genuit Dovenaldum comitem, qui cecidit in bello de Duplyn; qui paulo antè cuſtos Scotiæ fuit conſtitutus: et iſte Dovenaldus genuit Thomam comitem de Marr, qui deſponſavit heredem de Meneteth; ſed poſtea, inſtigante Diabolo, per exquæſitos colores et rationes minus veras, ſine prole inter eos habita, divortium procuravit. De alia filia, quæ nupſit Hugoni comiti de Roſs, idem Hugo genuit Willelmum comitem ejuſdem.

Robertus verò rex, quando fuit comes de Carric, duxit in uxorem Iſabellam ſororem Garthenai comitis de Marr ſupradicti; de qua genuit unicam filiam nomine Marjoriam, quæ nupſit Waltero ſeneſcallo Scotiæ, de qua idem Walterus genuit unicum filium, nomine Robertum regem, ſecundum hoc nomine. Iſte Robertus copulavit ſibi de facto unam de filiabus Adæ de More militis, de qua genuit filios et filias * extra matrimonium; quam poſtea, impetratâ diſpenſatione ſedis Apoſtolicæ, in matrimonium deſponſavit, canonicè in forma eccleſiæ, anno ſcilicet Domini MCCCXLIX. ex qua genuit Robertum tertium regem; Robertus tertius Jacobum regem, primum hoc nomine; Jacobus primus Jacobum ſecundum regem qui nunc eſt.

Mortuâ ſupradictâ Iſabellâ, idem Robertus, adhuc comes, duxit in uxorem Elizabeth filiam Haymeri de Burkis comitis de Hulliſter; de qua genuit duas filias, Matildem ſcilicet et Margaretam. Dicta Margareta nupſit comiti Suthirlandiæ, de qua idem comes genuit unicum filium nomine Johannem, qui obſes fuit in Anglia cum patre ſuo, pro deliberatione regis Scotiæ David II. ſed mater poſt partum ſtatim ex hac luce migravit. De Matilde penitus taceo, quia nihil egit memoriâ dignum. Genuit etiam ſupradictus rex Robertus, decimo ſeptimo anno regni ſui, unicum filium nomine David, qui ſibi in regno ſucceſſit, et ſine prole deceſſit.

CAP. XIV.

Adhuc de filiatione comitis David, et filiabus Sanctæ Margaretæ, et earum ſobole.

SCiendum eſt quòd Johannes ſponſus Dervorgillæ obiit ante mortem regis Alexandri tertii prædicti; ipſa tamen ſupervixit. His viſis, periti viri inveſtigent quis litigantium jura habeat potiora; quia iſta eſt vera hiſtoria et recta computatio gradûs conſanguinitatis et generationis omnium prædictorum.

De tertia filia comitis David, nomine Ada, nupta Henrico de Haſtyngis, natus eſt alter Henricus, et de iſto Henrico Johannes et Eadmundus. De potioritate juris regni igitur inveſtigent quorum intereſt, vel qui ſcire deſiderant.† Supradictus etiam Malcolmus ex prædicta

* *De qua genuit proles; quam poſtea, impetrata diſpenſatione, in matrimonium deſponſavit, ut poſtea dicetur*, MSS. col. Edin. Cupr. et Perth. Sed quoniam in iſtis codicibus res poſtea neutiquam narratur, editionem Hearnii et MS. D. G. M. hic potius ſequi viſum eſt; nec in hoc ſolum, ſed et per totum hoc et præcedens cap. tres libri ſupradicti narrationem nimis abbreviaſſe deprehendimus. † *In MSS. Cup. et Per. hic inſeruntur ſequentia:* Et eſt ſciendum quòd ſicut omnes reges Scotorum proceſſerunt de S. David filio Malcolmi, MacDuncan

dicta Sancta Margareta genuit duas filias, Matildem ſcilicet et Mariam. Matildis nupſit Henrico Beauclerc filio Willelmi Baſtard conquæſtoris Angliæ. Qui Henricus genuit ex ea Matildem imperatricem, quæ nupſit Henrico imperatori, cum quo vixit per viginti annos, et ſine prole mortuus eſt imperator. Poſt cujus mortem dicta imperatrix reverſa eſt ad ſuos parentes adhuc ſuperſtites; quorum conſilio poſtea nupſit comiti Andegaviæ et Pictaviæ, ex parte patris, nomine Galfrido, ſcilicet Plangeneth, qui genuit ex ea unum filium, nomine Henricum, qui poſtea ſucceſſit in regnum Angliæ et in ducatum Normanniæ, ex parte matris, et comitatus Andegaviæ et Pictaviæ ex parte patris: ſub quo paſſus eſt martyrium Sanctus Thomas Cantuariæ archiepiſcopus. Iſte Henricus quatuor habuit filios, ſcilicet Henricum primogenitum, coronatum in regem vivente patre, et ante patrem mortuus eſt ſine liberis; et ſecundum, nomine Richardum, qui ſucceſſit patri in regnum; et tertium nomine Galfridum comitem Britanniæ; et quartum filium, nomine Johannem, qui dicto Richardo fratri ſuo ſucceſſit in regnum. Iſte Johannes genuit Henricum pacificum; Henricus Eadwardum Langſhankis dictum tyrannum; iſte Eadwardus genuit Eadwardum II. dictum de Carnarvan: Eadwardus verò ſecundus genuit Eadwardum III. de Windeſor, qui genuit Eadwardum principem Walliæ præmortuum patri: Eadwardus princeps genuit Richardum II.* arreſtatum † et exiliatum per Henricum de Longcaſtello filium Johannis de Gaunt ducis Langcaſtriæ, fratrem dicti Eadwardi principis Walliæ. Qui quidem Henricus de Longcaſtell invaſor ‡, et ſic rex Angliæ, genuit Henricum Franciam invadentem, et ibidem ⸸ guerrando mortuum. Qui Henricus de ſorore regis Caroli ſeptimi Franciæ, raptâ ſanctimoniali, genuit Henricum ſextum nunc et de præſenti anno, ſciz. Dom. milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo quarto, in Angliam regnantem. Maria, ſecunda filia Malcolmi regis et Sanctæ Margaretæ, deſponſata fuit cum Euſtachio comite Bolonienſi, qui generavit ex ea Matildem deſponſatum comiti Mauritaniæ, poſtea verò cum rege Anglorum Stephano; de qua rex Stephanus ſuſcepit filium nomine Euſtachium, præmortuum ſine liberis ante patrem. Hic finit progenies comitiſſæ Boloniæ, filiæ Malcolmi regis et Sanctæ Margaretæ. His breviter decurſis, ad geſta annalia recurramus.

Anno Domini MCCXCII. ultimo die menſis Novembris, Johannes de Balliolo erectus eſt in regem apud Sconam, et ibidem, ut ⁂ moris fuit, in cathedra regali poſitus et honore debito ſublimatus: et in ſequenti feſto Sancti Stephani apud Novum-caſtrum homagium fecit regi Anglorum Eadwardo I. pro regno Scotiæ, quod nunquam audi-

MacDuncan ſive Kanmore, et Sancta Margareta regna uſque huc; ſic omnes reges Angliæ proceſſerunt de Matilde filia prænilſorum Malcolmi et Margaretæ, ac ſorore ipſius David uſque huc, excepto rege Stephano, qui contra juramentum invaſit regnum Angliæ. Notandum eſt inſuper quod de prædicto rege Malcolmo peperit S. Margareta duas filias, &c.

* *Ricardus qui nunc eſt*, edit. Hearn. *Ricardum nunc regnantem tempore compilationis iſtarum chronicarum*, MS. D. G. M. et ita ſcripſerat Fordunus, et ibi finem fecerat: ſed continuator, cum ſequentia addere ſecum conſtituiſſet, iſta verba omiſit. † Et poſtea in Scotia, ut quidam volunt, exul cum duce Albaniæ Roberto diem clauſit extremum, *addit MS. D. G. M.* ‡ Conquæſtor, *MS. coll. Ed.* ⸸ Igne S. Fiacrii Scoti divinitus percuſſum, *MSS. Cupr. et Perib.* ⁂ Prout moris eſt, *edit. H.*

tum

tum fuit ante hoc, ſubjiciendo ſe perpetuæ ſervituti ejuſdem, ſicut priùs in aure promiſerat, invitis omnibus regni primatibus præter paucos. De quo hæc metra:

M. ſemel et ter C. ſed ab illis octo coërce,
Hoc anno Domini tradidit diadema Johanni.

Ante hoc, ſciz. anno Domini MCCXC. obiit Alienora regina Angliæ; et cepit rex Eadwardus decimam quintam partem omnium bonorum de laicis, et decimam de clericis, ſecundùm taxas eccleſiarum ſuarum. Mota eſt contentio ſex portuum, et Flandriæ conſtituit rex nundinas apud Sandwich, ubi lana Angliæ venderetur. Hanc decimam à clericis et decimam quintam à laicis cepit rex continuè per ſex annos, ut Judæos de Anglia expelleret.

CAP. XV.

De incidentibus ex proceſſu privationis Macduff fratris Duncani comitis de Fife.

ANNO Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo tertio fuit maxima tempeſtas in Scotia et Anglia, venti et nivis. Propter quod quidam:

Nix cadit immanis, ventus veniens Borealis
Evulſit ſilvas, uſſit quas reperit herbas;
Ædes damnoſè detexit, et impetuoſè
Quaſdam proſtravit: ſic plurima damna patravit.

Hoc anno congreſſi ſunt nautæ Normanniæ et Angliæ, die Veneris proximâ ante Pentecoſten, navali bello, et victi ſunt Normanni. Anno ſequenti, mortuo Nicholao Papa, creatus eſt in Papam Cæleſtinus. Captus eſt princeps Walliæ, et ductus eſt Londonias. Dira etiam guerra orta eſt inter reges Franciæ et Angliæ. Propter quod ſcripſit rex Angliæ Johanni regi Scotiæ, virtute homagii ſui et liegantiæ, ad concurrendum ſecum totâ ſuâ potentiâ, et ad inſurgendum contra regem Franciæ. Qui propterea, vocato ſuo parliamento, repertum eſt ſe ad hoc non teneri: primo, quia per vim et metum coactus fuit ſe ſibi debere fore ſubjectum et homagium feciſſe; et quamvis ſponte ſic feciſſet, hoc tamen fuit inconſultis tribus regni ſtatibus: tum etiam quia ante hoc confœderatus fuit, ſicut et omnes ſui anteceſſores reges Scotorum, regibus Franciæ, à tempore Achaii incliti regis Scotorum, et Caroli magni regis Franciæ; quæ confœderatio incepta fuit A. Gratiæ ſeptingenteſimo octogeſimo ſeptimo, et uſque nunc inconcuſſè ſervata. Unde expreſſè negavit regi Eadwardo potentiam vel ſubſidium ad debellandum regem Franciæ. Sed paulo ante hoc, et eodem anno, quidam de Abirnethicis nitentes fratrem Duncani comitis de Fife nuper interfecti, nomine Macduff, privare ſuis terris et poſſeſſionibus de Kilconquhar, eundem in judicio coram rege Johanne ſupradicto, in pleno parliamento, attraxerunt. Sed quia idem rex, ut prædicto Macduff videbatur, alteri parti nimis fuerat favorabilis, à ſua ſententia et curia ad audientiam regis Angliæ appellavit, et appellatione diligentiâ quâ potuit

potuit profecutus, antedictum Johannem R. Scotiæ ad parliamentum regis Angliæ tentum apud Londonias citari procuravit: ubi comparens ad oppositiones regis Angliæ et partis, per deliberationem sui consilii, decrevit per procuratores fore respondendum. Ipso igitur rege vocato, et per procuratores in judicio comparente, sæpedictus rex Angliæ sedens pro tribunali, nullo modo regis Scotiæ procuratores audire volebat, donec rex Scotiæ, qui tunc regi Angliæ assidebat, de loco assurgeret, et stans in judicio coram eo, in propria lingua procuratoribus sua committeret responsa: qui jussa complens, et ab omnibus contra statum regiæ dignitatis innumeras passus injurias et despectus, tandem procuratoribus suis responsa commisit: sicque, petitâ licentiâ, cum confusione permaxima reversus est ad propria. Qui statim, statuto parliamento, majores tam cleri quàm populi convocavit, injurias, vilitates, despectus, et opprobria quæ sustinuit, patenter exposuit; ac remedium adhiberi contra nequitiam regis prædicti, modis omnibus pro suæ virtutis modulo, laboravit. Tandem ibidem determinatum fuit, quòd idem Johannes rex homagium et fidelitatem regi Angliæ præstitam, tanquam per vim et metum extortam, penitus revocaret, quódque sibi suisque mandatis ulteriùs, in præjudicium libertatis regni sui, nullatenus posset obedire. Interea ingrassante guerrâ inter Wallenses et Anglos ex una parte, et inter Gallos et Anglos ex altera, scripsit rex Angliæ regi Johanni Scotiæ pro succursu contra præmissos ut prædictum est; quod omnino fuit denegatum. Et incontinenti, scilicet anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo quarto, mittuntur nuncii ad partes Franciæ; et etiam super responsis regis Scotiæ ad regem Angliæ. Ad regem Franciæ mittuntur episcopi Sancti Andreæ et Dunkeldensis, et duo milites, videlicet Johannes de Soulis, et Ingelramus Umfraville, super matrimonio contrahendo cum primogenita domini Caroli germani regis Franciæ, Eadwardo de Balliolo filio dicti regis Scotiæ; ac etiam confœderatione innovanda.*

CAP. XVI.

Tenor compositionis et confœderationis regum Franciæ et Scotiæ.

PHILIPPUS Dei gratia Francorum rex, universis præsentes literas inspecturis salutem. Inter omnia illa per quæ regnantium et regnorum exaltatio procuratur, acquiritur pacis et tranquillæ quietis amœnitas, ac felici et prospero statui consulitur subditorum, illud videtur attentâ consideratione præcipuum, ut inter reges et regna solidæ caritatis unitas, et fidelis amicitiæ fœdera nutriantur, sicque reges et principes ad propulsandas injurias et domandas insolentias perversorum, ac ad reprimendas impugnationes hostiles sibi invicem, præsertim pro zelo

* *Aliter lib. Cupr. his verbis*: Pro antiqui fœderis innovatione, instructi ad plenum super responsis regis Scotiæ missis Eadwardo Angliæ, ac etiam super matrimonio contrahendo cum primogenita domini Caroli germani regis Franciæ, et Eadwardo de Balliolo filio dom. Johannis regis Scotiæ. Quod quidem nuncium acceptum valde erat non solum regi, sed etiam toti domui Franciæ. Ambassatores ad hoc fuerunt Sancti Andreæ et Dunkeldensis episcopi, una cum inclitis militibus dominis viz. Johanne Sowles, et Ingelramo Umfravil.

juſtitiæ, affectum, cùm cauſa depoſcit, exhibeant amicabilis caritatis, quòd alter alteri libenter aſſiſtat in proſperis, et non deficiat in adverſis; ut ſaltem defenſionis opportunæ remedio, pacem odientium repreſſis ſalubriter injurioſis impulſibus, pacis optatæ dulcedo proveniat; etiam cujus pulchritudine devoti pacis filii pacis autori eo devotiùs, quo tranquilliùs, famulentur. Sane inclitus princeps Johannes Scotiæ rex illuſtris, ſpecialis amicus noſter, præmiſſas utilitates et commoda prudenter attendens, venerabiles patres Willelmum Sancti Andreæ et Matthæum Dunkeldenſem epiſcopos, ac Johannem de Soules et Ingelramum de Umfravile milites, nuncios et procuratores ſuos, ad hoc ſpecialiter conſtitutos, prout in quibuſdam procuratoriis literis inde confectis, ipſius regis ſigillo munitis, pleniùs continetur, ad nos, pro contrahendis confœderationibus et amicitiæ fœderibus pro futuro, ſpecialiter deſtinavit. Nos itaque votis ipſius regis laudabilibus in hac parte grato concurrentes animo, ut hujuſmodi confœderationis affinitas, et amicitiæ fructuoſus contractus, eò ferventiùs vigeat ſtabiliuſque perduret, quo melioribus firmatus auſpiciis, nexuque conſtrictus fuerit fortiori; Actum, conventum et concordatum exſtitit inter nos, de voluntate et aſſenſu cariſſimi germani et fidelis noſtri Caroli Valeſc. et Andegavenſis comitis, et procuratores prædictos procuratorio nomine prædicti regis, quòd inter Eadwardum primogenitum filium regis ejuſdem, futurum R. Scotiæ, et qui per conventionem expreſſam habitam cum procuratoribus antedictis, ſucceſſurus eſt eidem regi in regno Scotiæ et aliis terris ſuis, et J. primogenitam filiam germani noſtri prædicti matrimonium contraheretur: cui regi, nomine dicti filii ſui, promittimus nos et ſucceſſores noſtros curaturos et effecturos dari in matrimonium cum prædicta filia XXV. millia librarum Turonenſium parvorum in pecunia numerata; idemque rex præfatæ filiæ MD. libras Sterlingorum annui redditus in dotalitium, ſeu dotationem propter nuptias, dare et aſſignare tenebitur. De quibus mille libris Sterlingorum annui redditûs, in terris cum juriſdictionibus et juſtitiis omnimodis ad coronam regiam non ſpectantibus, in locis infraſcriptis, videlicet de Balliolo, de Dampetra, de Helicourt, et de Hornoy, in regno Franciæ; necnon de Lanark, de Cadjou, de Maldiſley, de Cuningham, de Hadington, et in caſtro de Dundé, in regno Scotiæ, cum pertinentiis locorum ipſorum aſſidebat eidem: ita quòd ſi redditus et proventus locorum ipſorum prædictorum dictam ſummam MD. librarum Sterlingorum annui valoris excedant, illud ille quod ſuperabundaret ultra eandem ſummam præfato domino noſtro Scotiæ regi remaneat. Et ſi quid de ſumma ipſa deeſſet, idem dominus noſter in aliis redditibus ſuis in regno Scotiæ conſtitutis ſupplere integre teneatur; vel eaſdem mille, ſi nos maluerimus, necnon reſiduas quingentas libras aſſignabit ſibi percipiendas in burſa in certis locis annuatim, ad duos terminos: ipſamque bene aſſecurabit de dotalitio antedicto habendo et percipiendo ab ea poſt dictum matrimonium contractum, et mortem dicti filii, quamdiu vitam duxerit in humanis. Quòd ſi dicti futuri conjuges à dicto rege vellent fortaſſe diſcedere, dicto dotalitio in vita etiam regis ejuſdem libere perfruentur; et ſi ſucceſſu temporis prædictus rex ad ſecunda vota tranſire voluerit, noſtrum ſuper hoc conſilium requirire vel communicare debebit.

CAP.

CAP. XVII.

De eodem.

IDEM quoque rex, more juſti principis, tum ex fervore juſtitiæ tum etiam zelo dilectionis internæ, quam ad nos, domum noſtram, ſolium, et incolas regni noſtri habere dignoſcitur, moleſtè ferens graves injurias, enormes exceſſus, impugnationes hoſtiles, et aggreſſiones iniquas, quibus rex Angliæ, violato fidelitatis debito, quo nobis tenebatur aſtrictus, nos, fideles et ſubditos noſtros, tam per terram, quàm per mare, multifariè multiſque modis hactenus offendiſſe dignoſcitur, et offendere quotidie ſatagit et conatur: ac propterea, et ut nos et ſucceſſores noſtros ſibi et ſuis ſtrictiùs mutui amoris alliget affectibus, ad repreſſionem ſalubrem injuriarum et impugnationum et aggreſſionum hujuſmodi, nobis efficaciter et potenter aſſiſtere gratuitâ amabilitate diſponens, dictis commiſit procuratoribus; ipſique procuratorio nomine regis ejuſdem, ac pro eo, nobis promiſerunt expreſſè, quòd idem rex Scotiæ in præſenti guerra, quam contra dictum regem Angliæ, fautores et confœderatos, tam regem Alemanniæ, quàm alios quoſcunque valitores ejus, habemus, ſi opus fuerit inſurget, nobis et ſucceſſoribus noſtris, ſi ad eos guerra hujuſmodi prorogetur, totis ſuis et regni ſui viribus, tam per terram, quàm per mare, in Anglia publicè ac patenter aſſiſtet, ac præſtabit conſilium et auxilium opportunum. Et ut præfati regis Angliæ injurioſi conatus eo commodiùs reprimantur, idemque rex à perverſis ſuæ hoſtilitatis incurſibus eo citiùs reſilire cogatur, quo magis fuerit aliis occupatus; dictus rex Scotiæ ipſi regi Angliæ guerram, ſuis propriis ſumptibus et expenſis, toto poſſe ſuo et incolarum etiam regni ſui, quoties toto poſſe fuerit opportunum, nobis guerram captam proſequentibus ac manutenentibus movere, et continuare curabit.

Promiſerunt inſuper procuratores præfati procuratorio nomine regis Scotiæ, quòd tam prælati quatenus de jure licebit, quàm comites, barones, et communitates villarum regni Scotiæ, erga nos et ſucceſſores noſtros in guerra prædicta pari modo in omnibus, ſicut dictum eſt ſuperiùs, ſe habebunt; dictoque regi Angliæ ſimili modo totis ſuis viribus guerram facient, ſicut ſuperiùs eſt expreſſum. Quòdque tam prælati quàm comites, barones et alii nobiles, necnon univerſitates communitateſque notabiles dicti regni Scotiæ ſuas nobis ſuper hoc patentes literas, ſuis munitas ſigillis, quanto citiùs fieri poterit, deſtinabunt. Conventum fuit ſiquidem inter nos et procuratores prædictos, nomine quo ſuprà, quòd ſi prælibatum Angliæ regem, coadunatis viribus ſuis, regnum Scotiæ, regnum Scotiæ per ſe vel per alium invadere forte contigerit, poſt guerram ad requiſitionem noſtram, per dictum Scotiæ regem cœptam, vel poſt affinitatem vel confœderationem præſentem inter nos initam, occaſione eorundem; nos, dummodo ex parte ipſius regis Scotiæ ſuper hoc congruo tempore fuerimus præmuniti, ſibi ſubſidium faciemus, ipſumque regem Angliæ per partes alias occupando; ut ſic ab incœpta invaſione prædicta ad alia diſtrahatur, vel ei in Scotia conveniens adjutorium ſumptibus noſtris, quouſque in Scotiam perveneri,

venerit, tranſmittendo. Si verò prænominatus Angliæ rex terram Angliæ perſonaliter forſan exiêrit, vel terram ipſam notabili peditum vel equitum armatorum hominum numero, guerrâ inter nos et ipſum durante, vacuarit; promiſerunt procuratores prædicti procuratorio nomine ſupradicto, quòd, præcipuè in hoc caſu, dictus rex Scotiæ cum toto poſſe ſuo terram Angliæ, quanto latiùs ſive profundiùs poterit, intrare curabit, faciendo guerram bellumque campeſtre, obſidendo, vaſtando, ac regem Angliæ et terram ejus prædictam, modis omnibus quibus poterit, ſuis, ut ſupradicitur, ſumptibus, impugnando.

Actum præterea eſt et expreſſè conventum inter nos et procuratores prædictos, nomine quo ſuprà, quòd nos de guerra, quam præfatus rex Scotiæ et ſucceſſores ejuſdem contra ſæpefatum Angliæ regem pro nobis facient, poſtquam guerram ipſam ad requiſitionem noſtram fecerint, vel ſi, occaſione initæ affinitatis vel confœderationis, idem Scotiæ rex jam guerram fecerit ſupradictam, vel rex Angliæ contra ipſum, occaſione aliquorum in præmiſſis; nec etiam de prædicta noſtra guerra componere aut pacem inire nequibimus, vel treugam, niſi ipſis in pace ſeu treuga quam de dictis omnibus guerris faciemus, incluſis; nec ipſi ſimiliter pacem vel treugam de guerris omnibus ſupradictis facere poterunt ſine nobis. Pro quibus omnibus et ſingulis ſupraſcriptis tenendis, adimplendis et inviolabiliter obſervandis, obligamus dicto Scotiæ regi et ſucceſſoribus ſuis nos, heredes ac ſucceſſores noſtros, et omnia noſtra et ipſorum bona mobilia et immobilia, ubicunque et in quibuſcunque conſiſtentia, præſentia et futura. Tractatus autem conventiones, pactiones, ac omnia et ſingula ſupraſcripta, dictus Scotiæ rex ratificare et approbare tenetur, ac ſuo nomine innovare, ac ſuper ratificatione, approbatione et innovatione prædictis, ſuas nobis patentes literas, ſigillo ſuo munitas, quam citiùs fieri poterit, deſtinare. SCRIPTOR.

CAP. XVIII.

Quomodo rex Johannes reclamavit homagium factum regi Angliæ: et de proceſſu privationis ejus.

COnſequenter, ut præmiſſum eſt, dum mitterentur nuncii ad regem Francorum, definitum fuit in parliamento nuncium mitti etiam ad regem Anglorum. Unde miſit rex Johannes, de aviſamento ſui parliamenti, ſuas literas patentes reclamationis et revocationis homagii ac fidelitatis, ſuo ſigillo ſignatas, cum dom. abbate de Abirbrothoc, nomine Henrico, cordato monacho, juſto et plano, prædicto regi Angliæ; quia de facili alius ad mittendum minimè reperiebatur, patenter direxit. Præſentatis igitur literis, rex Angliæ Gallicâ linguâ reſpondit, *A ce fou fekon tel foli fecis*: et ſtatim ſubjunxit, *S'il ne voit venir à nous, nos vendrons à li.* Quod eſt dictu: Tibi dico, fili fatue, talem fatuitatem facis; quòd ſi ipſe mittens non vult venire ad nos, nos veniemus ad eum. Talibus reſponſis exhibitis, abbas prædictus, qui ob inimicitias ibidem fuerat miſſus, eo quòd propter ſuas improbitates multis regni ſui proceribus et aliis exſtiterat odibilis, nec valens apud regem Angliæ literas conductûs impetrare, propter brevitatem temporis quod reſtabat

reſtabat de exitu ſui conductûs, vix vivus evaſit. Dehinc rex Angliæ ſæpius ad marchias et regnorum confinia regem Scotiæ citari fecit, et vocari ad comparendum coram eo, et juri ſtandum pro ſua inobedientia et rebellione. Sed quia ad peremptoriam citationem venire contempſit, propter ſuas multiplices contumacias, necnon et propter tranſgreſſionem juramenti fidelitatis et homagii violati, tulit contra eum ſententiam privationis et depoſitionis regni, ac etiam omnium aliarum terrarum et poſſeſſionum quas ab eo tenebat. Et ſic eum, quem in juris injuriam ad regnum provexit, jure acquiſito et omni honore collato, tam per ſententiam, quàm de facto, privavit. Iſte rex Johannes, intruſus per dolum et potentiam regis Angliæ, non ſtetit per quatuor annos rex ſub maxima ſervitute et bondagio regis Angliæ: cùm ante hoc regnum erat quaſi per ſeptem annos, poſt mortem pacifici regis Alexandri tertii, acephalum, et in tempore hujus infauſti regis Johannis anomalum; ac, poſt depoſitionem ejus, per decem annos continuos in maxima fluctuatione et diſturbia conquaſſatum et diruptum: et ſic quaſi per viginti annos afflictum continuè exſtitit et oppreſſum.

Interea idem rex Angliæ præparavit ſe ad hoſtiles congreſſus; vocanſque Robertum de Bruce avum, recognovit ſe iniquam ſententiam dediſſe; et eandem revocans, prædicto Roberto promiſit fideliter et manucepit, quòd ipſum, tanquam pinguiora et potiora jura habentem, promoveret ad regnum, altero penitus remoto et imperpetuum privato. Atque ſub tali pollicitatione prædictum Robertum verbis blandis, omni fallaciâ plenis et mellitâ deceptione circumlitis, ad hoc induxit, ut omnibus amicis ſuis in regno Scotiæ conſtitutis, per ſuas literas ſcriberet, atque moneret * eoſdem, quòd omnia caſtra et fortalicia firmata ſibi redderent et deliberarent, cùm totum regis Angliæ propoſitum ad hoc eſſet intentum, ut ipſum regem conſtitueret et ordinaret. Scripſit igitur Robertus, et fecit quod alter ſuggeſſit; ſed, obtento quod deſideravit, promiſſa nequaquam ſervavit. Hac enim occaſione oritur lamentabilis diviſio in regno inter Broiſenſes, et Comynenſes adhærentes Balliolo. Unde et in hoc verificatum eſt quod Dominus dicit: *Omne regnum in ſe diviſum deſolabitur.* Certè Eadwardus aſſimilari poteſt Diabolo, cujus tota intentio eſt facere inter amicos diviſiones. De quo ſcriptum eſt, OSEÆ XI. *Ipſe inter fratres dividit.* Quem etiam comparare potero Hannibali duci Pœnorum ſive Carthaginis; de cujus geſtis ſic ſcriptum reperi.

CAP. XIX.

Quòd diviſio eſt res peſſima in regnò.

HIC Hannibal poſtquam vicit Romanos in tanta multitudine, ut, in teſtimonium victoriæ, tres modios annulorum aureorum Carthaginem mitteret, quos de manibus nobilium interfectorum extraxerat; et in tantum deſperaverant Romani, quòd fugere ab urbe volebant, niſi Scipio Africanus, tunc tribunus militum, ſtricto gladio ipſos coërcuiſſet. Tot enim Romanorum millia propriâ ſocordiâ occiſi ſunt, eo quòd juventus inermis proceſſit ad pugnam, putans terrere Hanni-

* Al. *admoneret.*

balem et ſuos famâ induſtriæ militaris. De quo facto elatus dux miſit nuncios Mediolanum cum epiſtola, ut ei redderent civitatem, aliàs obſideret eos, donec fame perierent; et nuncii addiderunt ſic: Non credatis quòd poſſitis reſiſtere ſibi qui Romanos vobis fortiores devicit. Fuerunt eo tempore multi ſapientes in civitate, qui, accepto conſilio, reſponderunt; Salutetis dominum veſtrum et dicatis ſibi, quòd civitas noſtra ſatis fortiter eſt murata, et cives ejus ſunt potentes ad providendum victualia, et multos fortes habemus in urbe: unde verecundia magna eſſet et miſeria, ſi propter ipſius minas tantùm tam fortem redderemus urbem. Veniat igitur dux in propria perſona, ſi velit, cum tota ſua potentia; quia defendemus nos contra eum, Deorum favente clementiâ. Nuncii mirantes eorum audaciam, quæſiverunt in cujus auxilio ſperarent reſiſtere tanto duci. Quibus cives; Die tertiâ ad hoc reſpondebimus. Quo die adveniente, duxerunt nuncios extra urbem, et oſtenderunt eis vimina ſtantia circa urbem, ad modum coronæ, et filum aureum girabat coronam à vimine ad vimen; et dixerunt; Iſti ſunt cuſtodes noſtri et pugiles, qui defendunt nos: non frangetur filum per exercitum veſtrum, donec putreſcat pluvia. Et ſic ex parte noſtra dicatis domino veſtro. Auditis his reſponſis, venit Hannibal, et civitatem obſeſſit. Sed ſingulis diebus quibus diſpoſuit dare inſultum civitati, egrediebatur juventus cum armis, et commiſit ſtrenuè cum adverſariis bellum campeſtre: et ſic filum aureum ſervabant intactum. Cúmque ſic per multos dies * fuerat Hannibal fatigatus, de obſidione deſperans habere propoſitum, ſcripſit civitati, quòd amoveret obſidionem ſub hac conditione, quòd de tribus cognationibus mitterent ſibi tres viros, de qualibet cognatione unum, viz. de cognatione ſapientiſſima ſapientiſſimum virum, de probatiſſima probatiſſimum virum, de generoſiſſima generoſiſſimum: de quibus, ut dixit, unum voluit promovere, ut eſſet ſecundus poſt ipſum; alium exularet ſine reditu; tertium ſine redemptione trucidaret: quem tamen ditaret, aut quem exularet, aut quem occideret, noluit eis prædicere. Auditis nunciis, conſuluerunt quid reſponderent. Tandem ad conceſſionem petitionis deventum eſt et quaſi concluſum, niſi quidam ſapiens ſenior† miles exſurgens è medio omnibus reſtitiſſet, qui, ſilentio omnibus indicto, ſic exorſus eſt loqui dicens; Viri olim ſapientiſſimi, ſed nunc deſipientes, audite me, et liberate vos. Princeps iſte Hannibal ſtrenuus eſt et callidus, et credit per iſtam viam excitare diſcordiam inter nos. Si enim decreverimus tres cognationes eſſe nobiliores omnibus aliis; omnes alii ſine dubio invidebunt eis; et etiam cognatio occiſi et exulantis invidebunt contra cognationem ejus qui promovebitur; et, ortâ diſcordiâ, perdetur civitas. Propterea conſilium meum eſt, ut ſic reſpondeatur nunciis domino ſuo duci dicturis: Invenimus in iſta civitate hominem qui, pro ſalvatione civitatis, libenter admittet exilium; invenimus etiam hominem, cui mori placeret pro civitate iſta; ſed non invenimus hominem, qui vult promoveri ab eo, pro tota civitate iſta, et etiam Carthagine habenda. Nam, ut planè loquamur et nihil in parabolis adducatur, qui admittere vellet munera tua et eſſe ſecundus poſt te, hic vellet fovere partem tuam contra nos.

* Al. *multa tempora.* † Al. *emeritus*, pro *ſenior.*

Si

Si verò eſſet contra nos, foret proditor noſter; ergo à primo, qui vellet recipere munera tua, eſſet proditor noſter. Sed non eſt aliquis inter nos, qui, propter munera tua, vult eſſe proditor. Audito hoc reſponſo, dixit Hannibal ſuis; Iſti homines unanimes ſunt, et ideo nunquam obtinebimus eos; recedamus ergo: et receſſit. Hanc hiſtoriam utinam Scoti attenderent, quia hucuſque nunquam reperi eos funditùs confuſos vel devictos, quamdiu habuerunt filum aureum, per quod intelligo, caritatis unanimitatem ſervaverunt illibatum. Iſta patere poterunt in ſequentibus, ut in conflictibus de Dunbar, Fawkirk, Halydon, Duplyne, ubi eorum diviſio exſtiterat eis confuſio. Et ideo, ut ſcribit HIERONYMUS; "Omnis pugna unanimiter congreſſa victoriam parit." Nam legitur JUDITH XV. quomodo Aſſyrii non adunati in fugam ibant præcipites; filii autem Iſraël, uno agmine perſequentes, debilitabant omnes quotquot invenire potuiſſent. Nunc ad propoſitum redeamus.

CAP. XX.

De captione villæ Bervici, et de dolo Anglorum.

ANNO Dom. milleſimo ducenteſimo nonageſimo quinto Johannes rex, cum conſilio magnatum ſibi adhærentium, ordinavit et miſit omnes nobiles et libere tenentes, necnon ceteras valentes perſonas comitatûs de Fyſe, qui tunc acephalus erat et legitimo deſtitutus aurigâ, et eos ad cuſtodiam et defenſionem villæ Bervici, ubi majus tunc imminebat periculum, deſtinavit. Ad quam copioſum navigium regis Angliæ, de quinque portubus collectum, cum magna hominum multitudine, applicuit oneratum. Quos, ex parte maris magnum dantes inſultum cuſtodes villæ, ut erant armis ſtrenui, robore fortes, et animo feroces, vi repulerunt, et octodecim naves onuſtas viris armatis, ipſaſque, cunctis interfectis, igne combuſſerunt.* Anno itaque ſequenti, ob cauſas prædictas, rex Angliæ vehementer commotus, in propria perſona cum magna potentia ad villam Bervici acceſſit; et, quam viribus capere non potuit, ingenioſè et callidè decipere cogitavit. Dum igitur circa villam aliquamdiu caſtrametatus fuiſſet, ſimulavit ſe velle recedere, et removens tentoria, ſe longiùs ire finxit. Sed iv.† kalendas Aprilis, tunc pœnoſa ſcilicet Paraſceue, die Veneris, ſtatim poſt auroram diei, erectis vexillis et ſignis bellicis Scoticani exercitûs doloſè ante confictis, ad portas villæ appropinquavit. Quod videntes Scoti villæ cuſtodes, ſatis læti et hilares effecti, quia nunciatum erat eis ſui regis auxilium in proximo affuturum, ſub tali promiſſione infeliciter decepti, tanquam fideles et totius fraudis ignari januas aperuerunt confidenter. Sed mox, detectâ fraude, et cognitâ veritate, cùm niterentur reſiſtere, ſubitò ab hoſtibus circumvallati, et circumquaque inſultum patientes, repentinis congreſſibus miſerabiliter ſunt oppreſſi. Atque modo prædicto villâ captâ, civibus proſtratis, rex Angliæ prædictus nulli ætati parcens aut ſexui,

*Addit editio Hearnii; "Quo anno, menſe, kal. die iſta paulo ſuperius recitata contingebant, ſcriptor hujus chronicæ certum non habebat. Sed hoc verum pro certo tenendum eſt, quod omnia ſupradicta anno Dom. MCCXCIII. et XCV. ordine quo ſcripta ſunt, contingebant. Tertio Kal. Aprilis A. D. MCCXCVI. ob cauſas ſæpedictas, Angliæ rex, &c." †*Tertio*, edit. Hearn.

duobus

duobus diebus rivulis de cruore occiſorum fluentibus, ſeptem millia et quingentas animas promiſcui ſexûs juſſerat, in ſua tyrannide deſæviens, trucidari; ubi nobiles magnanimi et valentes bellicoſi de Fyfe penitùs ſunt extincti; ita ut in eorum ſanguinis profluvio circumrotari poterant molendina. De cujus captione habentur iſta metra:

Hic villæ turmas cautè ſtatuit perimendas
Cujuſdam fraude, qui ſemper erit ſine laude.
Vexillum cujus cives decepit, et hujus
Nomen ſiletur comitis, ne fraus iteretur.
Cives bellando ſic vicit Marte nefando.
M. ſemel, et bis C. novies X. ſex ſimul adde
Villa ſuper Twedam, Berwicum nomine, prædam
Anglis inimica dedit, heu! male fraude ſubacta.
Hoc in Aprilias quarto dic eſſe Kalendas.

Hoc etiam anno rex Angliæ à clericis cepit medium omnium bonorum eccleſiaſticorum, ſuper æſtimationem veræ taxationis, ad debellandum Scotos.

CAP. XXI.

De ejectione Anglicorum beneficiatorum de regno Scotiæ.

EOdem anno, xj. Kal. Maii, propter evidentiſſimas cauſas ſuſpicionis, et probabilia argumenta conſpiratoriæ pravitatis contra regem et ſtatum regni, omnes Anglici beneficiati in epiſcopatu S. Andreæ ſuis beneficiis, per magiſtros Willelmum de Kingorne et Petrum de Campania, vicarios domini Willelmi Fraſer, tunc epiſcopi Sancti Andreæ, procuratoris regis apud Franciam et in remotis agentis, ut ſupradictum eſt, ſententialiter ſunt privati. Similiter reliqui omnes et ſinguli Anglici, tam clerici quàm laici, propter ſuas conſpirationes de regno Scotiæ penitus ſunt ejecti. Et non modicè mirandum eſt de natura Scotorum, quòd ſunt ita conſcientioſi, vel, ut ita dicam, inſcientioſi, quòd patiuntur Anglos adhuc infra ſe cohabitare et beneficia poſſidere; cùm tamen conſtet diverſa monaſteria et etiam epiſcopia Scotiæ habere plena jura ad beneficia in Anglia, ad quæ non permittunt Scotum accedere, vel titulum in eis vendicare; quod ſi fecerit, aut turpiter ejicitur, aut inhumaniter jugulatur: cùm tamen, quantum ad hoc, Scoti et Angli non debent ad imparia judicari. Habet enim Dumblanenſis eccleſia juſtum titulum ad totum dominium de Appilby, de Congere, et de Troclyngham, necnon et de Malemath in Anglia, ex donatione reguli et domini eorundem; cujus filium à mortuis reſuſcitavit Sanctus Blaanus nepos ex ſorore S. Katani, quem baptizavit Blaanus, et Columbam eum nominavit; uterque in vita mirabilis, et miraculis coruſcans: Columba in Dumblan, et Blaanus in Botha inſula tumulantur. Pro iſto vide ſuprà lib. IX. cap. xlv. quomodo Scotus, electus in Dunelmenſem epiſcopum, non paſſus eſt proſperari. Prohibentur tales alienigenæ, maximè inimici, inter regnicolas cohabitare, tam lege Divinâ, quàm humanâ. Lege Divinâ, ut NUM. XVIII. Jure etiam canonico prohibetur, Ne quis alienigena inter regnicolas debeat beneficiari, per c. *Tuæ nobis*,

De

De peregrinis. Ad idem facit jus civile, ut eſt lex, cap. *De epiſcopis*, quæ ſic dicit; " In eccleſiis, quæ in poſſeſſionibus, ut aſſolet, diverſo-" rum vicis etiam vel quibuſlibet locis, ſunt conſtitutæ, clerici verò " non ex alia poſſeſſione vel vico, ſed ex eo ubi eccleſiam eſſe conſti-" terit, ordinentur, ut propriæ capitationis onus ac ſarcinam recogno-" ſcant." Et ita notat Bernardus ſuper capite *Si proponenti de R.* Bene habentur talia metra;

Clericus indigena dignus, pauper reſidenſque, &c.

Item rex Eadgarus, filius S. Margaretæ reginæ, propter demerita Ranulphi epiſc. Dunelmenſis, villam regiam de Berwic cum appendentiis, quam ſibi et eccleſiæ Dunelmenſi in perpetuam contulerat eleemoſinam, abſtulit, et ſibi et ſucceſſoribus ſuis regibus Scotiæ appropriavit: ſicut patet ſuprà, lib. v. cap. xxxiv. Rex etiam David, frater ejus, propter hujuſmodi conſpirationes et alia in ſuo regno attentata, omnes Anglos beneficiatos publico edicto perpetuò forbannivit.

Anno etiam D. MCCXCVII. ille nobilis athleta Willelmus Wallace dux Scotorum, ſive cuſtos Scotiæ, in principio ſui regiminis, tanquam executor proceſſûs vicariorum generalium domini Will. Fraſer epiſcopi Sanctæ Andreæ, ejecit omnes Anglicos, tam religioſos quàm clericos et laicos, de regno Scotiæ. Itemque nobilis cuſtos Scotiæ Thomas Ranulphi comes Moraviæ, deprehenſus eſt impotionari per quendam fratrem Anglicum apud aulam de le Wemys, per cujus intoxicationem moritur, ſtatutum fuit ſententialiter, omnes de regno perpetuè exiliari. Motivum etiam regis David, filii Roberti Bruce illuſtriſſimi regis fuit, unde omnes Anglos beneficia et territoria infra regnum poſſidentes expulit; quia olim monachi de Harehope, aliàs Holme, per recolendæ memoriæ David regis, filii S. Margaretæ reginæ, dotationem fundati, cui annexæ erant certæ terræ in Laudonia, prope villam regiam de Edinburg, videlicet Spitaltona et Sant Gilyſis grange, ubi ſeditioſè probati ſunt tam monachi quàm laici Angliæ, ibidem morantes, conſpirationes confinxiſſe in periculum totius regni. Propter quod rex, ipſis turpiter ejectis, ipſas terras, unà cum aliis hîc non expreſſatis, contulit jure regio, tanquam pro forisfacto, domino Waltero de Wardlaw cardinali Glaſguenſi epiſcopo, pro toto tempore vitæ ejus poſſidendas. Poſt cujus deceſſum datæ erant ſuo conſanguineo domino de Ricartona. Quas quidem terras hucuſque filii et heredes inconcuſſè poſſederunt, ſicut adhuc poſſident de præſenti.

CAP. XXII.

Quomodo rex Robertus ſecundus contulit prioratum de Coldyngham monaſterio de Dumfermelyn.

PRopter etiam proditiones, ſeditiones et inſidias Anglorum, Robertus rex, regis David II. nepos, expulit monachos Angligenas de Coldyngham, et contulit prioratum de Coldyngham abbaciæ de Dumfermelyn, ſicut ejus donatione patet, cujus eſt tenor:

ROBERTUS Dei gratia rex Scotorum, omnibus probis hominibus totius terræ ſuæ ſalutem. Sciant univerſi præſentes et futuri, quòd nos

magna et conſueta regni noſtri pericula, proditiones et inſidias diligenti conſideratione attendentes, quæ ſæpiùs noſtræ regiæ majeſtati, regno noſtro, et incolis ejuſdem, ex mora, inhabitatione, et receptione monachorum Anglicorum Dunelmiæ, prioratum de Coldyngham diutiſſimè occupantium, damnabiliter provenerunt: volenteſque indemnitati, paci et ſecuritati prælibati regni noſtri, et hominum noſtrorum, impoſterum conſulere; necnon utilitati prioratûs prædicti affectu regio providere; Cùm ordinatio ejuſdem prioratûs, ex cauſa forisfacti, loci exſpoliatione et deſolatione ejuſdem, per eoſdem monachos vacui et derelicti, noſtram majeſtatem concernat; et ad hoc poteſtas ad manus noſtras, juxta leges regni noſtri, exiſtat liquidò devoluta: ex deliberato conſilio, pro ſalute animæ noſtræ, anteceſſorum et ſucceſſorum noſtrorum regum Scotiæ, damus et concedimus, applicamus, unimus et incorporamus, ac etiam præſenti cartâ noſtrâ confirmamus, Deo et beatæ Mariæ virgini, eccleſiæque Sanctæ Trinitatis, et monaſterio Sanctæ Margaretæ reginæ de Dumfermelyn, prædictum prioratum integrum de Coldyngham, cum tota baronia ejuſdem, pertinentiis ſuis et apendentiis quibuſcunque, tenend. et habend. applicand. et incorporand. prioratum prædictum, cum baronia prædicta et pertinentiis, præfato monaſterio de Dumfermelyn, abbati et conventui ejuſdem, et eorum ſucceſſoribus, de nobis et heredibus noſtris imperpetuum, in puram et perpetuam eleemoſinam, in terris et aquis, tenendriis et feodis, eccleſiis et ipſarum juribus, et eccleſiarum advocationibus, præſentationibus, et jure patronatûs; molendinis et piſcationibus; in moris, mareſiis, nemoribus, boſcis, planis, pratis, paſcuis, et cum omnibus aliis commoditatibus et aiſiamentis ad dictum prioratum et dictam baroniam ſpectantibus, ſeu de jure ſpectare valentibus in futurum, tam non nominatis quàm nominatis et expreſſis, in omnibus et per omnia, modo pariter et formâ quibus dictum prioratum et dictam baroniam prior et monachi Dunelmenſes tenuerunt: Sic videlicet quòd monachi de conventu de Dumfermelyn, qui in ipſo prioratu divino cultui debeant jugiter inſiſtere, ibidem mittantur et maneant, tot quidem numero, quot, hoſpitalitatis onere, et aliis oneribus neceſſariis attentis, de fructibus et proventibus præfati prioratûs honeſtè valeant ſuſtentari, ad nutum abbatis mittendi et revocandi, prout ſibi videbitur pro ſtatu utriuſque loci utiliùs ordinandum. Prior autem in dicto loco præficiendus, de gremio collegii de Dumfermelyn, vel de dicto prioratu, per abbatem ipſius cum ſuo conſilio aſſumatur, et epiſcopo Sancti Andreæ, qui pro tempore fuerit, præſentetur. Qui mox per eundem admiſſus, plenam adminiſtrationem bonorum dicti prioratûs habebit: ita tamen ut de dictis bonis et adminiſtratione ſuis, ſingulis annis dicto abbati reſpondeat, ac rationem reddat; abſque rationabili cauſa et evidenti utilitate utriuſque loci id expoſcente, prout cum conſilio dicti domini epiſcopi fuerit faciendum, à ſua adminiſtratione nullatenus amovendus. In cujus rei teſtimonium præſenti cartæ noſtrum præcipimus apponi ſigillum. Teſtibus venerabili in Chriſto patre Willelmo epiſcopo Sancti Andreæ, Johanne primogenito noſtro de Carrick ſeneſcallo Scotiæ, Roberto de Fyfe et Menteth filio noſtro dilecto, Willelmo de Douglas et de Marr conſanguineo noſtro, comitibus; venerabili viro magiſtro Johanne de Pebles archidiacono Sancti

Andreæ,

Andreæ cancellario noſtro, Jacobo de Lindeſay nepote noſtro, Alexandro de Lindeſay conſanguineo noſtro, militibus. Apud Perth, viceſimo quinto die menſis Julii, anno ab incarnatione Domini milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo octavo, et regni noſtri octavo.

CAP. XXIII.

Quòd Dunelmenſes monachi non debent eſſe in Coldyngham.

MOtivum principale regis fuit ad conferendum prioratum dictum monachis de Dumfermelyn, pro eo quòd quidam monachus Dunelmenſis, Willelmus Claxſton nomine, ſe pro Priore de Coldyngham gerens, conventus fuit et accuſatus coram rege et tribus regni ſtatibus, ſuper felonia et exploratione ac revelatione conſilii regis et regni ſecretorum, et pro aſportatione monetæ regis et regni contra prohibitionem proinde factam, et convictus. Quo in tempore nullus Scotigena potuit tranſitum facere per Angliam, non obſtante conductu, quin exploratus per eaudem ac proinde ſeductus, arreſtatus vel exſpoliatus fuerat. Aliud etiam ſtatuti hujuſmodi motivum fuit tunc temporis, quòd quidam regulares canonici, de Jedword videlicet et Dryburgh, Scoti intrantes Angliam, pro repetendo juſtitiam, ſive proſequendo poſſeſſiones eccleſiarum ſibi et monaſteriis ſuis competentium et annexarum, per Anglicos fuerunt non ſolùm arreſtati et inhumaniter tractati, quinetiam horribiliter trucidati.

Item dominus Robertus dux Albaniæ, ac regni Scotiæ gubernator, propter conſimiles cauſas proditionis, in concilio generali ſtatuit, quòd omnes Angli de regno expellerentur, ſicut et tunc expelli fecit quendam monachum Dunelmenſem, Johannem Harkleffe, intrudentem ſe contra Richardum Mongal Priorem ejuſdem, monachum de Dumfermelyn: et ad hoc fiendum ſcripſit literam ſuam Priori Dunelmenſi ad revocandum eundem. Scripſit etiam idem dictus dux et gubernator domino Benedicto XIII. Papæ, ut conferret eccleſiam de Kyrkgunſane in Galwidia magiſtro Willelmo Croiſer archidiacono Laudoniæ, quam tunc et ante occupaverant monachi de Holme. Per rationes præmiſſas Papa plenè inſtructus conceſſit: quam eccleſiam adhuc * poſſidet dictus magiſter Willelmus jam fere per triginta annos. Pro hoc etiam eo tunc ſcripſit Archibaldus ſecundus comes de Douglas, dominus Galwidiæ, domino Papæ prædicto, quorum ſciz. ducis et comitis inſtructione obtinuit dictus magiſter Willelmus dictam eccleſiam de Kyrkgunſan. His non obſtantibus, adhuc à magnatibus Scotiæ et prælatis faventur et foventur, ac intrare et occupare ipſum prioratum permittuntur Angli. Quid ergo boni conferunt regno ſtatuta regia, quæ, quamvis ad libertatem et pacem regni condantur, tendunt tamen ad noxam et perditionem†. Parum eſſet jura condere, niſi eſſent qui ea executioni debitæ, ut volunt jura, demandarent. O ſtulta Scotia! quæ nullâ eruditis diſciplinâ. Quomodo poteris proſperari, enutriens ſemper capitales

* Ita MS. coll. Edinb. *pacifice poſſidebat*, lib. Cuprenſ. unde patet hunc eſſe poſterioris editionis. † *Jacturam; cum etiam ipſa jura teſtantur, quod parum*, &c. cod. Cupr.

æmulos, qui tibi * voverunt adverſari? Et, ſi mihi credere nolueris, audi BOETIUM de Conſolatione, lib. III. inſinuantem, Quòd nulla peſtis efficacior eſt ad nocendum quàm familiaris inimicus. Sed, O tu Scotigena! qui tales ſuſtentas, etſi alia documenta non recipias, converte vel ad poëtarum fabulas, ut per ipſarum metaphoras vel ſaltem doctrinam elicias. Nam legitur, quòd ſerpens ſemel humilis et contortus jacebat ſuper congelatam terram, et multum algebat. Homo quidam pertranſiens vidit ſerpentem algidum, et, pietate motus, accepit ſerpentem et poſuit in gremium ſuum. Serpens calefactus hominem acriùs pungebat. Cur, inquit homo, ingratiſſime vermis, me pungis, retribuens mala pro bonis, et odium pro dilectione mea, cùm in ſinu meo ad refocillandum te poſueram? Reſpondit; Stulte homo, neſcis, quòd ſerpens in ſinu, mus in pera, et ignis in gremio male remunerantur hoſpites ſuos? Ut hæc evidentiùs declarentur, circa annum Dom. MCCXX. cùm per ſedem Apoſtolicam proviſum fuerat de ipſo prioratu cuidam monacho de Dumfermelyn Willelmo Broun, bachallario tunc in ſacra pagina, nunc verò magiſtro in theologia digniſſimo, concurrente ad hoc electione dictæ domûs de Dumfermelyn, in eundem, quidam Willelmus Drax monachus Dunelmenſis, intruſor ejuſdem, poſt ipſius debitam amotionem et loci interdictum, ac proceſſus aggravationis et reaggravationis in ipſum et fautores emiſſos, favores ampliores ab incolis et magnatibus regni idem Willelmus Drax adeptus, ſuæ ſalutis propriæ immemor, et monaſticæ honeſtatis prævaricator, illud notabile ſanctuarium, miro artificio et ſumptuoſo opere fabricatum, eccleſiam videlicet de Coldyngham, cum ejuſdem officinis, in qua erant imagines Crucifixi, noſtræ Dominæ, et aliorum, et, quod deterius eſt, homines† Chriſtianos ad veram imaginem Deificæ Trinitatis, ſed et, quod omni crudelitate horribilius eſt, ſacramentum corporis Chriſti, in quantum in eo erat, incendio per manus Sathanæ ſatellitum, ſuæ nationis Anglorum, fecit concremari ‡.

CAP. XXIV.

Qualiter, præmiſſis non obſtantibus, paſſus eſt quaſi Prior.

PRæmiſſis non obſtantibus, ingeſſit ſe regimini prioratûs, potioribus ⸸ à quibuſdam favoribus ampliatus. Propter quod ſtatutum fuit in concilio generali trium ſtatuum, domino rege Scotiæ Jacobo I. tunc in Anglia detento, omnem temporalitatem in manibus gubernatoris recognoſci: et conſequenter, in concilio cleri, omnes fructus eccleſiaſticos ejuſdem ſequeſtrari. Nec conſtat hucuſque prædicta debitè relaxari: quinimmo dictus Willelmus Drax fuit in ipſo concilio nominatim, cum omnibus ſuis ſatellitibus, complicibus, factoribus et fautoribus ſolemniter anathematizatus, et pro tali denunciatus. Et ideo non fuit conveniens ipſum de hujuſmodi nefando opere, quod tam exceſſivè in eccleſiam commiſit, ab eadem confoveri, vel inde commodum reportare; quanquam denuo illuc per Scotos reductus, vel ad minus

* *Tibi tam perceptibiliter voverunt*, MS. Cupr. † *Omnes Chriſtianos Scotos*, ibid.
‡ *Concremari procuravit*, ibid. ⸸ *Prioribus et etiam amplioribus*, ibid.

• admiſſus

admiſſus ſive permiſſus, tanquam ſerpens de quo ſuprà, in gremio regni, quendam notabilem nauclerum, Willelmum Alani nomine, modicâ occaſione, exploravit, et per Anglos arreſtari fecit et occidi, ac contemptibiliter non ſolùm decapitari, verumetiam in offenſam regiæ majeſtatis, cujus dictus Willelmus liegius fuit, ſuſpendi; et conſequenter ſuper ractas tanquam ſignum ad ſagittam et Anglis ad ammirandum in edito ligatum exponi. Propter hujuſmodi feloniam rege nimium commoto, ipſe Drax nunquam de poſt audebat regnum Scotiæ, dum rex advixerat, apertè intrare. Poſt cujus mortem ſtatim domeſticatus, et in prioratum à Scotis receptatus; et, eo mortuo, alius monachus Dunelmenſis, Johannes Ollis nomine, ibidem Prior collocatus.* Sic regni ludibrio ab Anglis exſtat ſtatus. Ad annalia redeamus.

Auditâ igitur captione villæ Berwici per Anglos, et cæde miſerabili nobilium de Fyſe, Scoti qui miſſi erant à rege Johanne pro ſuccurſu oppidi Berwici, eodem anno, quinto Kal. Maii,† congreſſi ſunt cum Anglis apud Dunbar; ubi nobilis miles Patricius de Grahame et multi nobiles ceciderunt vulnerati, ac alii quamplures milites et barones, ſpe vitam ſalvandi, ad caſtrum de Dunbar fugientes, prompto animo ibidem ſunt recepti; quos omnes numero LXX. milites, præter famoſos armigeros et alios valentes viros, unà cum Willelmo comite de Roſs, et‡ comite de Menteth, cuſtos ejuſdem caſtri Scotus, nomine Richardus Suard ⸸, tanquam ad occiſionem oblaturus, omnes regi Angliæ præſentavit: quos ſine miſericordia diverſis mortibus et pœnis ſtatim ſubire mandavit. Inter ceteros de bello evaſit quidam nobilis miles Walterus Suard nomine, cum uno tantum vernaculo haſtifero ſuo, natione Anglico, quem à pueritia pro Scoto enutrivit, et in quem ſpecialiùs confiſus eſt. Qui cùm inter villam de Muſkilburgh et Redſigot ſoli equitarent, miles famulo ſuo gravem querimoniam et quereloſam lamentationem ſingultuoſis lacrimis, pro Scotorum infortuniis, depromebat: Heu! inquit, natali ſolo per inimicos noſtros Anglos, in exterminium et in proximo redigendo; ſed et heu Richardo Suard olim conſanguineo meo civiliſſimo, nunc vero regni proditori perfidiſſimo! Qualiter mihi eſt vivere videre contritionem gentis meæ, cùm dantur caſtra in manibus inimicorum, apud quos æſtimati ſumus tanquam oves occiſionum. Hæc et his ſimilia conferens miles cum ſervo, quem præceſſit paſſu anxio, infidelis ſervus, opportunitate captatâ, dominum ſuum lugubrem in tergo

* *MS. Cupr. addit*, Sic deriſioni et ludibrio, quod dolenter inſinuo, ab inimicis Anglicis regni exſtat ſtatus. Tædet animam meam vitæ meæ; dimittam adverſum me eloquium meum. loquar in amaritudine animæ meæ: dicam, dicam; ſed, ſi veritatem dicam, vereor ne ſtultus dicer. Sed, O lector! ſi cupis ſcire quis eſt ſtultus, audi, non me, ſed Iſidorum ſic ſcribentem: Stultus eſt qui per ignominiam non commoveatur ad dolorem, et qui non movetur injuria. Vidi ego et cognovi in decente volumine et libro rubeo regiſtrum feofamenti et chartarum prioratus de Coldyngham, quod ſemper et ab initio, ut audivi, fuit in cuſtodia Scotorum, et in poſſeſſione quondam domini Johannis Stele prioris ejuſdem, qui poſtea fuit abbas de Londoris; quod regiſtrum venit ad manus epiſcopi tunc temporis S. Andreæ, circa annum Domini milleſimum quadringenteſimum vigeſimum quartum. Et abhinc infra biennium vidi et cognovi eundem librum in manus dicti Drax, qui adhuc eſt in cuſtodia Anglorum, in magnum, et ego reputo, præjudicium Scotorum. Tranſeant iſta et ſimilia, quia nos Scoti de modico non curamus, et ad intentum annalium ſtilum convertamus. † Prope locum qui Spot dicitur, *addit MS. D. G. M.* ‡ Pat. de Grahame et C. de Menteth, *ibid.* ⸸ *Al.* Seward.

lanceâ transfoſſit, et ad terram de equo projiciens, ſpatâ ſuâ impræmeditatum et indefenſum ſtatim jugulavit; qui in Sancta Cruce tumulatus, poſtea, ut præmiſimus, Willelmum Wallace ad proſcribendum Anglos de regno maximè commovit.

CAP. XXV.

De fautoribus Johannis de Balliolo et Roberti de Bruce, et reſponſis regis Angliæ Roberto de Bruce factis.

NOtandum eſt, quòd à prima diſſentionis materia mota inter nobiles viros de Bruce et Balliolo, ſuper jure ſuccedendi in regnum Scotiæ, erat ipſum regnum in duo diviſum. Aſſiſtebant enim Balliolo cuncti Comynenſes cum ſuis fautoribus univerſis: parti verò Roberti de Bruce, Roberto Glaſguenſi antiſtite indiſſolubili vinculo dilectionis firmiter aſſidente, ſub firma affinitatis confœderatione de Marr et Atholiæ, cum toto robore ſuæ potentiæ, comites adhæſerunt. Ob quam cauſam, juxta vulgarem opinionem, antedicti comites cum ſuis exercitibus, tam amore quàm favore partis de Bruce, die commiſſi belli antedicti, de campo fugerunt incolumes, et ſic parti adverſæ patuit ruina magna, ac hoſtis utriuſque quam lætâ et jocundâ potitus eſt victoriâ. Et ſicut guerranti regi Roberto de Bruce, cuncti fautores Ballioli poſtea in ſua guerra de proditione habebantur ſuſpecti; ita et in guerra ipſius Ballioli, epiſcopus et comites ſupradicti, cum omnibus fautoribus partis de Bruce, proditores regis et regni communiter ſunt reputati. Sed, proh dolor! pro hujuſmodi diſcordia innocens plebicula rapidis luporum morſibus patens, longa per terrarum ſpatia jacuit lacerata.

Adeptâ igitur de Scotis victoriâ apud Dunbar, ad regem Angliæ acceſſit Robertus de Bruce ſenior, petens ab eo ut, quod ſibi jamdudum promiſerat, quoad regni adeptionem, fideliter adimpleret. Cui ille antiquus doli artifex, cum indignatione non modica, in Gallica lingua ita reſpondit: *Ne avons nous autre choſe à faire, que à vous reaumys gagner?* Quod eſt dicere; Nunquid nil aliud habemus facere, quàm tibi regna lucrari? Per tale igitur reſponſum intelligens vir nobilis verſuti regis fallaciam, ad terras ſuas in Angliam receſſit, et in Scotia ultrà non comparuit. De captione caſtri de Dunbar habentur hæc metra:

Anno prædicto cepit rex, agmine ſtricto,
Caſtrum de Dunbar: fraus fraudi non fuit impar.
Quo multi capti fuerant, et carcere truſi.
Hoc poſt in Maias quinto dic eſſe kalendas.
Hic rex ſic totam Scotiam fecit ſibi notam:
Qui ſine menſura tulit inde jocalia plura,
Et pariter lapidem, Scotorum quem fore ſedem
Regum decrevit fatum; quod ſic inolevit:
Ni fallat fatum Scoti, quocunque locatum
Invenient lapidem, regnare tenentur ibidem.

CAP.

CAP. XXVI.

De captione R. Johannis, et reſignatione regni in manus regis Angliæ.

PRogrediens inde rex Eadwardus, traditis ſibi caſtris, de Dunbar, Edinburgh, et de Strivelyne, ſecutus eſt Johannem regem Scotiæ prædictum uſque caſtrum de Forfar, cui occurrens Johannes Comyn dominus de Strabolgy ad ejus pacem venit. Qui ſtatim poſt, juxta relationem quorundam, ipſum Johannem regem ad caſtrum de Montroiſſe cum Eadwardo filio ſuo de Abirdene callidè reduxit: ubi advenienti rẽgi Angliæ in prædicto caſtro de Montroiſſe idem Johannes rex, regiis exutus ornamentis, et virgam albam in manu tenens, (vi et metu vitæ ductus, infrà eodem libro, cap. lxiij. cum ſequen. ut patet) omne jus quod habuit, vel habere potuit, in regno Scotiæ, cum fuſte et baculo ſurſum reddidit, et in manu regis Angliæ reſignavit, et ſuper hujuſmodi reſignatione literam ſuam ſibi tradidit, hujuſmodi ſub tenore.

Copia literæ regis Scotiæ, de reſignatione regni in manu regis Angliæ.

JOHANNES Dei gratia rex Scotorum, univerſis præſentes literas inſpecturis ſalutem. Cùm perverſorum quorundam inſtigatione, ac pravo conſilio noſtrorum nuper allecti, fatue pariter fraudulenterque decepti, graviter offendimus, ad motivam iracundiam provocantes inclitum principem ac dominum noſtrum dominum Eadwardum Dei gratiâ regem Angliæ, dominum Hiberniæ, ac ducem Aquitaniæ proprio inſtinctu diverſimodè, præcipuéque inter cetera, cùm nos, ſub ſua fide, homagio et ſecuritate commorantes, tanquam fertiliter et modeſtè vivere recuſantes, ac potius finaliter perſiſtere neſcientes, mutuæ connexionis jugum, fœdus ac vinculum confœderationis inconſultè cum rege Franciæ inierimus, filiam domini Caroli germani ſui, ad majorem hujus innodationis evidentiam, ad maritale conjugium filio noſtro Eadwardo, heredi regni Scotiæ poſtulantes, ad dicti domini noſtri regis Angliæ injuriam non modicam et gravamen, ſuo capitali inimico ſic offenſi inhærendo, et, in læſuram et detrimentum ſuæ regiæ majeſtatis, contra ſe et ſuos in terrarum deſtructionibus, ſuarum gentium ac ſubditorum ſuorum deprædationibus, necnon et guerrarum diris invaſionibus, pro poſſe noſtro acriter inſurgendo. Ceteris etiam prætermiſſis, ipſa noſtra circumplexa tortuoſitas in tantum prævaluit, et animi noſtri ferocitatem taliter excæcavit, quòd dicti domini noſtri fidem, dominium ac fidelitatem infrænatè † dirimentes, ac ex toto penitus ‡ aſpernentes, præmiſſis damnatorum exactionibus ac guerrinis prædarum depopula-

* *Addunt libri Cup. et Per.* Sed et hoc fecit vi et armis ac metu, quæ poſſent cadere in virum conſtantem. Adjuncta et adducta ſecum omnimoda potentia Angliæ, Walliæ et Hiberniæ, et cum non modico ſubſidio comitis Sabaudiæ, qui perſonaliter fuit ibi, cum magna parte potentiæ Vaſconiæ, ſuperius dominium tunc tam ſede Romana quam regno Scotiæ vacante, contra Deum et juſtitiam uſurpavit; ſicut inferius clarius patebit libro ſequenti, apud proceſſum Baldredi Biſet. Super autem hujuſmodi reſignatione de facto extorta, rex Johannes, poſtquam ſigillum ſuum ab ipſius cancellario per vim et metum fuerat ablatum, literam ab amicis dictatam et conſcriptam invite paſſus eſt ſub hujuſmodi tenore pertranſire.

† *Al.* refrenate. ‡ *Al.* pariter.

tionibus,

tionibus, homines noſtros ac terræ noſtræ ſubditos in caſtris, villis, munitionibus et oppidis ad feodum dicti domini noſtri de jure, infra terram Scotiæ, liberè ſpectantibus, ſeu ritè ſpectare debentibus, ad ipſius dicti domini noſtri commoda, libertates, ac feodum dirumpendum atrociter poneremus. Malignis ergo noſtris actibus promerentibus, et dicti domini noſtri rancorem et indignationem aſperrimam ſuſcitantibus ac protervè, idem dominus noſter manu potenti et forti armorum potentiâ terram Scotiæ hoſtiliter eſt ingreſſus, viribus eam potiſſimis debellando, et ſuæ ſubjectioni iterum ſubponendo, poſſe noſtro ſeu potentiâ quoad reſiſtendum audaciam ſeu vigorem non proficientibus quoviſmodo. Quam nihilominus invaſionem ac hoſtilem ſuppeditationem ipſe, quemadmodum ſuperior dominus, juſtè infeodatus, liberè poteſt facere et de jure; cùm nos ſuum homagium unà cum fide ac fidelitate, ut prædicitur, abnegaverimus, damnis, injuriis et gravaminibus illatis ſibi et ſuis tam multipliciter prænotatis. Nos igitur, damna præmiſſa ad votum redimere cupientes, mero arbitrio et libero noſtro, liberâ ac plenariâ poteſtate, prædicto domino noſtro reddimus, voluntariè et gratuitè reſignamus totam terram Scotiæ prædictam, cum omnibus et ſingulis gentibus, incolis et habitatoribus ſuis, unà cum homagiis et liegantiis univerſis. In cujus teſtimonium has literas noſtras domino noſtro regi fieri fecimus patentes, decimo die menſis Julii, anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo ſexto, et regni noſtri quarto.

CAP. XXVII.

Quomodo communitas Scotiæ fecit homagium regi Angliæ, et magnates conjuraverunt pro tuitione regni.

POST igitur hujuſmodi indebitam et illicitam regni reſignationem, dictum Johannem exregem, unà cum Eadwardo filio ſuo, Eadwardus rex Angliæ, paucis interjectis diebus, navali fecit vehiculo Londonias deduci, ibique utrumque, per tempora non modica, arctiùs cuſtodiri. Sed proceſſu temporis pater liberatus eſt, filio retento, præſtito tamen priùs juramento graviſſimo, quòd in regno Scotiæ prædicto jus regnandi nunquam vendicaret. Et ſic reſtitutus ad terras ſuas de Balliolo in Francia, longè poſt hoc diem clauſit extremum: ad cujus patrimonium in Francia permiſſus eſt et redditus Eadwardus filius ejus, ſub prioris debito juramenti. Et ibi manſit, poſt obitum patris ſui, uſque ad præparationem guerræ ſuæ, quæ mota eſt et incœpta apud bellum de Duplyn. Et ſic finitum eſt regimen regis Johannis de Balliolo, qui regnavit annis tribus cum dimidio. Movit ſe tandem Eadwardus rex, poſt reſignationem regni, Berwicum, ubi univerſaliter omnes de Scotia citavit, tam clerum quàm populum, ad ſibi fidelitatem præſtandum: qui, pro majore parte comparentes, more ſuo fecerunt ſibi fidelitatem et homagium, redditis ſibi caſtris, et munitionibus, et villis firmatis; qui tamen nullos, paucis exceptis, cuſtodes caſtrorum, ballivos villarum, vel miniſtros officiorum regalium, qui regibus Scotiæ, ex antiqua conſuetudine ſeu hereditario jure, conſueverant miniſtrare

ſtrare in aliquo permutavit: ſed omnes, exceptis cuſtodibus caſtrorum capitalium burgorum, in ſtatu eodem et officiis, quibus priùs miniſtrabant, recepto ab eiſdem fidelitatis juramento, ſtare toleravit; et confeſtim ad propria feſtinavit; ordinato poſt eum Hugone de Creſſingham locum tenente ſive cuſtode Scotiæ. Ipſe verò rex Eadwardus, in maleficio ſuo ſatis vigil, credens ſe ſatis ſecurum de humili Scotorum ſubjectione, collegit exercitum copioſum, et, paratâ claſſe, diſpoſuit ſe Francorum regem Philippum debellare. Interim verò, ſtatim poſt ipſius de Anglia paſſagium, magnates Scotiæ, tam Anglicati pro majore parte, quàm alii, apud Sconam ſuum parliamentum ordinaverunt, ubi duodecim pares, ſive cuſtodes, conſtituti ſunt ad tuitionem et defenſionem libertatis regni et communitatis ejuſdem. Et, ut talis ordinatio majoris firmitatis robur obtineret, pro mutuis favoribus, conſiliis et auxiliis ſibi futuris temporibus impendendis, adinvicem ſunt jurati. Poſt hæc inſtaurant caſtra, reparant ruinoſa, ponunt cuſtodes fideles in locis tutioribus, et præparant ſe fortiter ad reſiſtendum contrà nequiſſimi regis Angliæ uſurpationem violentam. Unde unus de præcipuis regni cuſtodibus, Johannes Comyn comes de Buchan, eodem anno, pro humilianda et extenuanda ejuſdem regis potentia, dux eligitur; et cum grandi exercitu partes Angliæ boreales ferro et flammâ deſtruxit, monaſterium de Lanercoſt et Exhame igne combuſſit, villam de Kaerleolo obſeſſit, et ab eo, infecto negotio, receſſit, anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo ſeptimo. Quo anno præfatus rex Eadwardus de Flandria in Angliam, infecto negotio belli contra regem Franciæ, rediit; eo quòd appunctuatum erat, fide præſtitâ de matrimonio contrahendo cum ipſo Eadwardo et domina Margareta ſorore Philippi regis: congregavitque exercitum copioſum ad debellandum terram Scotiæ, tam calliditate quàm potentiâ.

CAP. XXVIII.

De primordiis Willelmi Wallace.

EOdem anno, inclitus ille bellator Willelmus Wallace, Anglicorum malleus et flagellum, filius nobilis militis ejuſdem nominis, caput levavit; et videns contritionem gentis ſuæ, et poſſeſſiones Scotorum datas in manus inimicorum, emarcuit cor ejus, et condoluit valdè. Erat enim ſtaturâ procerus, corpore giganteus, facie ſerenus, vultu jocundus, humeris latus, oſſibus groſſus, ventre congruus, lateribus protelus, aſpectu gratus, ſed viſu ferus; renibus amplus, brachiis et cruribus vigoroſus; pugil acerrimus, et omnibus artubus fortiſſimus et compactus. Inſuper ſic eum Altiſſimus, et ipſius vultum varium quâdam hilaritate favorabili inſigniverat, ita dicta et facta illius quodam cœleſti dono gratificaverat, ut omnium fidorum corda Scotorum ſolo aſpectu ſibi conciliaret in gratiam et favorem. Et nec mirum: erat enim in donis liberaliſſimus, in judiciis æquiſſimus, in conſolatione triſtium compatientiſſimus, in conſilio peritiſſimus, in ſufferentia patientiſſimus, in locutione luculentiſſimus, ſuper omnia falſitatem et mendacia proſequens, ac proditionem deteſtans: propter quod fuit Domi-

nus cum eo, per quem erat vir in cunctis prosperè agens; ecclesiam venerans, ecclesiasticos reverens, pauperes et viduas sustentans, pupillos et orphanos refovens, oppressos relevans, furibus et raptoribus insidians, et sine pretio super eos justitiam exercens et rigorem.* Cujuscemodi justis operibus, quia quam maximè Deum gratificabat, ipse propterea omnia ejus opera dirigebat. Hic, quasi in principio militiæ suæ, vicecomitem de Lanark Willelmum de Hesliope Anglicum, virum strenuum armis et potentem militem, in villa de Lanark interfecit. Ex eo igitur tempore, quasi apes ad examen, congregati sunt ad eum omnes qui erant amaro animo, et oppressi pondere servitutis sub intolerabili principatu Anglicanæ dominationis. Et factus est eorum dux. Erat enim, ut præmisimus, miræ fortitudinis et audaciæ, decorus aspectu, dapsilis, et liberalitatis immensæ†, sanguine clarus: cujus parentes militari honore præfulgebant; cujus frater senior miles Andreas nomine, et militiæ cingulo succinctus, Anglorum fraude interemptus, pro statu suo patrimonium sufficiens habuit in terris, quod et suis posteris tenendum reliquit. Hic undique‡, custos regni deputatus, Anglicos prosternens, et quotidie proficiens, in brevi tempore omnes magnates Scotiæ*, vi et virtute probitatis suæ, velint, nolint, suo subjecit imperio.† Et si quis de magnatibus gratis suis non obediret mandatis, hunc tenuit et coërcuit, et custodiæ mancipavit, donec suis bene placitis penitus obtemperaret. Et sic pacatis omnibus, viriliter se contulit ad expugnanda castra et villas firmatas, in quibus Anglici principabantur, per omnia patriæ liberationi, et subversioni inimicorum, solerter intendens; et quod violentâ virtute non valuit, id sagaciori cautelâ ad effectum perducere studuit. Nam ad executionem cujuscunque sui propositi hortatus est suos commilitones unanimiter semper pugnam pro libertate patriæ se fore congressuros**. Et de omnium suorum sequacium multitudine sub pœna capitis statuit, ut coram se semper collocatis mediocrum personarum inferioribus, sive, ut apparuit, minus robore valentibus, unus de quinque qui super alios quatuor ex omnibus quinariis eligatur, qui quaternio nuncupetur, ejusque præcepto in omni-

* Quia hujusmodi justis operibus alacrius insistebat, propterea Altissimus omnia ejus opera dirigebat. Cum itaque quasi in principio militiæ suæ, ipse rebus inops sed generosus, ipse solus sed vigorosus, ipse despectus sed animosus, vicecomitem de Lanark Willelmum de Hesliope Anglicum, virum strenuum armis et potentem militem, in villa de Lanark interfecisset, et diversis assultibus diversos elatos et potentes Anglicos armorum phalangis conglobatos, ipse, interdum solus, interdum paucis comitatus, strenue et feliciter devicisset, et de finibus patriæ hinc inde eliminasset, &c. *MS. Cuprensis.* † Circumspectus et gnarus, genere et generositate præclarus, *Ibid.* ‡ Custos regni deputatus est. Nam revelatione mirifica ostensum est fide dignioribus diversis, sanctissimum Apostolum Andream, regni Scotiæ protectorem et patronum, dicto Willelmo Wallace gladium cruentatum manualiter commisisse, stricte sibi præcipiendo eo utrobique uti ad defensionem regni Anglicos propulsando. Custos itaque effectus, misit manum suam ad fortia, Anglicos prosternens, Anglicatos reconcilians, oppressos relevans, et quotidianis incrementis proficiens, *Ibid.* * Qui indignabantur legibus suis subdi, *addit idem.* † Æqualiter pro personarum qualitate tam parvum quam magnum rectificans, alterum non lædens, sed quod suum erat unicuique dijudicans et tribuens, *Ibid.* ** Et inimicos non formidare: hoc sæpius Scotis repetens, quod vere pro patria tuta est pugna, in qua pugnantem nec vulneratum nec prostratum conculcat fraudalis victoria: tantum ne fugiamus. Sola causa qua inimicis parare poterimus victoriam fuga est. Fugiendo possumus illam amittere, moriendo nequaquam: et beati si pro libertate nostra, quam nobis autor naturæ indidit, pugnando moriamur; quia mox coronabimur. Et ne de facili sui præsidio fugæ consulerent, &c. *Ibid.*

bus

bus ab illis obediatur, et qui non obedierit occidatur. Similiter etiam, ſemper ad robuſtiores et valentiores aſcendendo, ſuper novem ſcilicet decimus, qui decurio dicatur, et ſuper novemdecim viceſimus, et ſic uſque ad mille, qui chiliarcha, et ultrà uſque ad ſummum aſcendendo: tandem ipſe ſuper omnes excellens armiductor et campiductor habeatur; cui omnes, uſque ad mortem, obedire teneantur. Omnes autem hanc legem ſive pro lege concorditer approbantes *, ipſum in capitaneum elegerunt, et prædictum ſtatutum ſe uſque ad regem legitimè ſucceſſurum † ſervaturos promiſerunt.

CAP. XXIX.

Quomodo Northumbriam deſtruxit.

FAMA igitur Willelmi Wallace ubique ventilatâ, tandem ad aures regis Angliæ, proclamante damno ſuis illato, pervenit. Qui arduis negotiis alibi multipliciter intentus, ſuum theſaurarium Hugonem de Creſſinghame, cum magna potentia, ad reprimendam ipſius Willelmi audaciam, et regnum Scotiæ ſibi ſubjugandum, deſtinavit. Audito igitur tanti viri cum armata manu adventu, prædictus Willelmus, tunc circa obſeſſionem Anglicorum in caſtro de Dundé exiſtentium occupatus, ſtatim, commiſſâ curâ et diligentiâ obſeſſionis caſtri ejuſdem villæ burgenſibus, ſub pœna amiſſionis vitæ et membrorum, cum ſuo exercitu ſub omni feſtinatione verſus Strivelyne, eidem Hugoni obvius proceſſit: et gravi bello commiſſo, apud pontem de Strivelyne, tertio Idus Septembris A. Dom. milleſimo ducenteſimo nonageſimo ſeptimo, idem Hugo de Creſſinghame interfectus eſt, et cunctus ejus exercitus in fugam converſus; aliis ex ipſis gladiis jugulatis, aliis captis, aliis aquis ſubmerſis: ſed cunctis Dei virtute ſuperatis, prædictus Willelmus, cum laude non modica, felici potitus eſt victoriâ. Ex cujus parte de numero nobilium Scotiæ ſolus Andreas de Moravia, pater Andreæ nobilis, vulneratus occubuit ‡. De hoc bello habentur hujuſmodi metra:

Ex quo cor validum Scoti ſumpſere, movente
Willelmo Wallace, et eos guerrare docente,
Ut, quos captivos tenuit gens Anglica vivos,
Ad propriam Scotos facerent patriam redivivos:
Inſuper ut regem facerent regnare Johannem
In regno proprio; quia ſi vellent alieno
Regi ſervire, poſſent ſua jura perire.
Hinc tercenteno milleno ter minus uno
Annorum Domini dicuntur vincere Scoti
Anglos infeſtos; quos reddunt funere mæſtos:
Ut pons teſtatur, ubi bellum grande notatur,
Qui Strivelyn juxta Forth amnem conditur ultrà.
Septembris terno fuit Idus iſta ſuperno
Dono devotis gratia facta Scotis.

* Quamvis nonnulli magnatum corde tenus diſſecabantur, *addunt MSS. Cupren. et Perth.*
† Affuturum, *ibid.* ‡ Cecidit vulneratus, *edit. H.* gladio occubuit, *MS. D. G. M.*

Poſt

Poſt iſtiuſmodi igitur triumphalem victoriam, feſtinavit ſe cuſtos Scotiæ prædictus Will. Wallace ad continuandam obſidionem caſtri de Dundé. Ad cujus adventum cuſtodes Anglici perterriti, ob fortunatam Strivelenſem victoriam, cum ingenti armorum et theſauri copia, nullâ pactione præmiſſâ, ad deditionem caſtri ipſos coëgit. Quo audito, ſuper reliquos hoſtes irruit timor et tremor. Ac ipſe cuſtos cetera caſtella et municipia, quæ de manu noſtrorum rapuerant Angli, quædam ad ſolum diruit, quædam firmæ cuſtodiæ Scotorum committit, nonnulla etiam vacua dimittit. Appropinquante verò autumnali tempore, maxima in regno ingruit cariſtia et victualium inopia, deficientibus undique granis auræ inclementiâ. Propter quod, ſegetibus in areis et horreis introductis, ſummonere fecit cuſtos univerſos et ſingulos Scotos patriæ defenſibiles, ut terram inimicorum invaderent, et ibidem victitarent; necnon ad tranſigendam inibi ratam hyemalem, ad parcendum ſuis propriis victualibus permodicis, in areis, ut præmiſimus, congregatis. De omni igitur vicecomitatu et ſchira, baronia et dominio, oppido et villagio, civitate et burgo, atque prædio ruſticano habebat ſpeciales matriculas, virorum ad bellandum infra ſedecim et ſexaginta annos nomina continentes: ita ut nec unus quidem abſque ipſius ſcientia, tempore et loco ſtatutis, abeſſe poterat inperceptus; quinetiam ſtatuit ſanctione pragmaticâ, quòd non ſolùm in omni baronia, ſed etiam ad omnem valentem villam patibulum erigeretur, quibus ſuſpenderentur omnes ſe ab exercitu ſummoniti, ſine rationabili cauſa ſubterfugia confingentes. Quod et factum eſt. Nam et ipſe cum immani exercitu expeditionem faciens, et nonnullos burgenſes de Abirden et alios non veniſſe comperiens, conſtituit, ut præmiſimus, quaterniones, pentatarchos, decuriones, centuriones, et chiliarchos, et hujuſmodi, ad ſibi præſidendum commiſſis *, et verſus Angliam ante feſtum omnium Sanctorum iter arripiendum; ipſe, cum admodum paucis, omni feſtinantiâ habenas retorſit, et apud Abirden, et in confinibus, inexcuſatos, qui poſt exercitum remanſerant, ſuſpendio punivit, et ad exercitum celeriùs credito rediit: ubi totam Northumbriam uſque Novumcaſtrum conculcans et devaſtans, à feſto omnium Sanctorum uſque ad purificationem noſtræ Dominæ, vel ad minus, ut quidam libri chronigraphizant, cum ſuo exercitu in Anglia uſque ad Natale Domini, hyemavit: et combuſtâ totâ terrâ de Allirdale, abductis prædis, cum ſuis ſpoliis ditatis Scotis, ſanus ad propria rediit et ſecurus.

CAP. XXX.

Quomodo ſine pugna cuſtos Scotiæ Willelmus fugavit et devicit Anglos.

HÆC audiens rex Eadwardus, rabidâ ſuccenſus irâ, et ſeipſum præ dolore non ſuſtinens, guerrare regem Franciæ, ut diſpoſuit,† intermiſit; quod utique Gallicis ad maximam ceſſit conſolationem. Nam, judicio quorundam, ſi Scoti tunc illum, per guerrarum molimina, de Gallia non revocaſſent, major pars domûs Franciæ in pendulo

* Præſidendum de exercitu, *MSS. Cupr. et Perth.* † Facilius de matrimonio contrahendo cum ſorore regis Franciæ conſentiens, *hic addit lib. Cupr.*

perſtitiſſet.

perſtitiſſet. Divertens igitur rex Eadwardus à Galliis, petiit terras proprias, ubi attendens ſtrages et depopulationes per Scotos ſibi et ſuis illatas, ſcripſit cuſtodi Scotiæ Willelmo Wallace literas comminatorias, dicens inter cetera; " Quòd ſi ipſe rex in regno ſuo perſtetiſſet, non " auſus fuiſſet Wallace talia attemptâſſe: ſed ſi auderet Angliam re- " invadere, manus ipſius regis ſibi et ſuis præſto ultrices vindictam de " præſumptione ſentiret expetere." Quid plura? Auditâ Willelmus regis proterviâ et comminabili jactantiâ, ſibi nuncium remiſit, " Se " citra ſolemnitatem Paſchalem regnum ſuum denuo reviſurum." Congregatis igitur hinc inde utriuſque regni exercitibus, prope Stanmore deventum eſt veriſimiliter ad conflictum. Ubi, ex parte Scotorum, tirones et cordatus juventus militiæ licentiam à cuſtode petierunt, ut ante aciem poſſent, pro ipſorum calcaribus deaurandis, Anglos experiri. Quod fieri uſquequaque non ſinens, præcepit voce præconis omnibus, ſub pœna capitis, ordinem eis præinſertum ſervare, ac gravitate ſolitâ necnon maturitate præconceptâ incedere. Cùm ex adverſo rex Angliæ cum innumerabili quaſi multitudine et pompoſo lituorum et tubarum clangore perſtrepens, prætendebat ſe exercitum Scotorum, quaſi non difficili, correpturum.

Sed cùm cerneret rex Scotos ſapienter unanimi et ſolido inceſſu procedentes, non diſtantes per medium miliaris à congreſſu ſuorum commilitonum, conſilio ſe cum ſuis regirans, locum dedit malitiæ hujus horæ. Quod videntes Scoti, voluerunt unanimiter regem perſequi fugientem, Sed ne hoc etiam fieret, cuſtos ſub amiſſione vitæ interdixit, dicens, Quòd inter certamina inter regna, præaudita figura fuit pulcerrimæ victoriæ, attendere magnanimem regem Angliæ, in ſolo quod ſuum eſſe dicebat, cum ſuis regalibus concionibus et metuendis ſatrapis, à minùtis communienſibus et patriotis Scotiæ terga dediſſe, nondum exacto gladio parte ex adverſa. Quo ſermone ab ore ejus mellito ab univerſo Scotorum exercitu audito, de equis deſcendentes, et ad terram ſe proſternentes, Deum glorificaverunt et S. Andream, necnon pium confeſſorem Cuthbertum in cujus memoriali de hoc ſeculo tranſitu hæc dies celebris agebatur: quia, per talis gubernatoris induſtriam et tutelam, inimicorum virtus emarcuit et potentia; et tam ipſi Scoti, quàm Scotia, laude perenni tam prædicabilis victoriæ conſecuti ſunt inſignia. Ferunt tamen Angli, quòd rex non fuit ibi præſens in perſona, ſed in tunica armorum alius ſibi ſimilis refulſit. De præmiſſis hujuſmodi habentur metra, ad bellum pontis de Strivelyne conſequentia:

Congregat hinc Scotos dictus cognomine Wallace,
Sicut grana legit, quod fertur Gallicè Valais.
Anglos proſequitur, ut bellum continuaret,
Et libertatem Scotiæ bello renovaret.
Tunc Anglicorum ſubverſio tantaque talis,
Quam nunquam ſimilem ſentivit pars borealis.
Uſque Novum-caſtrum periit Northumbria tota:
Sic verſus Stanmor complent Scoti ſua vota.
Anno præfato Domini redeunt iterato,
Angli Berwico pugnaturi, tibi dico,

Feſto Cuthberti, vernali tempore, certi.
Scoti ſpectabant, campo pugnare putabant,
Ut promiſerunt Angli: ſed non tenuerunt
Quod promiſerunt, ſtatim ſed terga dederunt.
Quod cùm viderent Scoti, triſtes abierunt,
Reciprocæ regis fert Anglia dedecus ægis.
Concio Scotena, collaudans dona ſuprema,
Et ſi non plena, grates tamen fert ut egena.
Surgit et exultat domus omnis, laude reſultat,
Cùm rex aufugit: hinc triſtior Anglia mugit.

CAP. XXXI.

De conſpiratione contra cuſtodem concepta per magnates.

SCotia igitur mirabiliter, immo feliciter, ſagacitate cuſtodis reſpirans, cùm unuſquiſque in ſuo perſiſteret ſecurè, et terram, ut ſolito, coleret, ſæpiſſimèque de inimicis triumpharet; magnates et potentiores regni, fonte invidiæ debriati, conjurationem clandeſtinam contra cuſtodem, vultus virgineos ſibi prætendentes, ſed caudis ad invicem colligatis, ſeditioſè confinxerunt. Unde quidam, qui ſuis per ipſum municipiis ac dominiis erant reſtituti, excluſis penitus ab eiſdem Anglicis, elato corde et rancoroſo animo ſuſurrabant *, ad invicem dicentes, *Nolumus hunc regnare ſuper nos.* Plebeii tamen et populares, unà cum pluribus de nobilioribus, quorum mens ſanior erat, et ad rempublicam proclivior, laudabant Deum, eo quòd ipſi, per talem propugnatorem, ab æmulorum auſibus erepti, propriis poterant laribus confoveri. O ſtolida fatuitas fatuorum! Wallace non ſe ingeſſit ad regnandum, ſed, amotis priùs nominatis cuſtodibus, electione ſtatuum erigitur in rectorem. Et cùm tu, Scotia! acephala teipſam defendere nequiveras, ipſe brachium tibi exſtiterat immane, et ſalus in tempore tribulationis. O æmula invidia! cur in tantum dominaris in Scotia? Scotorum, proh dolor! natura eſt odire non ſolùm alienæ, ſed et propriæ patriotæ felicitati. Et hoc reſpectu inferiorum, ne ſibi coæquentur; reſpectu ſuperiorum, quia eis non æquantur; et reſpectu parium, qui ſibi æquiparantur. In hoc poterunt aſſimilari Cain, qui invidit Abel proſperitati; Rachel Liæ fœcunditati; Saul David felicitati; et, ut ita dicam, Scotis Wallace magnanimitati. Sic per invidiam procuratus eſt lapſus cleri, ruina populi, et caſus regni.

* * *Deſiderantur capita* XXXII. *et* XXXIII. *in MSS. noſtris.* * *

CAP. XXXIV.

De bello Variæ-capellæ, et aliis.

ANNO Gratiæ milleſimo ducenteſimo nonageſimo octavo, rex Angliæ moleſtè ferens damna et anguſtias ſibi et ſuis per Willelmum Wallace multipliciter illata, congregato grandi exercitu, partes

* *Submurmurabant*, MSS. Cupr. et Perth.

Scotiæ

Scotiæ hoſtiliter intravit, habens ſecum in ſuum auxilium quoſdam de nobilibus Scotiæ. Cui occurrens prædictus Willelmus cum ceteris magnatibus dicti regni, commiſſo gravi bello juxta Variam-capellam, xj. Kal. Auguſti, in feſto S. Mariæ Magdalenæ, non ſine gravi damno tam procerum quàm mediocrium gentis Scoticanæ, in fugam converſus eſt. Nam, propter conceptam malitiam, ex fonte invidiæ generatam, quam erga dictum Willelmum Comynenſes habebant, cum ſuis complicibus campum deſerentes, illæſi evaſerunt. Cognitâ autem eorum malitiâ antedictus Willelmus, ſe et ſuos ſalvare deſiderans, per aliam viam fugere feſtinavit. Quos inſequens ex adverſo Robertus de Bruce, cùm inter utriuſque militiæ cohortes profunda et quaſi immeabilis vallis effoſſata appareret, fertur ipſum Robertum elatâ voce clamare ad Willelmum, quærens, Quis eum coëgit talia præſumere, ut, in contrarium altipotentiæ regis Angliæ et potioris partis Scotiæ, tam temerariè contenderet decertare. Ad quem fertur Willelmum hujuſmodi dediſſe reſponſum: "Tua, O Roberte! Roberte! inertia et effeminata ignavia "me ſtimulant et provocant ad tuæ juris patriæ liberationem: ſed et "nunc ſemivir de cubilibus ad aciem, de umbra ad ſolem progreſſu-"rus, cujus corpus delicatum, mollibus aſſuetum, pondus prælii pro "patriæ propriæ liberatione, loricæ onus ſegniter aſſumens, me ſic "præſumentem, quin fortè et inſipientem, effecit, et ad hæc inten-"tanda ſive capeſſenda coëgit." His dictis perniciori fugæ conſulens Willelmus ipſe cum ſuis repoſcit tutiora. Propter quod ipſe Robertus, quaſi de gravi ſomno evigilans, efficacia verborum Wallace in tantum cor ejus invaſit, quòd ultra non habuit conceptum favere Anglorum opinioni. Unde ſeipſo quotidie fortior effectus, conſervabat omnia verba hæc ab amico ſuo fideli prolata, conferens in corde ſuo. In quo prævaluit quod ſcribit SENECA, dicens; "Habet hoc optimum gene-"roſus animus, quòd de facili concitatur ad honeſta. Neminem "excelſi ingenii virum vilia delectant. Felix qui alterius conſultu "ad meliora impetum animi dedit. Ponit ſe extra conditionem for-"tunæ; proſpera temptabit, adverſa comminuet, et alia admiranda "deſpiciet." Willelmo igitur Wallace cum ſuis ex acie dilapſis, proh dolor! utriuſque regni * ſuperbiâ et ardenti invidiâ, nobilis communitas Scotiæ per montes et colles, valles et planities, miſerabiliter jacuit proſtrata. Inter quos, de numero nobilium valentiſſimus miles Johannes Seneſcallus † cum ſuis Brandanis, et Macduff comes de Fyfe cum ejuſdem incolis, penitus ſunt extincti. Communiter autem dicitur, Robertum de Bruce, qui poſtea fuit rex Scotiæ, ſed tunc pro parte ſtetit regis Angliæ, per ſuam induſtriam huic victoriæ occaſionem præſtitiſſe. Cùm enim Scoti in ſuis aciebus perſiſterent invicti, et nullâ vi vel arte poterant penetrari, idem Robertus cum una acie, cui præerat Antonius de Bek, unum montem longi itineris circumiens, ex adverſo poſt terga in Scotos irruit; et ſic illi, qui in parte anteriori impenetrabiles ſteterunt et invicti, à parte poſteriori callidè ſunt ſuperati. Et eſt notandum, quòd nunquam vel rarò legitur ab Anglicis

* Vox *regni* à manu interpolatoris eſt, nec occurrit in editione Hearnii, ubi hæc ſuperbia et invidia W. Wallace et Cominiis vitio dantur, quod de priore diſſimulat Buchananus ut etiam alii è recentioribus. † Seuer, *edit. H.* Seneſcalli, *MS. D. G. M.*

Scotos

Scotos fuiſſe ſuperatos, niſi invidiâ procerum, vel fraude et deceptione indigenarum, ad aliam partem ſe transferentium.

Poſt prædictam ergo victoriam inimicis conceſſam per Scotigenarum proditionem, intelligens ſupradictus Willelmus Wallace, ex his et aliis probabilibus argumentis, prædictorum Comynenſium et ſuorum fautorum manifeſtam nequitiam, eligenſque magis ſubeſſe cum plebe, quàm cum ejus ruina et gravi populi præeſſe diſpendio, non diu poſt bellum Variæ-capellæ apud aquam de Forth, officium cuſtodis ſponte reſignavit *. Poſt quem eodem anno à Scotigenis electus eſt Johannes Comyn filius cuſtos Scotiæ; qui ſtetit in eodem officio uſque ad tempus quo idem Johannes venit ad pacem regis Angliæ, anno ſciz. proximo poſt conflictum de Roſlyn: ſed infra idem tempus aſſociatus eſt ſibi Johannes de Sowlis per Johannem de Balliolo, tunc à carcere deliberatum et in terris de Balliolo commorantem, qui curam et regimen diu non tenuit. Sed, pro eo quòd ſimplex et minus rigoroſus, aliquoties paſſus repulſam, deſpectui habebatur. Propter quod Scotiam relinquens ſeceſſit in Franciam, et ibi mortuus eſt.

CAP. XXXV.

De treugis conceſſis communitati Scotiæ, ad inſtantiam regis Franciæ, et nunciis miſſis Romanæ curiæ.

PHilippus rex Franciæ † miſit unum notabilem clericum nomine Petrum de Mouncy, et valentem militem Johannem de Barroſe nomine, ad Eadwardum regem Angliæ, pro treugis capiendis inter ipſum Eadwardum et acephalam communitatem Scotiæ. Ad cujus inſtantiam idem rex Angliæ conceſſit treugas pro regno Scotiæ, à feſto omnium Sanctorum anni ſupradicti, uſque ad Pentecoſten proximum ſequentem. Nec illas treugas concedere volebat ad inſtantiam regis Franciæ, tanquam aliquo pacto confœderati ad regnum Scotiæ, ſed tanquam ipſius conſanguinei et ſoceri ſive fratris legalis ‡, cujus ſororem Margaretam nomine circa idem tempus affidavit, et anno ſequenti, id eſt Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo nono, apud Cantuariam duxit in uxorem. Quo anno currebant Polardi et Crocardi in Anglia. Et interim ſolvit clerus Angliæ decimam, ſecundùm taxationem Norwi-

* *Al.* dereliquit. * Officium cuſtodis ſponte dereliquit poſt conflictum de Roſlyn, ejus inſtructione commiſſum; quia, ut quidam volunt, promiſſionem fecit, ſe Scotiam non deſerere, donec veriſimiliter videret ipſam adhuc ſemel de inimicis triumphare. Poſt enim conflictum de Roſlyn Wallace aſcenſa navi Franciam petiit; ubi quanta probitate refulſit, tam ſuper mare à piratis quam in Francia ab Anglis perpeſſus eſt diſcrimina, et viriliter ſe habuit, nonnulla carmina, tam in ipſa Francia quam Scotia, atteſtantur. Cum rege enim Franciæ Philippo digno habebatur honore, venerabatur præconio, et mulcebatur alloquio, ac ad ſecum commorandum pro perpetuo grandia promittebantur territoria, et, tam in pagis quam urbibus, prædia quamplurima ac dominia fuerant ſibi conceſſa. Sed ipſe ſolo paterno et naturali affectione ad modum Scotorum allectus, poſt ipſius à Scotia receſſum, audiens ipſum regnum nimium ſuppeditari, ſupplicatione Scotorum de facili revocaretur, niſi rex Franciæ ipſum quaſi invite retractaret. Nam ut Willelmus ſecum perhendinaret, Philippus rex Franciæ Eadwardo regi Angliæ ſuo fratri legali ſpecialiſſime ſcripſit pro treugis inter ipſum et domum Scotiæ capiendis, ut infra dicetur; ne videlicet præſentiam Willelmi Wallace, quem tam tenerrimè diligebat, vel ad tempus amitteret, *addunt MSS. Cup. et Per.*

† Ne careret præſentia Willelmi Wallace, *addunt iid.* ‡ Et amicabilis compoſitoris utriuſque partis, *addit edit. H.*

genſem,

genſem, in ſubſidium contra Scotos. Et ne treugas concederet pacto, ut præmittitur, confœderati, hoc prædictos nuncios, ante conceſſionem treugarum, fateri compellebat. Audito ergo à cuſtodibus et ſtatibus regni Scotiæ, quomodo, non obſtantibus treugis, rex Angliæ, impoſitione taxæ et decimatione cleri Angliæ, intendebat ex toto regnum Scotiæ ſubvertere, et ſuæ ditioni ſubmittere, dominus Johannes de Sowlis tanquam cuſtodum primas, aſſiſtentibus ſibi comparibus et regni prælatis et baronibus, magiſtros Willelmum archidiaconum Laudoniæ, Baldredum Biſet, et Willelmum Egleſhame, procuratores et nuncios ſpeciales, ad Bonifacium VIII. tunc ſummum pontificem, deſtinavit, ad inſinuandum et exponendum eidem varia et multiplicia incommoda regno Scotiæ per dictum regem Angliæ hoſtiliter illata, et ad impetrandum contra ipſius moleſtias et gravamina remedia opportuna, prout in commiſſione ipſorum nunciorum pleniùs continetur *. Qui ſic tacitè ſe continentes, et de fortificatione jurium ſuorum, necnon rationibus et allegationibus ſe munientes, exſpectabant quoaduſque per tyrannidem dicti Eadwardi detinebantur incarcerati.

Anno Dom. milleſimo trecenteſimo quarto multi Scotorum nobiles et prælati, quorum quidem unum, dom. Willelmum Oliferd militem, cuſtodem caſtri de Strivelyne, dum in poſſeſſione Scoti illud tenuerant, ipſe rex Eadwardus manu validâ, per non modicum tempus obſeſſum cepit, contra fidem ſibi promiſſam, Londoniis carceri, cum Roberto et Mauritio Glaſguenſi et Sodorenſi, id eſt Manniæ, epiſcopis, crudeliter mancipavit.

Quod cum inſinuatione clamoſâ pervenit ad aures ſummi pontificis, rumore adaucto, per evidentiam ſcripturæ authenticæ cuſtodum, prælatorum et communitatum Scotiæ, proponentibus querelam Scotorum procuratoribus præmiſſis, ſummus pontifex, de deliberato cardinalium conſilio, ſuas literas bullatas archiepiſcopo Cantuarienſi et dicto regi Angliæ hujuſmodi ſub tenore tranſmiſit.

CAP. XXXVI.

Copia literæ domini noſtri Papæ miſſæ archiepiſcopo Cantuarienſi.

BONIFACIUS epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri archiepiſcopo Cantuarienſi ſalutem, et Apoſtolicam benedictionem. Frequens et inculcata fide dignorum aſſertio, ac famæ divulgantis eloquium noſtro patefecerunt auditui, exceſſus, moleſtias, turbationes, damna, injurias, et jacturas, per cariſſimum in Chriſto filium noſtrum Eadwardum regem Angliæ illuſtrem, et officiales ac gentem ipſius, contra regnum Scotiæ, et prælatos et clericos, ac perſonas eccleſiaſticas, religioſos et ſeculares, necnon eccleſias, monaſteria, et alia religioſa loca, et habitatores et incolas dicti regni, et bona eorum etiam attentata. Noſque nolentes, ſicut nec debeamus, talia ſub diſſimulatione

* Cujus copia, cum proceſſu ipſius Baldredi contra regem Angliæ, in quodam libello, ſcripto per Alanum de Montroſe, habetur, cum multis literis ad eandem litem pertinentibus, *addit editio H.*

tranſire, regem ipſum, per alias literas noſtras, quas tibi mittimus, per te præſentandas eidem, ſerioſiùs hortamur, ut epiſcopos, clericos et perſonas eccleſiaſticas dicti regni, quos adhuc tenere dicitur captivatos, reſtitui faciat priſtinæ libertati; et officiales revocet, quos in eodem regno aſſeritur poſuiſſe: quódque ad præſentiam noſtram ſuos mittat procuratores et nuncios, cum omnibus juribus et munimentis ſuis, ſi crediderit in præfato regno, vel in aliqua ejus parte, jus aliquod ſe habere. At nihilominus lites, quæſtiones, et contraverſias quaſlibet inter ipſum regem et prælibatum regnum Scotiæ, ac prælatos, clericos, et perſonas ſeculares ejuſdem regni ſubortas, et quæ poſſunt in poſterum, ex quibuſcunque cauſis præteritis, exoriri, totumque negotium ad cognitionem et determinationem ſedis Apoſtolicæ per prædictas noſtras reducimus literas: et etiam reſervamus ac decernimus irritum et inane, ſi ſecus, ſcienter vel ignoranter, à quocunque in hac parte contigerit attemptari. Quocirca fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta, in virtute obedientiæ et ſub pœna ſuſpenſionis ab adminiſtratione ſpiritualium et temporalium, diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus præfatas literas noſtras eidem regi, ſublato dilationis obſtaculo, repræſentes; ac ipſum ad ea quæ ſcribimus, et ut in noſtris exhortationibus acquieſcat, efficaciter animes et inducas: diem quoque quo ſibi dictas præſentaveris literas, et quicquid feceris, quidve ipſe reſponderit et fecerit in hac parte, nobis per tuas patentes literas, harum ſeriem continentes, fideliter et efficaciter procures intimari. Dat. Anagniæ, quarto Kal. Julii, pontificatûs noſtri anno quinto.

CAP. XXXVII.

Copia literæ Papæ præſentatæ per Cantuarenſ. archiepiſcopum regi.

BONIFACIUS epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio Eadwardo regi Angliæ illuſtri, ſalutem et Apoſtolicam benedictionem. Scimus, fili, et longi jam temporis ſpatio magiſtra nos rerum experientia docuit, qualiter erga Romanam matrem eccleſiam, quæ te gerit in viſceribus caritatis, regiæ devotionis effectus exuberat, reverentiæ zelus vigeat, quódque promptus et ſedis ejuſdem votis obtemperans *, beneplacitis acquieſcis. Quamobrem firmam ſpem gerimus, plenamque fiduciam obtinemus, quòd regalis ſublimitas verba noſtra benignè recipiat, diligenter intelligat, efficaciter proſequatur †. Sane ad celſitudinem regiam potuit perveniſſe, et in tuæ libro memoriæ nequaquam ambigimus contineri, qualiter ab antiquis temporibus regnum Scotiæ pleno jure pertinuit, et adhuc pertinere dinoſcitur, ad Romanam eccleſiam ſupradictam: quódque illud, ſicut accepimus, progenitoribus tuis, regni Angliæ regibus, ſive tibi, feudale non exſtitit nec exiſtit. Qualiter etiam claræ memoriæ Henricus rex Angliæ, pater tuus, tempore diſcordiæ ſive guerræ inter ipſum et quondam Simonem de Monteforti ſuoſque fautores et complices ſuſcitatæ, à recolendæ memoriæ Alexandro, ejuſdem regni Scotiæ rege ac ipſius Hen-

* *Al.* obtemperas et beneplacitis acquieſcis. † Clementer ſuſcipiat, diligenter indulgeat, benignius proſequatur, *editio H.*

rici

rici genero, auxilium ſibi petiit exhiberi: et, ne hujuſmodi auxilium, jure cujuſlibet ſubjectionis aut debiti petitum ſeu præſtitum narraretur, præfatus rex Henricus eidem regi Scotiæ ſuas patentes duxit literas concedendas; per eas firmiter recognoſcens prædictum auxilium ſe recepiſſe, vel ſe recepturum, duntaxat de gratia ſpeciali. Præterea cùm ſucceſſu temporis, præfati regis Scotiæ, tui ſororii tunc viventis, in tuæ coronationis ſolemniis habere præſentiam affectares, ſibi per tuas literas patentes cavere curaviſti, quòd in ipſis ſolemniis ejus habere præſentiam, non ex debito, ſed tantùm ex gratia, intendebas. Et cùm etiam rex ipſe pro Tyndaliæ ac de Penreth terris, in regno Angliæ poſitis, ſe ad tuam præſentiam perſonaliter contuliſſet, tibi fidelitatem ſolitam impenſurus; idem, in præſtatione fidelitatis hujuſmodi, multis tunc præſentibus, vivæ vocis oraculo publicè declaravit, quòd pro terris eiſdem ſitis in Anglia tantùm, non ut rex Scotiæ, neque pro Scotiæ regno, fidelitatem exhibebat eandem. Quinimmo palam exſtitit proteſtatus, quòd pro regno ipſo tibi fidelitatem præſtare ſeu facere aliquatenus non debebat, utpote tibi penitus non ſubjectus: tuque ſic oblatam fidelitatem hujuſmodi admiſiſti.

A tua quoque creditur non excidiſſe memoria, qualiter, eodem Scotiæ rege ſublato de medio, quondam Margaretâ puellâ nepte tuâ tunc minoris ætatis herede ſibi relictâ, non ad te, velut ad dominum, regni pervenit cuſtodia memorati; ſed certi ejuſdem regni proceres ad ejuſdem electi cuſtodiam exſtiterunt: quódque poſtmodum, diſpenſatione ſedis Apoſtolicæ petitâ et obtentâ, ſuper matrimonio contrahendo inter dilectum filium Eadwardum natum tuum, et Margaretam prædictam, dum viveret, ſi ad id procerum dicti regni accederet vel haberetur aſſenſus; tu eiſdem proceribus per tua ſcripta caviſſe dinoſceris, priuſquam vellent hujuſmodi matrimonio conſentire, quòd regnum ipſum penitus liberum, nullique ſubjectum ſeu quoviſmodo ſubmiſſum, imperpetuum remaneret: quódque in priſtinum ſeu talem ipſius ſtatum reſtitueretur omnino, ſi ex hujuſmodi matrimonio contrahendo liberos non exſtare contingeret; ac nomen et honorem, ut priùs, pariter retineret, tam in ſuis ſibi ſervandis legibus et præficiendis officialibus dicti regni, quàm parliamentis tenendis tractandiſque cauſis in ipſis, et nullis ejus incolis extra illud ad judicium evocandis; prout in tuis patentibus literis inde cònfectis pleniùs contineri dinoſcitur. Præfata inſuper Margareta de præſenti luce ſubtracta, et tandem ſuper ſucceſſione dicti regni Scotiæ ſubortâ diſſenſionis materiâ inter partes; ipſius regni proceres, metuentes ſibi dictoque regno poſſe occaſione hujuſmodi præjudicium generari, non aliter ad tuam præſentiam extra ipſius regni limites accedere voluerunt, niſi per te patenti ſcripto caveretur eiſdem, quòd id non fiebat ex debito, ſed ex gratia ſpeciali; quódque nullum exinde ipſius regni libertatibus poſſet diſpendium imminere. Et licet, ut dicitur, ſuper ſtatu ejuſdem regni Scotiæ, ac ejus priùs habita libertate, regno ipſo tunc carente præſidio defenſoris, per ipſius regni proceres, tunc velut acephalos, et ducis vel aurigæ ſuffragium non habentes, ſive per illum cui præfati regni regimen, licet indebitè, diceris commiſiſſe, contra morem ſolitum, aliqua fuerint hactenus innovata; ea tamen, utpote per vim, et metum qui cadere poterat in conſtantem,

tem, elicita, nequaquam debent de jure ſubſiſtere, aut in ejuſdem regni præjudicium redundare.

CAP. XXXVIII.

De eadem.

CEterùm nobis nullatenus venit in dubium, quin potiùs certi ſumus, quòd cùm Apoſtolicæ ſedis præcellens autoritas per ſuas literas, in Angliæ ac Scotiæ regnis ſimul alicui legationis committit officium exſequendum, vel, pro quavis cauſa quam rationabilem reputat, decimæ ſolutionem indicit, hujuſmodi Apoſtolicæ literæ ad præfatum Scotiæ regnum ſe aliquatenus non extendunt, ſpeciali prædictæ ſedis privilegio Scotis indulto penitus obſiſtente, prout tempore felicis memoriæ Adriani Papæ prædeceſſoris noſtri, tunc S. Adriani diaconi cardinalis, et per ipſius ſedis literas ſimul in regnis ipſis legati, cum quo familiariter tunc eramus, contigit evidenter. Nam legatus ipſe ad præfatum regnum Scotiæ aliquatenus admiſſus non exſtitit, donec, per literas Apoſtolicas, ſpecialis ſibi, legationis commiſſum fuit officium in eodem. Præterea noſcere poteſt regia celſitudo, qualiter regnum ipſum per beati Andreæ Apoſtoli venerandas reliquias, non ſine ſuperni Numinis grandi dono, acquiſitum et converſum exſtitit ad fidei Catholicæ unitatem. Qualiter etiam antiquis temporibus Eboracenſis archiepiſcopus, qui tunc erat, motâ per eum ſuper jure metropolitano adverſus prælatos Scotiæ quæſtione, in qua dictum antiquitus commemorat fuiſſe; *Memento quòd ſumus tui*, ut cetera (quæ ibidem ſequuntur ſilentio relinquamus) pro ſe ſententiam obtinere nequivit, quamvis alia plura et varia, quæ in hac parte rationabiliter proponenda ſe offerunt, ex quibus et ad hæc tibi ſcribenda monemur, prætereat calamus, ne inde forſitan ſenſibus regiis tædium generetur. Hæc profectò, fili cariſſime, infra clauſtra pectoris ſollicitè conſiderare te convenit, et attendere diligenter. Ex quibus nulli in dubium veniat, regnum Scotiæ prælibatum ad præfatam Romanam eccleſiam pertinere: quod tibi nec licet, nec licuit, in ipſius eccleſiæ ac multorum præjudicium per violentiam ſubjugare, tuæque ſubjicere ditioni.

Cùm autem, ſicut habet fide digna, et noſtris jam pluries auribus inculcata relatio, famæque præcurrentis affatibus divulgatur, tu præmiſſa, ut debueras, non attendens, neque debitâ conſideratione diſcutiens, et ad occupandum et ſubjugandum ditioni regiæ regnum ipſum, tunc regis auxilio deſtitutum, vehementer aſpirans; et tandem ad idem exercens potentiæ tuæ vires, venerabilibus fratribus noſtris Roberto Glaſguenſi et Marco Sodorenſi epiſcopis, et nonnullis clericis ac aliis perſonis eccleſiaſticis regni ejuſdem, ut dicitur, captis et carceralibus vinculis traditis, quorum aliquos, ſicut aſſeritur, ſqualor carceris violenter extinxit: et etiam occupatis caſtris, et, prout fertur, monaſteriis aliiſve religioſis locis quampluribus dirutis ſeu diſtractis, ac damnis gravibus ejuſdem regni habitatoribus irrogatis; in ejuſdem regni partibus officiales regios poſuiſti, qui prælatos ceteroſque clericos et eccleſiaſticas perſonas, ac etiam ſeculares dicti regni, multimodis perturbare moleſtiis

et

et afflictionibus variis et diverſis impetere non verentur, in Divinæ majeſtatis offenſam, ſedis memoratæ contemptum, regiæ ſalutis et famæ diſpendium, juris injuriam, et grave ſcandalum fidelium plurimorum. Regalem itaque magnificentiam rogamus, et hortamur attentè, ac obſecramus in eo qui eſt omnium vera ſalus, quatenus ſolerter attendens, quòd ex debito paſtoralis officii noſtris humeris incumbentis, ad conſervanda et gubernanda ſolicitè bona, juraque omnia eccleſiæ ſupradictæ tenemur, quódque homini plus quàm Deo deferre non poſſumus nec debemus; prædictos epiſcopos, clericos, et perſonas eccleſiaſticas, quos adhuc carcer regius tenet incluſos, pro Divina et Apoſtolicæ ſedis ac noſtra reverentia, ſublato difficultatis et dilationis objectu, benignè reſtitui facias priſtinæ libertati, dictoſque officiales de regno Scotiæ revoces memorato. Sic te in his, prout ſperamus et cupimus, promptis et efficacibus ſtudiis habiturus, ut apud cœleſtem regem, pro minimis grandia rependentem, non immerito reddaris acceptior, gratior habearis; et, præter laudis humanæ præconium tibi proinde proventurum, Apoſtolicæ ſedis favorem et gratiam poſſis uberiùs promereri. Si verò in eodem regno Scotiæ, vel aliqua ejus parte, jus aliquod habere te aſſeris, volumus quòd tuos procuratores et nuncios, ad hoc ſpecialiter conſtitutos, cum omnibus juribus et munimentis tuis hujuſmodi negotium contingentibus, infra ſex menſes, à receptione præſentium numerandos, ad noſtram præſentiam mittere non omittas; cùm parati ſumus tibi, tanquam dilecto filio, plenæ ſuper præmiſſis exhibere juſtitiæ complementum, et jura, ſi qua habes, inviolabiliter obſervare. Nos enim nihilominus ex nunc lites, quæſtiones, et contraverſias quaſlibet inter te dictumque regnum Scotiæ, ac prælatos, clericos et perſonas ſeculares ejuſdem ſubortas, et quæ poſſunt in poſterum ex quibuſcunque cauſis præteritis exoriri; totumque negotium prædicta contingens, aut aliquod eorundem, ad cognitionem et determinationem ſedis ejuſdem præſentium tenore reducimus, et etiam reſervamus: Decernentes irritum et inane ſi ſecus, ſcienter vel ignoranter, à quoquam in hac parte contigerit attemptari. Dat. Anagniæ, quinto Kal. Julii, pontificatûs noſtri anno quinto.

CAP. XXXIX.

Reſponſio aliqualis ad præmiſſam literam Papæ facta per barones Angliæ.

SAnctiſſimo in Chriſto patri, &c. Sancta Romana mater eccleſia, per cujus miniſterium fides catholica gubernatur, in ſuis actibus cum ea, ſicut firmiter credimus et tenemus, maturitate procedit, quòd nulli præjudicare, ſed ſingulorum jura, non minus in aliis quàm in ſeipſa, tanquam jure * catholico conſervari velit illæſa.

Sanè, convocato per ſereniſſimum dominum noſtrum Eadwardum Dei gratiâ regem Angliæ illuſtrem parliamento apud Lincolniam generali, idem dominus noſter quaſdam literas Apoſtolicas, quas, ſuper certis negotiis, conditionem et ſtatum regni Scotiæ tangentibus, ex

*L. *mater alma*, pro *jure catholico*.

parte veſtra receperat, in medio exhiberi, et ſerioſè fecit nobis exponi. Quibus auditis et diligenter intellectis, tam noſtris ſenſibus admiranda, quàm hactenus inaudita, in eiſdem audivimus contineri. Scimus enim, pater ſanctiſſime, et notorium eſt in partibus Angliæ, et nonnullis aliis non ignotum, quòd à prima conſtitutione regni Angliæ reges ejuſdem, temporibus tam Britonum quàm Anglorum, ſuperius et directum dominium regni Scotiæ habuerunt, et in poſſeſſione, quaſi, ſuperioritatis et directi dominii ipſius regni Scotiæ ſucceſſivis temporibus exſtiterunt. Nec ullis temporibus dictum regnum, in temporalibus, pertinuit, vel pertinet, quovis jure ad eccleſiam Romanam prædictam: Quinimmo idem regnum Scotiæ progenitoribus prædicti domini noſtri regibus Angliæ atque ſibi feudale exſtitit ab antiquo. Nec etiam reges Scotorum et regnum aliis, quàm regibus Angliæ, ſubfuerunt vel ſubjici conſueverunt. Neque reges Angliæ ſuper juribus ſuis in regno prædicto, aut aliis ſuis temporalibus, coram aliquo judice eccleſiaſtico ſeu ſeculari, ex libera præeminentia ſtatûs ſuæ regiæ dignitatis, et conſuetudinis cunctis temporibus irrefragabiliter obſervatæ, reſponderunt, aut reſpondere debebant. Unde, habito tractatu et deliberatione diligenti ſuper contentis in veſtris literis memoratis, communis, concors et unanimis omnium et ſingulorum conſenſus fuit, eſt, et erit inconcuſſè, Deo propitio, in futurum, quòd præfatus dominus noſter rex, ſuper juribus regni ſui Scotiæ, aut aliis ſuis temporalibus, nullatenus judicialiter reſpondeat coram vobis, nec judicium ſubeat quoviſmodo, aut jura ſua prædicta in dubium quæſtionis deducat; nec ad præſentiam veſtram procuratores aut nuncios ad hoc mittat: præcipuè cùm præmiſſa cederent manifeſtè in exheredationem juris coronæ regni Angliæ et regiæ dignitatis, ac ſubverſionem ſtatûs ejuſdem regni notoriam; necnon in præjudicium libertatum, conſuetudinum, et legum paternarum, ad quarum obſervationem et defenſionem ex debito præſtiti juramenti aſtringimur, et quæ manutenebimus toto poſſe, totiſque viribus, cum Dei auxilio, defendemus. Nec etiam permittimus, nec aliquatenus permittemus, ſicut nec poſſumus, nec debemus, præmiſſa tam inſolita, indebita, prejudicialia, et aliàs inaudita prælibatum dominum noſtrum regem, etiam ſi vellet, facere ſeu quomodolibet attemptare. Quocirca ſanctitati veſtræ reverenter et humiliter ſupplicamus, quatenus eundem dominum noſtrum regem, qui, inter alios principes orbis terræ, catholicum ſe exhibet et eccleſiæ Romanæ devotum, jura ſua, libertates, conſuetudines et leges prædictas abſque diminutione et inquietudine pacificè poſſidere, et ea illibata percipere benignius permittatis. Dat. &c.

CAP. XL.

Reſponſio regis Angliæ directa domino Papæ, oſtendendo jura quæ dicit ſe habere in regno Scotiæ.

SAnctiſſimo in Chriſto patri domino Bonifacio, Divinâ providentiâ ſanctæ Romanæ ac univerſalis eccleſiæ ſummo pontifici, Eadwardus ejuſdem gratiâ rex Angliæ, dominus Hiberniæ, et dux Aquitaniæ, devota pedum oſcula beatorum. Infraſcripta, non in forma nec in figura

figura judicii, ſed omnino extra judicium, pro ſerenanda ſanctæ paternitatis veſtræ conſcientia, vobis tranſmittimus exhibenda.

Altiſſimus inſpector cordium noſtræ ſcrinio memoriæ indelibili ſtilo novit inſcribi, quòd anteceſſores noſtri et progenitores reges Angliæ, jure ſuperioris et directi dominii, ab antiquis retro temporibus, regno Scotiæ et ejuſdem regibus in temporalibus et annexis eiſdem præfuerunt; et ab eiſdem regibus pro regno Scotiæ, et ejuſdem regni proceribus, à quibus habere volebant, liegia homagia et fidelitatis juramenta receperunt. Et nos, juris et dominii poſſeſſionem continuantes hujuſmodi, pro tempore noſtro eadem tam à rege Scotiæ, quàm ab ipſius regni proceribus, recepimus. Quinimmo tantâ juris et dominii prærogativâ ſuper regnum Scotiæ et ejuſdem reges gaudebant, quòd regnum illud ſuis fidelibus conferebant. Reges etiam, ex cauſis juſtis, amovebant, et conſtituebant ſub ſe, loco ipſorum, alios regnaturos; quæ procul dubio ab antiquis notoria fuerunt et exiſtunt, licet aliud forte paternis auribus, per pacis æmulos et rebellionis filios, fuerit falſâ inſinuatione ſuggeſtum, quorum machinoſa et imaginaria figmenta veſtra prudentia quæſumus aſpernetur. Sub temporibus itaque Heli et Samuelis prophetarum, vir quidam ſtrenuus et inſignis, Brutus nomine, de genere Trojanorum, poſt excidium urbis Troiæ, cum multis nobilibus Trojanorum applicuit in quandam inſulam, tunc Albion vocatam, à gigantibus inhabitatam: quibus ſuâ et ſuorum devictis potentiâ et occiſis, eam nomine ſuo Britanniam, ſuoſque ſocios Britones appellavit, et ædificavit civitatem quam Trinobantum nuncupavit, quæ modo Londonia nominatur. Et poſtea regnum ſuum tribus filiis ſuis diviſit; ſcilicet Locrino primogenito ſuo illam partem Britanniæ quæ nunc Anglia dicitur; et Albanacto ſecundo natu, illam partem quæ tunc Albania à nomine Albanacti, nunc verò Scotia, nuncupatur; et Cambro filio ſuo juniori partem illam nomine ſuo tunc Cambriam vocatam, quæ nunc Wallia vocitatur; reſervatâ Locrino ſeniori regiâ dignitate. Itaque, biennio poſt mortem Bruti, applicuit in Albania quidam rex Hunnorum, nomine Humber, et Albanactum fratrem Locrini occidit. Quo audito, Locrinus rex Britonum perſecutus eſt eum: qui fugiens ſubmerſus eſt in flumine quod de nomine ſuo Humber vocatur. Et ſic Albania revertitur ad dictum Locrinum.

Item Dunwallo rex Britonum Staterium regem Scotiæ, ſibi rebellem, occidit, et terram ejus in deditionem recepit. Item duo filii Dunwallonis, ſcil. Belinus et Brennius, inter ſe regnum patris ſui diviſerunt: ita quòd Belinus ſenior diadema inſulæ, tam de Britannia quàm de Leogria et Cambria, poſſideret; Brennius verò ſub eo regnaturus Scotiam acciperet. Petebat enim Trojana conſuetudo, ut dignitas hereditatis primogenito proveniret.

Item Arthurus rex Britonum, princeps famoſiſſimus, Scotiam ſibi rebellem ſubjecit, et penè totam gentem delevit; et poſtea quendam, nomine Anguſelum, in regem Scotiæ præfecit. Et cùm poſtea idem rex Arthurus apud civitatem Legionum feſtum faceret celeberrimum, interfuerunt ibidem omnes reges ſibi ſubjecti; inter quos Anguſelus rex Scotiæ, ſervitium pro regno Scotiæ exhibens debitum, gladium regis Arthuri detulit ante ipſum. Et ſucceſſivè omnes reges Scotiæ omnibus

regibus

regibus Britonum fuere ſubjecti. Succedentibus autem regibus Anglicis in prædicta inſula, et ipſius monarchiam et dominium obtinentibus ſubſequenter, Eadwardus dictus ſenior, filius Aluredi regis Angliæ, Scotorum, Cumbrorum et Stregwallorum reges ſibi, tanquam ſuperiori domino, ſubjectos habuit et ſubmiſſos. Athelſtanus rex Angliæ Conſtantinum regem Scotorum ſub ſe regnaturum conſtituit, dicens; " Glorioſius eſt regem facere quàm regem eſſe." Et eſt dignum memoriâ, quòd idem Athelſtanus, intercedente S. Johanne de Beverlaco quondam archiepiſcopo Eboracenſi, Scotos rebellantes ſibi dimicavit; qui gratias devotè agens, Deum exoravit, petens, quatenus interveniente beato Johanne, ſibi aliquod ſignum evidens oſtenderet, quod tam ſuccedentes quàm præſentes cognoſcere poſſent Scotos Anglorum regno jure ſubjugari. Et videns quoſdam ſcopulos, juxta quendam locum prope Dumbar in Scotia, prominere, extracto gladio de vagina percuſſit, ſcilicet in ſilicem: qui lapis ad ictum gladii, Dei virtute agente, ita cavatur, ut menſura ulnæ longitudini poſſit coaptari. Et hujus rei hactenus evidens ſignum apparet, et in Beverlacenſi eccleſia, in ipſius S. Johannis legenda, quaſi ſingulis hebdomadis per annum, ad laudem et honorem Sancti Johannis, pro miraculo recitatur. Et de hoc exſtat celebris memoria, tam in Anglia quàm in Scotia, uſque ad præſentem diem.

CAP. XLI.

De eadem ſuggeſtione.

ITEM Conſtantinus rex Scotorum, et Eugenius rex Cumbrorum, ad prædictum regem Angliæ Athelſtanum, poſt aliqualem diſſentionem inter ſe habitam, venientes, ſe cum ſuis regnis eidem Athelſtano dedere. Cujus facti gratiâ, filium Conſtantini idem Athelſtanus de ſacro fonte ſuſcepit.

Item, Edredo regi Angliæ Scoti ſine bello ſe ſubdiderunt, et eidem regi Edredo, tanquam domino, fidelitatem debitam juraverunt; quodam Iricio rege ſuper ipſos Scotos ſtatuto. Item, cùm Eadgarus rex Angliæ regem Scotiæ Kynadium, et Cumbrorum Malcolmum, regem inſularum plurimarum Makcum, alioſque quinque ſubregulos, ſcilicet Dovenaldum, Ferſkennum *, Huval, Jacob et Inchil, regem ipſum Eadgarum, in quadam navi prope proram ſedentem, per flumen de Themis † remigare feciſſet; fertur ipſum dixiſſe, ſucceſſores ſuos gloriari ſe reges Anglorum eſſe, cùm tantâ honorum prærogativâ fruerentur, ut ſubjectam haberent tot regum potentiam. Poſt dictum Eadgarum ſucceſſivè ſucceſſerunt reges Angliæ, Sanctus ſciz. Eadwardus martyr, Ethelredus frater ejus, Eadmundus dictus Irneſyde filius Ethelredi, et Canutus, [alias Knuto Danus] qui eorum temporibus regnum Scotiæ in ſua ſubjectione pacificè tenuerunt; hoc duntaxat excepto, quòd anno XV. regni Knuti, idem Knutus Scotiam rebellantem, expeditione illuc ductâ, regem Scotiæ Malcolmum parvo ſubegit negotio, ſubdituſque eſt ei Malcolmus. Quibus Haroldus filius Knuti, et Hardeknutus

* Al. *Syferth.* † Al. *Dehe* pro *de Themis.*

frater

frater ejus, unus poſt alium reges Angliæ ſucceſſerunt. qui, eis ſic regnantibus, ſibi ſubjectionem regni Scotiæ pacificè habuerunt. Item, Sanctus Eadwardus rex Angliæ regnum Scotiæ dedit Malcolmo filio regis Cumbrorum de ſe tenendum. Item, Willelmus, dictus Baſtardus, rex Angliæ, cognatus Sancti Eadwardi, à Malcolmo rege Scotorum, tanquam à ſuo homine ſibi ſubdito, homagium cepit. Item, Willelmo Rufo regi Angliæ prædictus Malcolmus rex Scotorum juramento fidelitatis ſubjectus fuit. Item, prædictus rex Willelmus Dovenaldum de regno Scotiæ ex juſtis cauſis amovit, et loco ejus Duncanum filium Malcolmi regem Scotiæ præfecit, et recepit ab eo fidelitatis juramentum. Dictoque Duncano doloſè perempto, dictus rex Willelmus præfatum Dovenaldum, qui iterum regnum Scotiæ invaſerat, amovit ab eodem; et Eadgarum filium dicti Malcolmi regem Scotiæ conſtituit, et eidem dictum regnum donavit. Cui ſucceſſit Alexander, frater ejuſdem Eadgari, conceſſu regis Angliæ Henrici primi fratris dicti regis Willelmi Rufi. Item, Matildi imperatrici, filiæ et heredi regis Henrici prædicti, rex Scotiæ David homagium fecit et fidelitatem. Item, regi Anglorum Stephano Henricus filius dicti regis David homagium fecit.

Item, Willelmus rex Scotorum pro regno Scotiæ, et David frater ejus, et comites et barones regni Scotiæ devenerunt homines Henrici filii regis Angliæ Henrici II. in craſtino coronationis prædicti Henrici filii Henrici ſecundi, patre vivente, et fidelitatem ei juraverunt contra omnes homines, ſalvâ fidelitate debitâ patri viventi. Anno verò viceſimo regni regis Henrici ſecundi prædicti, dictus Willelmus rex Scotorum rebellare incipiens, venit in Northumbriam cum exercitu magno, et exercuit in populo ſtragem magnam: cui concurrentes milites comitatûs Eboracenſis apud Alnewick, ipſum ceperunt, et dicto Henrico regi reddiderunt: annoque ſequenti, ſciz. decimo quinto Kal. Martii, eſt idem Willelmus permiſſus liber abire. Poſtea verò apud Eboracum anno eodem, decimo ſeptimo Kal. Septembris, idem Willelmus rex Scotorum, de conſenſu prælatorum, comitum, baronum, procerum, et aliorum magnatum regni Scotiæ, domino ſuo regi Angliæ Henrico, filio Matildis imperatricis prædicto, ſuis literis patentibus caviſſe noſcitur, quòd ipſe, et heredes et ſucceſſores ſui reges Scotiæ, epiſcopi et abbates, comites etiam et barones, et alii homines regni Scotiæ, de quibus dictus Henricus rex habere voluit, facient regibus Angliæ homagium, fidelitatem et liegantiam, ut liegio domino, contra omnem hominem. Et in ſignum ſubjectionis hujuſmodi, idem rex Scotiæ Willelmus capellum*, lanceam et ſellam ſuos, ſuper altare eccleſiæ beati Petri Eboracenſis obtulit; quæ in eadem eccleſia, uſque in hanc diem, remanent et ſervantur. Ipſi verò epiſcopi, abbates, comites et barones dicti regni Scotiæ conventionaverunt, ut verbis ejuſdem conventionis utamur, dicto regi Angliæ Henrico, et Henrico filio ſuo prædictis, quòd ſi rex Scotiæ, aliquo caſu, à fidelitate regis Angliæ et conventione prædicta recederet, ipſi cum domino rege Angliæ tenebunt, ſicut cum liegio domino ſuo, contra regem Scotiæ, quouſque ad fidelitatem regis Angliæ redeat. Quam quidem compoſitionem felicis recordationis Gre-

*Caballum, MSS. noſtri malè.

gorius Papa nonus, in diverſis reſcriptis regibus Angliæ et Scotiæ directis, mandavit firmiter obſervari; continentibus etiam, inter cetera, quòd Willelmus et Alexander reges Scotorum regibus Angliæ Johanni et Henrico liegium homagium et fidelitatem fecerunt, quæ tenentur ſucceſſores eorum, comites et barones regni Scotiæ, ipſis et ſuis ſucceſſoribus exhibere.* Et iterum, quòd cùm idem rex Scotiæ homo liegius ſit ipſius Henrici regis Angliæ, et eidem fidelitatis præſtiterit juramentum, quo ſe principaliter aſtrinxit, quòd in ipſius regni et regis Angliæ detrimentum nihil debeat penitùs attemptare. Et Papa Clemens ſcribens regi Angliæ pro Johanne epiſcopo S. Andreæ, expulſo ab epiſcopatu ſuo per regem Scotiæ, inter cetera rogavit, quòd Willelmum regem Scotiæ moneret et induceret, et, ſi neceſſe fuerit, diſtrictione regali, quâ ei præeminet, et conceſſâ ſuæ regiæ celſitudini poteſtate compelleret, ut dicto epiſcopo omnem rancorem remitteret, et epiſcopatum ſuum eum habere in pace permitteret.

CAP. XLII.

De eodem etiam figmento et falſâ ſuggeſtione.

ET poſt conventionem prædictam in eccleſia beati Petri Eboracenſi, coram prædictis regibus Angliæ et Scotiæ, et David fratre ſuo, et univerſo populo, epiſcopi, comites, et barones, et milites de terra regis Scotiæ juraverunt domino regi Angliæ, et Henrico filio ſuo, et heredibus eorum, fidelitatem contra omnem hominem, ſicut liegiis dominis ſuis. Et idem Willelmus rex Scotorum, ad mandatum regis Henrici prædicti, venit ad Northampton ad parliamentum domini ſui, adducens ſecum omnes epiſcopos, abbates et priores totius regni ſui. Et venit, etiam ad ejuſdem Henrici regis Angliæ mandatum, in Normanniam. Et idem rex Willelmus, poſt deceſſum dicti Henrici regis, veniens Cantuariam, Richardo regi Angliæ, filio et heredi dicti Henrici, fecit homagium. Quo Richardo viam univerſæ carnis ingreſſo, ſæpefatus Willelmus Johanni regi Angliæ, fratri et heredi dicti regis Richardi, extra civitatem Lincolniæ ſupra quendam montem, in conſpectu omnis populi, fecit homagium et juravit fidelitatem ſuper crucem Huberti tunc Cantuarienſis archiepiſcopi: et eidem regi Johanni, tanquam domino ſuo, per cartam ſuam conceſſit, quòd Alexandrum filium ſuum ſicut hominem ſuum liegium maritaret; promittendo firmiter, in carta eadem, quòd idem Willelmus rex Scotorum, et Alexander filius ſuus, Henrico filio regis Angliæ Johannis, tanquam liegio domino ſuo, contra omnes mortales fidem et fidelitatem tenerent. A quo quidem Willelmo rege Scotorum poſtmodum, pro eo quòd deſponderat filiam ſuam comiti Bolonie, præter ipſius regis Johannis domini ſui aſſenſum, pro tranſgreſſione et temeraria præſumptione hujuſmodi, debitam ſatisfactionem accepit. Item, Alexander rex Scotorum, ſororius noſter, regi Angliæ Henrico patri noſtro, pro regno Scotiæ, et poſtea nobis

*Addit MS. Col. Edinb. "Dicitur homo *ligius* quaſi ligatus domino ſuo; vel *legius* "quaſi legalitatem continens: et poteſt ſcribi *liegius*, quaſi dictio compoſita ex ligatus et "legalitatem continens, comprehendens utramque vocalem ante *g*."

homagium

homagium fecit. Vacante deinde regno Scotiæ, poſt mortem Alexandri regis illius, et ſubſequenter poſt mortem Margaretæ ejuſdem regis Alexandri filiæ et heredis,* neptis noſtræ, epiſcopi, abbates, priores, comites, barones, proceres, et ceteri nobiles et communitates totius regni Scotiæ, ad nos, tanquam ad legitimum defenſorem, ducem, aurigam, capitaneum, et dominum capitalem ejuſdem regni ſic vacantis, gratâ et ſpontaneâ voluntate accedentes, prout tenebantur de jure, jus noſtrum, progenitorum et anteceſſorum noſtrorum ac poſſeſſionem ſuperioritatis et directi dominii in regno eodem, et ipſius regni ſubjectionem, ex certa ſcientia, purè, ſimpliciter et abſolutè recognoverunt. Et præſtitis nobis ab eiſdem, tanquam ſuperiori et directo domino Scotiæ, debitis et conſuetis fidelitatis juramentis; ac civitatibus, burgis, villis, caſtris, ac ceteris munitionibus regni ejuſdem in manu noſtra traditis, ad cuſtodiam ejuſdem regni certos jure noſtro regio officiales et miniſtros deputavimus; quibus ipſi, tempore vacationis hujuſmodi, concorditer fuerunt obedientes et intendentes noſtris præceptis regiis et mandatis.

Poſtmodum autem diverſæ perſonæ, ſuper ſucceſſione in dictum regnum Scotiæ jure hereditario inter ſe contendentes, ad nos, tanquam ad ſuperiorem dominum regni Scotiæ, acceſſerunt, petentes, ſuper jure ſuccedendi in regnum prædictum, ſibi per nos exhiberi juſtitiæ complementum; volentes et expreſſè conſentientes coram nobis, tanquam ſuperiore et directo domino regni Scotiæ, ſtare juri. Et demum earundem partium petitionibus et juribus coram nobis, tanquam ſuperiori et directo domino, judicialiter propoſitis ac ſufficienter auditis, rimatis et examinatis, ac diligenter intellectis; in præſentia omnium prælatorum et nobilium totius regni Scotiæ, et de voluntate et aſſenſu expreſſo eorundem, procedentes, Johannem de Balliolo debitè prætulimus in regem Scotorum; quem tunc in ſucceſſione ejuſdem regni heredem legitimum, et jura habere invenimus potiora. Qui quidem prælati, comites, barones et communitates, ac ceteri incolæ ejuſdem regni, hujuſmodi ſententiam noſtram homologaverunt, acceptaverunt, et expreſſè approbaverunt; et ipſum Johannem, de mandato noſtro, virtute hujus judicii, in regem ſuum admiſerunt. Ac idem Johannes rex Scotiæ, pro regno ſuo præſtito nobis homagio debito et conſueto, ac fidelitatis juramento, ad parliamenta noſtra de mandato noſtro veniens, eiſdem, tanquam noſter ſubditus, ſicut alii de regno noſtro, interfuit; et noſtris, tanquam domini ſui ſuperioris dicti regni Scotiæ, paruit beneplacitis et mandatis, nobis in omnibus obediens et intendens, quouſque idem Johannes rex Scotiæ, et prælati, comites, barones, nobiles, communitates, ac ceteri incolæ majores regni ejuſdem, ex præconcepta malitia, et prælocuta ac præordinata proditione, factiones, confœderationes, conſpirationes et conjurationes in exheredationem noſtram et heredum noſtrorum ac regni noſtri, contra debitum homagii ſui et fidelitatis juramentum, inter ſe inierunt, crimen læſæ majeſtatis nequiter incidendo.

* *Regni Scotiæ reginæ et dominæ*, addit exemplar apud Rymerum.

CAP.

CAP. XLIII.

De eodem.

UNDE, cùm præmiſſa ex fideli relatione, famâ publicâ conſentiente, ad aures perveniſſent noſtras, volentes futuris periculis præcavere, quæ ex his et aliis poſſent nobis et regno noſtro et regni noſtri incolis veriſimiliter provenire; pro aſſecuratione regni noſtri acceſſimus ad confinium regni utriuſque, pluries mandantes eidem Johanni, tunc regi Scotiæ, ut ad certa loca in confinio prædicto ad nos accederet, ſuper præmiſſis et aliis, pro ſtatu, tranquillitate et pace utriuſque regni, aſſecurationem facturus, et alia, per nos et conſilium noſtrum ſibi exponenda, auditurus, et ſuper his et ea concernentibus juſtitiam recepturus. Qui, ſpretis mandatis noſtris, contumaciter in ſua perſiſtens perfidia, ad bellicos apparatus cum epiſcopis, prælatis et clericis, comitibus et baronibus regni Scotiæ, ac aliis etiam exteris conductitiis, contra nos, regnum noſtrum et incolas regni noſtri Angliæ, hoſtiliter ſe convertens, accinxit; et ad hoſtiles aggreſſus et incurſus procedens, regnum noſtrum invaſit, quaſdam villas regni noſtri Angliæ, per ſe et per ſuos, deprædatus eſt, eaſque vaſtavit incendio: homines noſtros interfecit, et, nonnullis nautis noſtris per eos peremptis, naves hominum noſtrorum regni Angliæ comburi fecit. Et è veſtigio, redditis nobis homagio et fidelitate per regem Scotiæ, tam pro ſe quàm pro aliis quibuſcunque regni ſui incolis, per verba effectum diffidentiæ exprimentia, comitatus noſtros Northumbriæ, Cumbriæ et Weſtmorlandiæ regni noſtri Angliæ, congregato ingenti exercitu, hoſtiliter per ſe et per ſuos invaſit, ſtragem innumeram hominum noſtrorum, incendia monaſteriorum, eccleſiarum et villarum inhumanè perpetrando, et patriam undique deprædando *: infantes etiam in cunis, mulieres in puerperio decubantes immiſericorditer et atroci ſævitiâ trucidârunt. Et, quod auditu horrendum eſt, nonnullis mulieribus mamillas atrociter abſciderunt, et parvos clericulos, primas literas addiſcentes, ad numerum circiter ducentorum† in ſcholis exiſtentes, obſtructis oſtiis ſcholarum, igne ſuppoſito concremaverunt.

Noſque ‡ cernentes tot damna, opprobria, facinora et injurias, in exheredationem noſtram et deſtructionem populi regni noſtri, proditionaliter irrogari, nec valentes, ratione juramenti quo ad conſervationem jurium coronæ regni noſtri ſumus aſtricti, tam execranda, deteſtanda et nefanda facinora ulteriùs tolerare; nec jura noſtra relinquere indefenſa; cùm idem Johannes et gens Scotorum, noſtri ſubditi, per leges ſe juſtificari minimè permiſiſſent ipſo regno Scotiæ, quod à longiſſimis temporibus, ſicut ſuperiùs exprimitur, nobis et progenitoribus noſtris feudale exſtitit. ‖ Ex cauſis præmiſſis commoti, deinde bello, juxta leges et conſuetudines regni noſtri, contra eos, de conſilio procerum et magnatum noſtrorum, indicto, contra dictum Johannem et gentem Scotorum vires potentiæ noſtræ extendimus, prout de jure nobis licuit,

*Al. *depopulando.* †Al. *ducentorum.* ‡Al. *Nos quoque*, vel *Nos ergo.* ‖ Deſiderari videtur aliquid.

et

et proceſſimus contra ipſos, tanquam notoriè proditores, contumaces, et publicos hoſtes noſtros.

Subacto itaque regno Scotiæ jure proprietatis noſtræ ditioni, præfatus Johannes rex Scotiæ ipſum regnum Scotiæ, quatenus de facto tenuit, ſponte purè et abſolutè reddidit in manum noſtram; proditiones et ſcelera memorata, coram nobis et proceribus regni noſtri, publicè recognoſcens. Quo peracto, prælati, comites, barones, nobiles, et communitates regni Scotiæ, quos ad pacem noſtram regiam ſuſcepimus, ſubſequenter homagia et fidelitates nobis, tanquam immediato et proprio domino ejuſdem regni Scotiæ, fecerunt, ac etiam præſtiterunt. Ac redditis nobis ejuſdem regni civitatibus, villis, caſtris et munitionibus, ac ceteris locis omnibus ad dictum regnum ſpectantibus, officiales noſtros et miniſtros ad regimen ejuſdem regni præfecimus jure noſtro. Cúmque jure pleni dominii in poſſeſſione ejuſdem regni exiſtere dinoſcamur, omittere non poſſumus nec debemus quin inſolentiam ſubditorum noſtrorum rebellium, ſi quos invenerimus, præeminentiâ regiâ, prout juſtum fuerit et expedire viderimus, reprimamus. Quia verò ex præmiſſis et aliis conſtat evidenter et notorium exiſtit, quòd prælibatum regnum Scotiæ, tam ratione proprietatis quàm poſſeſſionis, ad nos pertinet pleno jure; nec quicquam fecerimus vel caverimus ſcripto vel facto, ſicuti nec poſſemus, per quæ juri aut poſſeſſioni prædictis debeat aliqualiter derogari; Sanctitati veſtræ ſupplicamus humiliter, quatenus præmiſſa providâ meditatione penſantes, ex illis animi veſtri motum dignemini informare, ſuggeſtionibus contrariis æmulorum in hac parte vobis factis fidem, ſi placet, nullatenus adhibendo. Quinimmo ſtatum noſtrum et jura noſtra regia ſupradicta habere velitis, ſi placet, paternis affectibus commendata. Conſervet vos Altiſſimus ad regimen eccleſiæ ſuæ ſanctæ per tempora proſpera et longæva. Dat. apud Kemeſeye, vij. die Maii, anno Dom. MCCCI. et regni noſtri viceſimo nono.

CAP. XLIV.

Copia diverſarum literarum miſſarum domino Bonifacio VIII. Papæ per dictum regem Eadwardum, ad palliandum fucum partis ſuæ in contrarium Scotorum.

HAS verò ſuggeſtionis perverſæ literas rex Eadwardus Angliæ primus poſt conqueſtum domino Papæ Bonifacio VIII. cum duobus militibus ſuis nunciis tranſmiſit: literarum etiam diverſas copias, quarum unam per ipſum, tempore quo regem Scotiæ Johannem fraudulenter cum ſuo cancellario cepiſſet, pro ſuæ voluntatis libito confectam majori ſigillo, vi necnon et metu ductum, ab eodem ablato, cujus copiam vide ſuprà eodem lib. cap. xxvj. Aliarum itaque copias literarum ſummorum pontificum, ſcilicet Honorii tertii atque Gregorii noni, Anglorum conſimili ſuggeſtione confictâ procuratarum; quas iidem ſummi pontifices Alexandro regi Scotorum ſecundo, in favorem regis Angliæ Henrici tertii dicti pacifici, direxerunt. Quarum conſequenter tenor ſequitur, in hac forma.

Litera Honorii III. miſſa per regem Angliæ Papæ Bonifacio in contrarium Scotorum.

HONORIUS, &c. illuſtri regi Scotorum Alexandro, ſuiſque complicibus, ſpiritum conſilii ſanioris. Multum famæ veſtræ derogat et ſaluti, quòd à fidelitate domini veſtri naturalis, et à devotione eccleſiæ Romanæ matris veſtræ, ſicuti per conſpiratorum perfidiam, receſſiſtis, non erubeſcentes ſimul utrumque relinquere, qui, pro eorum utrolibet obſervando, debueratis, ſi exigiſſet neceſſitas, carceres et exilia ſuſtinere. Monemus igitur diſcretionem veſtram, rogamus et obſecramus in Domino, et per Apoſtolica ſcripta vobis firmiter præcipiendo mandamus, quatenus cariſſimi in Chriſto filii noſtri, Henrici regis Angliæ illuſtris, innocuam reſpicientes ætatem, et ad ipſam Romanam eccleſiam, in cujus injuriam eſt ipſa hujuſmodi conſpiratio concepta, debitum reſpectum habentes ad ipſius regis fidelitatem et devotionem Apoſtolicæ ſedis, relicto impiorum conſilio, redeatis; non obſtantibus juramentis illicitis præſtitis Ludovico regis Franciæ Philippi primogenito: quia ſi converſi ad dextram revocaveritis providè quod improvidè attemptaſtis, vobis noſtram et Apoſtolicæ ſedis gratiam et favorem ſpecialiter pollicemur. Nihilominus, ad gratiam ipſius regis rehabendam integrè, et jura veſtra conſequenda, Apoſtolicum vobis auxilium promittentes. Dat. Lateranen. xvj. Kal. Februarii, pontificatûs noſtri anno primo, et Chriſti milleſimo ducenteſimo decimo ſexto.

Item copia literæ Gregorii IX. miſſæ Papæ.

GREGORIUS, &c. Si tua celſitudo conſideret, quòd cariſſimo in Chriſto filio noſtro illuſtri regi Angliæ Henrico, vinculo ſpecialis dilectionis aſtringimur, teque ſincerâ diligimus et amplectimur caritate, per conſequens recognoſceres quòd nec debemus nec poſſumus præterire, maximè requiſiti, quin ad pacem inter te et ipſum perpetuò conſervandam intendamus affectum, et opem impendamus ac operam efficacem, ſperantes et fiduciam firmam habentes, quòd utrique regno de hujuſmodi concordia magna utilitas debet provenire. Sane idem rex in noſtra nuper præſentia fecit recitari, quòd jamdudum inter claræ memoriæ Henricum Angliæ avum, Johannem patrem ſuum ex parte una, et Willelmum Scotorum regem patrem tuum ex altera, compoſitio amicabilis interceſſit; per quam ipſe Willelmus prædictis avo et patri, ac eidem regi, et tu patri et ſibi ligium homagium et fidelitatem feciſti, quæ tenentur ſucceſſores tui, comites et barones Scotiæ, ipſi et ſuis ſucceſſoribus exhibere; ac comites et barones prædicti eſſe cum regibus Angliæ contra regem Scotiæ, ſi compoſitionem eandem non ſervaret. Quòd ſi unius homines fugerent ad regnum alterius, metu criminum commiſſorum, ille ac homines ſui eos in terra ſua acceptare non deberet: et utriuſque regis homines terras quæ in regno alterius ſunt, et quas per compoſitionem habuerant, obtinebunt. Unde idem rex nobis humiliter ſupplicavit, ut præfatam compoſitionem Apoſtolico dignaremur munimine roborare. Quocirca te rogandum duximus propenſiùs et hortandum, quatenus ad ea quæ pacis ſunt intentionem tuam dirigens, et ea prudenter evitans quæ ad ſcandalum vel diſcordiam pertinerent,

tinerent, prædictam compoſitionem, ſicut providè facta fuit, et ab utraque parte ſponte recepta, ſtudeas obſervare, maxime cùm dicatur paci et tranquillitati utriuſque regni plurimum expedire. Dat. Peruſiis, ij. Non. Jan. pontificatûs noſtri anno octavo, et Chriſti MCCXXXIV.

CAP. XLV.

Copia alterius literæ dicti Gregorii miſſæ per regem Angliæ Papæ.

GREGORIUS, &c. Regalis celſitudo requirit, ut in quo magis honore præmineat, eo diligentiùs ſervet in ſuis actibus puritatem. Intelleximus ſiquidem, cariſſimo in Chriſto filio noſtro Henrico illuſtri rege Angliæ intimante, quòd cùm homo liegius ſis ipſius, et eidem fidelitatis præſtiteris juramentum, quo te principaliter aſtrinxiſti, quòd in ſuum et regni Angliæ detrimentum nihil penitus attemptares; tu id, unde mirari compellimur, non obſervas, plura in honoris diſpendium moliendo. Quia verò dictum regem, tanquam ſpecialem Apoſtolicæ ſedis filium, paterno affectu diligimus, teque, veluti nobis et eccleſiæ Chriſtianæ devotum, ſincerâ complectimur caritate; propter quod inter vos eo ardentiùs eſſe cupimus unitatis vinculum, quo amplius nos gravaret diſcordia, et vehementiùs conturbaret. Excellentiam tuam rogandam duximus propenſiùs et hortandam, quatenus regi præfato ea, in quibus eidem teneris, ſtudeas pleniùs obſervare; ita quod ex hoc ipſius regis dilectionem uberiùs merearis, et nos tibi magis conſtituas in tuis opportunitatibus favorabiles et benevolos. Dat. Viterbiæ, v. Kal. Maii, anno pontificatûs noſtri decimo, et Chriſti MCCXXXVI.

CAP. XLVI.

Præmiſſas copias procuratores in curia miſerunt ad regem. Scoti aviſati ſequentes inſtructiones eiſdem remiſerunt.

HAS quoque literarum copias, cum aliis ſingulis, per regem Angliæ ſummo pontifici Bonifacio præfato, in Scotorum libertatis contrarium, præſentatas, idem pontifex, per ſuum notarium ſpecialem, in inſtrumento publico redactas fieri juſſit, et Scotiæ nunciorum aſpectibus diligenter examinandas tradidit; ne quid in ipſis contentum, dictum attingens negotium, apud eos lateret; ſed potiùs, ex deliberatione prævia, ſingulis rationibus ſuper jure libertatis regni Scotiæ faciliùs poterant reſpondere. Nuncii quidem eaſdem copias, omni poſtpoſitâ dilatione, proceribus et concilio Scotiæ viſendas tranſmiſerunt. Quibus per eos diligenter inſpectis, ſcrutatis, et ad plenum intellectis, reſponſa talia cum feſtinatione conſulti, cum iſtis inſtructionibus ſubſcriptis et objectionibus, remiſerunt.

CAP.

CAP. XLVII.

Sequuntur inſtructiones miſſæ procuratoribus in curia Romana.

*PER Apoſtolica dudum ſcripta citatus dominus rex Angliæ, qui, more inſidiantis, ut noceat in abſcondito, temporis ad hoc opportunitate captatâ, tribulationis et diſcordiæ tempore, regnum Scotiæ ſibi vicinum, quia vacans, acephalum, laceratum in partes, utpote ſui regis viduatum regimine, et ſic carens præſidio cujuſlibet defenſoris, Romanâ eccleſiâ tunc vacante, expoſitum eſt nihilominus patenti periculo perſecutionis et tribulationis duplicis, inteſtinæ, propriæ ſciz. diſcordiæ, et infeſtationis hoſtilis extrinſicæ regis ejuſdem Angliæ tam vicini, qui tunc primò impetiſſe de novo noſcitur, ac illud, ex præconceptis malitiis, inquietaſſe injuſtè, ſuper ſuo ſtatu priori pacifico avitæ libertatis: ſubſequenter afflixiſſe non ſolùm ipſius regni incolas iteratis hoſtilibus multis incurſibus, injuriis, damnis gravibus, variiſque preſſuris, verùm etiam auſu ſacrilego regni ejuſdem eccleſiam, Dei timore poſtpoſito, obſtinatâ malitiâ, more Antiochi, abominationibus multimodis conculcaſſe tyrannicè et immunditiis polluiſſe, prælatis ipſius et clericis aliis datis exilio et aliis carceribus publicis mancipatis, deque nonnullis regni ejuſdem eccleſiis ſolemnibus et cathedralibus factis per ipſum et ſuos, more Sarracenorum, ſtabulis pro equis ſuis; ut, præter hæc, eccleſiarum multarum commiſſa per ipſum in dicto regno taceantur incendia, immanitates aliæ, cædes et ſcelera infinita, quòd apud ſedem Apoſtolicam, certo ad hoc ſibi ſtatuto termino, per inſtructos ſuos procuratores ac nuncios, cum ſuis juribus et munimentis compareret, de jure ſuo, ſi quid haberet in ipſo Scotiæ regno, oſtenſurus ibidem, et ſuſcepturus ſuper ipſo, per ſummum pontificem, ordinarium et competentem judicem, quod juris eſſet; toto regni ejuſdem negotio, tanquam una de cauſis majoribus, ad examinationem et deciſionem ſedis Apoſtolicæ, ratione prævia, per literas Apoſtolicas revocato ſolemniter, et decreto Apoſtolico ne quid fieret in contrarium ſubſecuto, idem rex, præfato ſic ſtatuto termino, nec comparere curavit, ut debuit, in curia, nec de ſuo jure quicquam oſtendere ſufficienter, ad hoc etiam exſpectatus: immo, elapſis quatuor menſibus poſt eundem ſic ſibi ſtatutum terminum, ſine procuratorio ad cauſam neceſſario vel ſufficienti mandato, domino noſtro eidem ſummo pontifici ſolam ſuam nudam deſtinavit epiſtolam, probationis loco et declarationis omnimodi juris ſui, quod ſibi aſſerit in regno Scotiæ competere ſupradicto.

* *MSS. Coll. Ed. Cupr. et Perth. aliter his verbis:* Per Apoſtolica dudum ſcripta citatus dominus rex Angliæ, qui, temporis ad hoc opportunitate captatâ, more inſidiantis ut noceat ex abſcondito, regnum Scotiæ ſibi vicinum, quia vacans, acephalum, laceratum in partes, utpote proprii regis viduatum regimine, Romanâque tunc vacante eccleſiâ, carens præſidio cujuſlibet defenſoris, duplici nihilominus perſecutionis et turbationis patenti periculo, propriæ ſcilicet inteſtinæ diſcordiæ, et infeſtationis extrinſecæ regis memorati tam vicini; tunc primo impetiſſe de novo noſcatur, et quaſi ex inſidiis inquietaſſe ſuper ſtatu ſuo injuſte priori habitæ priſtinæ libertatis: ſubſequenter afflixiſſe non ſolum regni ipſius incolas, iteratis hoſtilibus multis incurſibus, injuriis, damnis gravibus variiſque preſſuris, regnum Scotiæ et eccleſias ejus, verum etiam, more Antiochi, abominationibus multimodis auſu ſacrilego tyrannice, Dei timore poſtpoſito, ipſam polluiſſe, prælatis ipſius regni eccleſiaſticiſque perſonis aliis datis exilio, et aliis carceribus mancipatis.

In

In qua ſua epiſtola, diſſimulatis callidè rationibus et juribus certiſſimis, per Apoſtolica ſibi priùs ſcripta expoſitis, quæ regni ejuſdem Scotiæ manifeſtè comprobant habitam libertatem, pro palliandis et excuſandis in ipſo regno Scotiæ commiſſis per ipſum modernis exceſſibus, ad deſcribendam ſerioſè exorditam cujuſcunque vetuſtatis hiſtoriam, quia ignotam et incertam ſe convertit. Quæ licet hiſtoria ex remotis veluti ex gemino ovo ſit deſcripta, in principio videatur ſuavis, ſuperficialiter polita et ſatis pulchra; ſophiſtica tamen eſſe convincitur et omni fide vacua, exquiſitâ funditùs radice negotii, et rei geſtæ detectâ medullitùs veritate, prout ex ſubſequentibus apparebit.

Et dato quod Bruti vel Britonum Saxonumve, tacta per ipſum regem, ignota memoria et remota tunc haberent aliquid veritatis; quoad moderna tamen tempora, vel dominia regnorum, locum ſibi non vendicant, utpote ſubſequentium geſtarum rerum et temporum mutatione et innovatâ varietate ſublata. Sed nec ipſe dominus rex illam vetuſtatem Britonum, interruptam, immo ſublatam omnino, juſtè continuat, oppreſſionibus ſuis modernis noviſſimis ſubſecutis circa ſtatum regni Scotiæ ſupradictum. Quique verò, ſeipſo rege teſte, actore ſimul et judice in cauſa ſua, per ſcripta ſola propria ſtudet injuſtè aſtruere et probare juſtitiam cauſæ ſuæ, ad ſe regnum Scotiæ pertinere prædictum, inſulæque etiam ipſius Britanniæ; nullo ſibi certi juris juſtitiæ poſſeſſionis alio noto titulo quolibet ſuffragante. Nec mirum, ſi veris tantum ſic ipſe deſtitutus aſſertionibus, et propter hoc juſti judicis formidans judicium, et eventum ſententiæ contra ipſum promulgandæ. Si juſtè maximè examinarentur facta ſua, quamvis abſens, ipſe citatus ſit contumax. Primò cùm * ſedis Apoſtolicæ niſus eſt per ſola ſua eulogia declinare examen, Levitici generis ſacerdotis et judicis cuncta rimantis, Romani pontificis, refugere judicium; tam injuſtè ſpoliatis utique à Deo† proviſum in terris ſingulare refugium ultimum et vi oppreſſis: necnon et revocationis ejuſdem negotii, per ſedem ipſam factæ ad curiam, enervare effectum, per ſola mendicata ſibi ſuffragia, non probata, ſed frivola, tam invalidæ vetuſtatis, nudâ et ſuâ ſolâ aſſertione, Scotis ipſis auferre juris reſpirandi remedium, et ſubſidium dictæ ſedis, cujus eſt ipſum regnum Scotiæ; non ſine ipſius ſedis contemptu, juriſdictioniſque ipſius præjudicio non modico, et auſu reſtringendi ejuſdem Romanæ eccleſiæ juriſdictionem ſolitam, inter reges et regna maximè, et ipſius ampliſſimam præhabitam poteſtatem: et hoc etiam non ſine exempli mali pernicie, vias ſcilicet aperiendi ſubterfugiis vetitis, juriſque nota injuria, quòd ſine ulla fori præſcriptione, aliave cauſa legitima, in forma juris per procuratorem ad hoc conſtitutum proponenda et probanda, ordinarii judicis ſummi pontificis juriſdictio poſſit ‡ declinari.

* *Primæ tantum*, edit. H. † Ita MS. Perth. ut conjecerat Heam. reliqui codd. *edro*. ‡ *Taliter* pro *poſſit*, edit. H.

CAP. XLVIII.

De eiſdem inſtructionibus Scotorum, &c.

SED quia regnum ipſum Scotiæ, quod, ut dictum eſt, ad Romanam noſcitur eccleſiam pertinere, de jure communi, per quod par in parem non habet imperium, et per quod rex regi non ſubeſt, vel regnum regno, ſicut nec conſul conſuli, vel prætor prætori, quoad ipſum regem Angliæ, fuit ſemper omnino liberum; et, à tanto tempore, à quo non exſtat memoria, modóque etiam ſit in hujuſmodi libertatis poſſeſſione, contra ipſum ſuper hoc legitima proſecutione munitum; et aſſeratur eidem regi omnino non eſſe ſubditum * nec feodale: de cujus contrario non ſit etiam facta, ſed nec fieri poſſit, debita fides; judexque etiam alius non reperiatur ſuperior competens† in dicta cauſa, niſi ipſa Romana eccleſia, ad quam poſſit per Scotos, ſuamque eccleſiam Scoticanam, læſam tam enormiter et oppreſſam per dictum regem, pro juſtitia obtinenda ſuper ſibi illatis injuriis et damnis datis, haberi recurſus; ejuſdem domini regis, ut partis, teſtiſque ſolius, non jurati, in cauſa ipſa ſua propria, aſſertionibus, teſtimoniis, aut elogiis prælibatis, quæ pro ſe ſummo pontifici deſtinavit, in præjudicium credi non debeat alienum, quantacunque rex ipſe præemineat dignitate; ſed præcipuè in abſentia partis adverſæ, cujus aſſertionibus mutuoque judiciali conflictu, et non literis vel libellis, cauſarum merita declarantur. Nec poſſit præterea idem dominus rex judex eſſe idoneus in cauſa ſua ſupradicta, ubi regnum Scotiæ prædictum ſibi ſubjectum vel feodale non exiſtit penitus, ut eſt dictum. Præcellens Apoſtolicæ ſedis ejuſdem autoritas, quæ non finit in ſubditos fieri quod potentiæ, ſed quod juris eſt; nec in exhibenda juſtitia ad ſe juſtè confugientibus, maximè ſuis, deeſſe ullatenus conſuevit, impediri vel ſuperſedere non deberet de jure in præfato, ad ſe ſic revocato, Scotiæ negotio, prætextu illorum adhuc productorum per ipſum regem in partis abſentia juſtè; ut incœpit procedere ea facere in dicto regno quæ ſunt juris, maximè quia regis ejuſdem Angliæ, tanquam ſacrilegi, in multis arguenda, et per judicem eccleſiæ perpetrata venit audacia, et ſua multimoda per eundem eccleſiaſticum judicem improbitas punienda, ut invaſoris: de quo, quàm quàm magno, ipſius eſt eccleſiæ facere conquerentibus quibuſlibet læſis, maximè tamen eccleſiis eccleſiaſticiſve perſonis, per ipſum et ſuos ſic afflictis et oppreſſis, juſtitiæ complementum. Potiſſimè tamen ut renovatio ejuſdem negotii, dudum facta ad curiam tam deliberatè per ſedem ipſam, loco beneficii ſatis grati, per regis ejuſdem abrogatæ vetuſtatis figmenta non probata, invaſioneſque regni ejuſdem Scotiæ ſubſecutas per ipſum, notoriè tam injuſtas, non ſic fiat deluſoria, lubrica, irrita, infirma, ſine cauſa cognita in partis præſentia, quin potius efficax, ſtabilis et manſura permaneat, tanquam beneficium validum cujuſlibet principis et dictæ ſedis, duraturum. Cujus ſedis venuſtati, honori et juriſdictioni detraheretur manifeſtè ‡, ſi indebita et violenta

* *Feodatum vel feodale*, MSS. Coll. Ed. Cupr. et Perth. † *Idoneus*, MSS. plerique.
‡ *Non modicum* pro *manifeſte*, edit. H.

regnorum

regnorum unio ſic incœpta, ſubreptivè procederet, ſine ſedis ipſius auctoritate, per potentiam ſolam regis memorati; cùm tamen regnorum unio non niſi per ſedem ipſam fieri deberet ullo modo.

Ipſius etiam regis epiſtola ſupradicta, quæ annexam habet, et continet etiam in ſui narratione notoriam falſitatem, aſſertiones ſuas et omnia contenta in ipſa, propter commixtionem falſitatis ejuſdem, notoriè ſuſpecta faciunt, et ſuadent meritò repellenda, quemadmodum fermento modico corrumpitur tota maſſa. Et idem etiam rex, ſic citatus, quia ad præfixum ſibi terminum non comparens, de jure ſuo, ut debuit, in ipſo regno Scotiæ nihil oſtendit ſuper ſtatu prædicti regni libero, ſic defamati per ipſum indebitè, poſt terminum ſuper hoc non deberet ullatenus exaudiri.

CAP. XLIX.

Adhuc de iiſdem.

SCripſit etenim in dicta ſua epiſtola, ſummo pontifici deſtinata, ad majorem expreſſionem juris ſui in Scotiæ regno ſupradicto, falſum illud, notorium toti mundo, ſe ſciz. eſſe, jure pleni dominii, in poſſeſſione ejuſdem regni Scotiæ, ſuarum tempore datæ literarum; cùm tamen notoriè in ipſo regno civitatem ſedemve epiſcopalem, aut ullam dioceſim integram nullatenus obtineret de duodecim epiſcopatibus qui ſunt ibi; ipſo regno et populo tunc gaudente quaſi totaliter priſtinâ libertate. Propter quod vitium tam notoriæ falſitatis annexæ, ad reliqua examinanda vel probanda, quæ rex idem aſſerit, deberet eidem aditus interdici; eo potiſſimè quia nec in termino ſibi præfixo comparere non curavit, ut debuit, in curia, nec ſufficienter aliquid oſtendere de jure ſuo, quod in ipſo regno Scotiæ, ſuper ſua libertate habita inconcuſſè, et ſic poſtea defamato per eum et turbato, aſſeruerat ſe habere.

Verùm quamquam ex prædictis regis ejuſdem aſſertionibus non procedat ſua intentio, nec regno Scotiæ nocere debeant ſcripta quæ ſcripſit, de juribus et rationibus ſupradictis; quia tamen idem dominus rex, pro ſuo coadjuvando propoſito, coloratâ et interciſâ hiſtoriâ ſuccinctè et apparenter multa ſcripſit, tangendo breviter ſtatum, primùm Bruti et inſulæ Britanniæ, populorumque et regum qui ipſi Bruto in inſula Britanniæ ſucceſſerunt: et qualiter Brutus inſulam Britanniæ inter tres filios ſuos, Cambrum ſcilicet, Albanactum, et Locrinum, tunc primò diviſit in tres partes, Cambriam viz. Albaniam, et Loëgriam. Quia tamen rei geſtæ veritatem pleniùs ſcribere rex omiſit, ea tangens ſollummodo quæ ſuo viderentur propoſito convenire; reliquâ veritate ſuppreſſâ; ad notitiam hiſtoriæ pleniorem, expedit * pleniùs dicere, quæ nondum rex ſcripſit.

Et primò, qualiter de ipſa Britanniæ inſula: tertiæ partis ejuſdem, ſcilicet Albaniæ, exulavit nomen et memoria Britonum gentis ſuæ, in ejuſdemque locum Albaniæ ſucceſſit nomen novum Scotiæ, cum ſua gente. Ex cujus vera et plena deſcriptione hiſtoriæ apparebit, quòd

* *Oportet*, MSS. plerique.

ſcripta

ſcripta per ipſum regem ſuper hoc intentum ſuum non adjuvant, ſed eidem potius obviant manifeſtè, ſi latens ſub cortice educatur notitia hiſtoriæ, et ſi vetuſtatis, inductæ per regem, tenebræ detegantur, apparebit, quòd indebitum ſibi vendicare ipſæ non poterunt tenebræ, ut prætenditur, locum lucis.

Poſtquam igitur Scotorum populus antiquiſſimus, à quadam nomine Scota, filia Pharaonis regis Ægypti, ſic vocatus, primò ad Hiſpaniam, regionem juxta Iberum flumen, deſcendiſſet de Ægypto, et poſt occupatam ab ipſis Scotis primò inſulam in oceano Hiberniam, ab illo Hibero fluvio Hiſpaniæ ſic vocatam, expulſis per Scotos ipſos priùs inde gigantibus, (quæ Hibernia ab Iſidoro Scotorum inde dicitur inſula) et, ſecundùm Bedam, poſt occupatam ab eis, ſecundò Ergadiam adjacentem ipſi Albaniæ, parti prædictæ Britanniæ, quæ ab Erk filio Scotæ et Gathelo ejuſdem Scotæ viro, tunc Scotorum duce, bino inde vocata Ergadia, duobus nominibus compoſitis Erk et Gayel eorundem. Subſequenter et ſucceſſivè tertiò, ejectis Britonibus de Albania, idem Scotorum populus occupavit et Albaniam, partem illam prædictam tertiam inſulæ Britanniæ ſupradictæ: de qua rex idem ſcribit, jure eodem et titulo quo Brutus totam priùs occupaverat Britanniam, impoſito ipſi parti inſulæ, ſic occupatæ per ipſos Scotos, novo nomine Scotiâ, à prima illâ Scota Scotorum domina, juxta verſum;

A muliere Scota vocitatur Scotia tota.

Quibus actis, tali modo Britonibus de Albania per Scotos, cum ſuis rege, legibus, lingua et moribus Britonum, exulavit et inde notoriè nomen Albaniæ, cum dominio priſtino Britonum, in locumque ejuſdem nominis Albaniæ nomen ſucceſſit novum Scotiæ, unà cum Scotorum nova gente, ſuiſque ritibus, lingua et moribus; quibus nihil commune eſt cum Britonibus, unáque cum ſuo rege et dominio novo Scotorum. Et hæc pars inſulæ Britanniæ, dicta priùs Albania, ut rex ſcripſit, extunc, mutatis conditionibus cum nomine, vocata eſt Scotia iſta de cauſa ſemper poſtea inviolabiliter et inconcuſſè. Sed hoc tamen ſcribere, non ſine cauſa, rex omiſit, eo quòd ſuo propoſito nullatenus conveniret, ſed potiùs repugnaret. Scoti inſuper inimici per hoc facti Britonum, aſſociatis ſibi advenis Pictorum populis, partitâque cum eis ſic adeptâ Scotiâ terrâ ſuâ, in tantum ſunt ulteriùs Britones, Bruti ſciz. poſteritatem alternis* perſecuti; partemque illam aliam Britanniæ, ſibi vicinam, quæ tunc Loëgria, nunc verò Anglia, vocitatur, hoſtilibus ita incurſibus moleſtârunt, quòd compulſi ſunt tunc Britones, habitatores ejuſdem partis Loëgriæ, conſtituto tributo, ſe Romanis ſubjicere, et ipſorum auxilium contra Scotos et Pictos in ſuam defenſionem invocare†: ità quòd, dum, Severi imperatoris tempore, ſub tutela miſſæ eis Romanæ militiæ in ſubſidium contra Scotos, murus ille antiquiſſimus lapideus, per mediam Britanniam ſe extendens à mari uſque ad mare, et dividens tunc Scotiam à Loëgria, cum foveis ante murum, turribus et portis certis ‡ claudentibus verſus Scotiam, longitudinis cen-

* Alterius, *edit. Hearnii.* † *Al.* advocare. ‡ Portis certis vel ceris, *edit. H.*

tum

tum triginta milliarium *, ad hoc tantummodo eſt conſtructus, ne in Loëgriam contra Britones Scoti et Picti de Scotia poſſent irruere, vel nocere, ut ſolebant: prout de his omnibus ſatis conſtat ex hiſtoriis non ſuſpectis, etiam Romanorum, et ex veſtigiis pariter ſuperſtitis adhuc muri illius veteris operis lapidei ſupradicti.

CAP. L.

De iiſdem.

EX quibus patet, quòd, quia non eſt veriſimile Britones murum hujuſmodi tam ſumptuoſum, et ſibi aliàs inutilem, niſi pro ſua ſola tuitione contra Scotos conſtruxiſſe, nullatenus, invocato ad hoc tam remoto ſibi auxilio Romanorum, ſi penes ſe totius ipſius inſulæ tunc manſiſſet directum dominium, ut prætenditur et rex aſſerit, ſive etiam monarchia ejuſdem inſulæ, viz. eis Britonibus Scoti ſubditi priùs tunc fuiſſent; ſcripta regia abinde ſic confiƈta, quoad illa tempora prima Britonum, ad intentionis ſuæ regiæ juvandum propoſitum, et adpropriandum ſibi directum dominium Scotiæ, et firmandum per hoc fundamentum juris ſui in regno ipſo, non prodeſſe, ſed nec inniti ullius robori debito veritatis. Colligiturque etiam evidenter ex prædiƈtis, quòd prima illa de tempore Britonum allegata juris poſſeſſio, in regem ipſum vel ſuos continuata non exſtitit, ſicut ſcribit; ſed quòd naturaliter, ſicut patet ex prædiƈtis et aliis, fuit ſæpiùs interrupta, quódque illa omnia quæ rex ipſe in ipſo regno Scotiæ aſſerit ſe habere loco primi ſui juris, in eo quòd Britonibus ſe dicit in regno Loëgriæ ſucceſſiſſe, tanquam ex defectivo exorta principio operum mortuorum, collocataque etiam ſuper tam infirmo illius temporis Britonum, ſublato poſtea, fundamento, unà cum ſuo medio poſtea ſic † naturaliter interrupto, fore invalida vetuſtate ſublata, et vana penitùs, ſubſecutaque deinde ex ipſis et ſuperædificata ſingula apparenter ſolummodo loco juris dicti domini regis in dicto Scotiæ regno, veritate detectâ negotii, in præſentia partium, debere tendere merito finaliter in ruinam: ex eo potiſſimè quòd, mutatis conditionibus temporum, mutata ſunt etiam jura gnorum et gentium: et quòd non permanet idem illius temporis ſtatus qui tunc fuit, ſicut et qui nunc eſt; prout patet in Romanis, qui non ſic modò, ut ſolebant, dominantur toti orbi; ad quos Romanos ſicut orbis monarchia, quæ primò Aſſyriorum fuiſſe noſcitur, de gente ad gentem tranſiens, ultimò noſcitur perveniſſe, et adhuc ſubſiſtere penes ipſos. Sic ſi quoquo jure primò Britonum, inſulæ totius Britanniæ regnum Loëgriæ obtinuerit aliquando monarchiam, ut rex ſcripſit, ſed non eſt verum, poſtquam tamen, mutatis illis primis conditionibus temporum, inſulæ ipſius Britanniæ occupaverunt poſtea Scoti tertiam partem, ſciz. Albaniam, et inde nomen ac memoriam Britonum notabiliter deleverunt, et notoriè ab antiquo, ut eſt dictum, inſulæ ipſius monarchia, ſi qua fuit, Britonum ipſorum eſſe deſiit per proceſſum temporis, nec penes regnum Loëgriæ noſcitur permanſiſſe: immo ad

* Ex Eutropio forte numerus; nam quædam iſtius libri exemplaria habent CXXXII. pro LXXXII. † Al. *deinde*.

Romanam ecclesiam, tam Divinâ dispositione quàm subsequentium devotione fidelium, et ex imperatoris Constantini Magni dono indubitanter pertransiit, et manifestè residet penes ipsam. In cujus ecclesiæ præjudicium quantum rex ipse Angliæ præsumpserit, appropriando sibi indebitè ipsius insulæ monarchiam, quæ non est sua, in præjudicium alienum, et appropriando sibi de novo, etiam per vim et metum, regnum Scotiæ tunc acephalum, sede Apostolicâ ipsius regni directâ dominâ tunc vacante et inconsultâ, Romana ecclesia satis potest advertere et videre quàm grave detrimentum ipsi ecclesiæ possit imminere pro tempore, si in insula Britanniæ rex regnaret unicus, et in regno Scotiæ sic obtentus honor cessaret regius indebitè, et nomen regis. Quod Scotiæ regnum, ab olim semper infestum regno Angliæ, nulli regum Britonum vel Saxonum subfuisse noscitur vel probatur, nisi quatenus obscura refert antiquitas, quòd sicut Arthurus sibi subjugavit Daciam, Galliam et Norwegiam per potentiam, sic etiam Scotiam pro suo solummodo tempore. Nam eo Arthuro perempto per Modredum, Loth * domini Laudinæ filium, in belli certamine, restituta fuit per hoc Scotia in tantum suæ pristinæ libertati, quòd, ejectis postea de Loëgria Britonibus per Saxones, non minùs dolo quàm potentiâ, vi, vel armis; et denuo ejectis de eodem regno Loëgriæ per Dacos ipsis Saxonibus; et iterum Dacis expulsis inde per Saxones, primo regni Loëgriæ nomine sic in Angliam commutato, suum tamen Scotia nomen, vel Scotorum populus statum liberum non mutavit, sub tanta regni Loëgriæ mutatione et incolarum ejusdem: immo firmum manſit, laudetur Deus, et immobile, nulli alteri regi Britonum Loëgriæ, vel Saxonum Angliæ subditum, nisi, ut prædictum est, Arthuro, quicquid per suas epistolas in contrarium rex affirmet†.

CAP. LI.

De iisdem.

QUinimmo per venerandas reliquias beati Andreæ Apostoli, miraculosè de Græcia navigio delatas in Scotiam, ibidem Durst sive Hurguist‡ super Pictos tunc regnante, et super Scotos Erch filio Echadii fratris Eugenii, Scotia fidem Christi recepit solidiùs, quam longe ante, priusquam Saxones vel Anglici per annos cccc. Et pro tanto Divinæ miserationis dono, dictum extunc regnum Scotiæ traditur in Romanæ ecclesiæ feudum transisse; cùm Scoticana ecclesia, tam remota, non sine causa cum grandique mysterio et dono Dei, sibi subesse cœpit, sine metropolitano alio medio, Petro principi ecclesiæ, et B. Andreæ germano

*Ita editio H. *filium Loth regis Scotiæ*, MSS. nostri, errore nescio unde orto. Vide Galfridum Monumethensem fabulæ auctorem. †Rex falso affirmet. Et propter hujusmodi subjectionem Arthurus, in bello à Scotis circumventus, peremptus est. Per venerandas etenim, &c. *MS. Hurl. aliique.* ‡Hungo, *plerique MSS. sed vide supra, lib. 2. cap. 60.* Porro, Hungo rege tunc regnante, propter magnum à Deo Scotis et Pictis concessam victoriam de Saxonibus, ad ostium Tyni fluminis, ut habet historia ipsius, Scoti primo sumpserunt fidem Christi, priusquam Saxones vel Anglici per annos quadringentos. Et, pro tanta à Deo consecuta victoria, recognitum fuisse traditur extunc dictum regnum Scotiæ in Romanæ feodum ecclesiæ, et una cum regno Scoticana ecclesia, &c. *MSS. Coll. Edinb. Cupr. Perth.*

beati

beati Petri, ſucceſſoribus eorum, i. e. Romano pontifici, in alienam ſuperioris eccleſiæ metropolitanæ familiam non tranſivit. Quinimmo regno Angliæ facto poſtea Romanæ eccleſiæ notoriè cenſuali, onus cenſûs hujuſmodi, ſicut Anglia, Scotia non ſuſcepit, utpote in nullo ſibi conveniens jure dominii. Sed regnum idem Scotiæ, velut præcipuum et peculiare allodium eccleſiæ Romanæ, pleno jure cum ſua eccleſia, ſeparatum omnino ab Anglia, Apoſtolicæ ſedis præſidiis, beneficiis potioribus et privilegiis, defenſum fuiſſe legitur ab ipſa Romana eccleſia extunc, contra Saxones, et eorum ſucceſſores Anglicos, Scotis oppido infeſtos, ut fidelibus infideles eſſe ſolent.

Quibus Scotis in illis partibus, pro domandis nationibus vicinis rebellibus, aliquando uſa eſt Romana eccleſia veluti Aſſur, et adhuc eorundem uſu et auxilio, ut aliquando indiguit, poterit forſitan proceſſu temporis indigere. Quod Scotiæ regnum ſi, ut per regem aſſeritur, ab Angliæ regno ſic dependeret, non eſſet ipſo magis liberum in ſolutione cenſûs et in aliis, nec ab illo in hoc et in aliis jure diverſo ullatenus cenſeretur. Nam ſicut Scotia certum cenſum non ſolvit Romanæ eccleſiæ, ſic nec comitatus Cumbriæ, et Northumbriæ, ſeu Weſtmorlandiæ, quamvis ad dominium pervenerint Anglicorum; et hoc ideo, quia, tempore conſtituti cenſûs hujuſmodi, comitatus prædicti Scotis omnino ſuberant; et ſic in ſolutione cenſûs omnino liberi permanſerunt. Ad quorum comitatuum populos, utpote tunc Scotis ſubditos, non niſi per Scotos primos doctores fidei in illis partibus, Columbam ſcilicet, Aidanum, Finanum, et Colmanum, et alios, diu antequam ad Angliam, perveniſſe convincitur notitia fidei et nomen Chriſti. Nec revocatur in dubium, quin Gregorius, Dungalli filius, rex Scotorum, totam ſibi aliquando ſubjugaverit Angliam. Et de ſubjectione Scotorum Saxonibus, quæ negatur, omnino non fit fides, niſi per aſſertionem ſolam regis Angliæ, et per ſuſpecta domeſtica ſcripta ſua, de quibus non eſt idonea probatio pro ſeipſo. Sed nec tactis per ipſum miraculis vel revelationibus Sancti illius credendum eſſe autoritate convincitur. Etiamſi martyr eſſet ipſe, per quem probentur revelationes ipſæ à Deo proceſſiſſe? quarum probatio ex epiſtola regis non eſt certa; ſed nec in noſtri temporis judiciis conſueta, eo quòd in angelum lucis angelus Sathanæ ſæpe ſe transformat, et Sauli in Samuelis ſpecie reſpondiſſe legitur Pythoniſſa. Inauditum eſt quòd unquam fuerit fama ulla vel ſermo in Scotia de revelatione facta illi Johanni, quam pro ſe rex ille domeſticè allegat. Verumtamen licet allegata per ipſum regem miracula, geſtave ſingula illius temporis probari poſſent tunc vera fuiſſe, cùm de facto fuerint falſa: quia tamen ab illis vetuſtatibus omnino receſſum eſſe dinoſcitur; et à tempore, de quo non exſtat memoria, gaviſum eſt regnum ipſum Scotiæ omnimodâ libertate, et præſcripſit eandem, jure communi ſibi in hoc ſuffragante: ita quòd allegatæ vetuſtates per regem etiam ſi veræ eſſent, cùm ſint falſæ, ſibi modò locum non vendicant, nec eſt ipſis aliquatenus inſiſtendum *; eo quòd ex noviſſimis actibus et pactis † quæ ſpectanda ſunt, derogatum eſt

* Eo quod tranſlato ipſius partis inſulæ Albaniæ dominio in ipſos Scotos, facta eſt legis et juris prioris mutatio, quæ duravit ſemper poſtea et ex noviſſimis, &c. *MSS. Coll. Edin. Cupr. Perth.* † Actis et pactis ſubſecutis, *iidem.*

his

his, quorum probatio vel memoria non exiſtit. Et eſt certum, quòd ſicut ipſum regnum Scotiæ nuper convincitur fuiſſe liberum, quando obiit ultimus rex ſuus, ſic et liberum fuiſſe præſumitur ab antiquo, ſumptâ præſumptione de tempore nuper præterito ad præcedentia præterita tempora plus remota, prout jura dictant; et geſta ſubſequentia indicant ita eſſe.

CAP. LII.

De iiſdem.

DE ultimo verò tempore regum Angliæ Normannorum, ſicut de præcedentibus temporibus et regibus Britonum et Saxonum, dicta continuando diverſa, idem rex Angliæ multa ſcripſit ſuo convenientia propoſito, vacua tamen omnimodâ veritate: ad quæ omnia poteſt breviter veritatis ſerie reſponderi. Nam ſi rex ullus Scotiæ regi alicui Angliæ, poſt adventum Normannorum in Angliam, feciſſet fidelitatem vel homagium, ut aſſeritur, poſſet legitimè comprobari hujuſmodi homagium, pro regno Scotiæ, de jure communi, vel de facto libero, id factum non exſtitit ipſi regi Angliæ, ſed pro terris ſitis in Anglia, quas iidem habere pro tempore reges Scotiæ conſueverunt. Nec huic obviat tacta per regem hiſtoria de inſtitutione Duncani et Eadgari regum Scotiæ, Dovenaldique deſtitutione, ſi rei geſtæ, ſicut ſe habet, veritas pleniùs attendatur: eo quòd, occupato dudum regno Scotiæ per quendam Dovenaldum, ejectis de regno legitimis ipſius heredibus Malcolmi regis filiis, quorum ſororem, Matildem nomine, Henricus primus rex Angliæ duxerat in uxorem; Duncanus primogenitus, ſed nothus*, ejuſdem Malcolmi regis, fretus forte ipſius Henrici tunc Angliæ regis, ut ſui ſororii vel affinis, auxilio, et non ut domini, regnum Scotiæ ſibi recuperaſſe noſcitur, inde ejecto Dovenaldo ſupradicto. Quo Duncano perempto, poſtea Eadgarus frater ejus regnum Scotiæ, per Dovenaldum eundem occupatum iterato, ſibi recuperavit, favore forte vel auxilio ſit regis Angliæ, ut ſui ſororii vel affinis; quemadmodum regnum Angliæ poſtea occupatum per Stephanum, Matilde imperatrice regni tunc herede legitimâ excluſâ, ipſa Matildis et filius ſuus Henricus ſecundus, favore et auxilio David, tunc regis Scotiæ, Matildis ejuſdem avunculi, regnum Angliæ recuperâſſe noſcitur pari formâ. Per hæc tamen præſidia mutua, ſolita fieri, ſicut inter vicinos pariter et affines, qui, cùm res exigit, ſibi mutuo favent et aſſiſtunt, injuſtè arguitur vel probatur regnum Scotiæ ſubjectum eſſe regi Angliæ, aut ab ipſo aliquatenus dependere. Quinimmo tenens idem David rex Scotiæ tunc comitatus Cumbriæ, Northumbriæ et Weſtmorlandiæ, tanquam ſuos, (quoniam, ut dominum eorum, conſtruxiſſe in eis certum eſt quædam caſtra, ac monaſteria plurima ex ſolo fundaſſe in eiſdem), pro regno Scotiæ prædicto ipſe nulli regi Angliæ nullum unquam feciſſe noſcitur homagium aut alterius ſubjectionis ſignum, ſed tantùm pro terris quas in Anglia obtinebat. Quod probatur manifeſtè, dum Henricus, filius

*Deſiderantur verba, *ſed nothus*, in MSS. Col. Ed. Cup. Per. *nothus ſive baſtardus*, MS. D. G. M.

David

David regis Scotiæ memorati, et præmortuus patri ſuo, fuiſſet tunc comes * Huntingtoniæ in Anglia, homagium, quod regi Angliæ feciſſe aſſeritur, fieri non potuit pro regno Scotiæ, ſuperſtite adhuc rege David patre ſuo, ſed pro comitatu prædicto ſito in Anglia, quem tenebat. Quia non eſt juris aliarum partium, quòd pro feodo, quod ſuperſtes adhuc pater tenet, filius facere homagium conſuevit. Et hoc idem debet intelligi de introducto facto ſubſequenter homagio per David et Willelmum, filios Henrici comitis prædicti, nepotis pariter ejuſdem David regis Scotiæ, qui, avo ſuo David rege Scotiæ adhuc ſuperſtite, patreque ſuo Henrico comite jam defuncto, in eiſdem terris ſitis in Anglia ſucceſſerunt, et ipſi regi Angliæ pro ipſis fecerunt homagium conſuetum. Qui David, Malcolmus et Willelmus, ſuperſtite adhuc David rege Scotiæ, non videntur pro regno Scotiæ feciſſe homagia, prout juncta regis Angliæ epiſtola audientibus videtur innuere, et aſſerere ſophiſtica ſcripta ſua.

CAP. LII.

De iiſdem.

PORRO, mortuo eodem rege Scotiæ David Carleoli, tanquam in poſſeſſione pacifica comitatuum Cumbriæ, Northumbriæ et Weſtmorelandiæ, et vacante per ejus mortem regno Scotiæ, et per abſentiam Willelmi dicti David regis nepotis, ſibi in regno Scotiæ ſucceſſuri, expeditionis cauſâ, tunc degentis contra hæreticos Albigenſes in partibus Tholoſanis, poſtquam Henricus rex Angliæ, Matildis im-

† Comes Huntingtoniæ in Anglia tunc exiſtens, cum feciſſet homagium, quod regi Angliæ feciſſe aſſeritur, non fecit pro regno Scotiæ, cum adhuc viveret pater ejus David, rex Scotiæ ſupradictus, ſed pro comitatu ſuo Huntingtoniæ in Anglia. Non enim pro feodo paterno, dum pater ſupereſt, et feodum tenet, filius facere homagium conſuevit. Et illud idem probatur intelligi deberi de introducto ſubſequenter homagio facto per David et Willelmum filios Henrici comitis Huntingtoniæ memorati, qui, avo ſuo David rege Scotiæ adhuc ſuperſtite, patreque ſuo Henrico comite jam defuncto, facto regi Angliæ debito homagio pro eiſdem terris ſuis, ſitis in Anglia, eidem Henrico comiti, ſciz. defuncto patri ſuo, ſucceſſerunt. Nec ad regnum Scotiæ vel pro regno referri poſſunt facta homagia prædicta Henrici, David vel Willelmi prædictorum, ſuperſtite tunc David adhuc Scotiæ rege ſupradicto. Rex tamen ipſe Angliæ, facti prædicti ignaros ad aliud credendum nititur introducere per præmiſſa ſophiſtica ſcripta ſua. Porro, mortuo dicto rege Scotiæ David Carleoli, in poſſeſſione pacifica Cumbriæ, Northumbriæ et Weſtmerlandiæ prædictorum comitatuum, regnoque Scotiæ per hoc vacante, et per abſentiam Willelmi, dicti David nepotis et heredis, tunc in regno Scotiæ ſucceſſuri, qui tunc, expeditionis cauſa, favore fidei et eccleſiæ, erat contra hæreticos Albigenſes in partibus Tholoſanis, Henricus rex Angliæ, filius Matildis Imp. prædictæ, (ſub quo paſſus eſt B. Thomas) cui idem David reſtitutionem procuraverat regni Angliæ memorati, reddens malum pro bono, ut ingratus, prædictos comitatus Cumbriæ, Northumbriæ et Weſtmerlandiæ violenter invadens occupavit eoſdem; et erexit Carleoli ſua auctoritate ſola, ut creditur, eccleſiam cathedralem, cum tamen prius fuerat de dioceſi Glaſguenſi in Scotia, ad fidem converſa per Scotum Sanctum Kentigernum, in cujus Sancti honorem ejuſdem dioceſis eccleſiæ ab antiquo fuerunt plenarie dedicatæ, in prædictorum memoriam et exemplum. Ad quorum recuperationem comitatuum Willelmus prædictus, promotus in regem Scotiæ, vehementer intendens, facto exercitu captus fuiſſe perhibetur in Anglia et per Anglicos quocunque ingenio, et ductus in Normanniam regi Angliæ ſit captivus. Ubi ſic exiſtens in carcere, pro ſua liberatione, ut rex aſſerit, ſuper ſtatu regni Scotiæ aliqua inſolita innovavit, promittens ea adimplere, poſtmodum liberatus, datis pro ſecuritate præmiſſorum ipſi regi Angliæ fortioribus regni Scotiæ quatuor caſtris. Et ſi propter hoc adimpleverit præmiſſa, in præjudicium regni ſui, facta ſua hujuſmodi regno vel libertati ejuſdem non debent præjudicium generare; tum quia idem rex Willelmus ſic incarceratus nec liber, vel ſui juris compos exſtitit, tum quia poſtea receſſum fuit a ſtatu illo. *MSS. Coll. Ed. Cupr. Perth. et Harl.*

peratricis prædictæ filius, cui regni Angliæ occupati per Stephanum, ut eſt dictum priùs, fuerat reſtitutio per David regem Scotiæ procurata, prædictos comitatus Cumbriæ, Northumbriæ et Weſtmorelandiæ violenter invadens occupavit eoſdem, et erexit Carleoli, quæ priùs fuerat de dioceſi Galvidiæ vel Glaſgw in Scotia, ſuâ auctoritate ſolâ, ut creditur, eccleſiam cathedralem. Idem Willelmus in regem Scotiæ promotus, ad recuperationem eorundem comitatuum, prout licere ſibi videbatur, vehementer intendens, facto exercitu, ingreſſus eſt Angliam, et ibidem quocunque ingenio captus per Anglicos, ductus eſt Normanniam regi Angliæ ſit captivus. Si ſic jam exiſtens in carcere, pro ſua liberatione ſuper ſtatu regni Scotiæ aliqua innovaverit inſolita, et ipſa adimpleverit liberatus, ut rex ſcribit, quæ tamen nec vera creduntur nec probantur, promiſſa tamen talia per ipſum Willelmum regem in præjudicium regni ſui Scotiæ, factave ſua alia, ſi qua tunc feciſſe noſcitur, ſublata tamen poſtea per pacta poſteriora ſubſecuta, pactis contraria prioribus, regno Scotiæ, vel libertati ejuſdem habitæ præjudicium generare non debebunt; tum quia idem rex Willelmus, ſic incarceratus, non fuit tunc liber ullatenus vel ſui juris, tum quia poſtea receſſum fuit à ſtatu illo pactis et compoſitionibus ſic initis, et ad libertatem regni Scotiæ primævam et debitam habitus eſt recurſus, munitâ legitimâ præſcriptione ſubſecutâ: pactaque noviſſima ſuper regni ſtatu Scotiæ ſubſecuta poſtea, compoſitiones et promiſſiones ſingulas, quas rex Angliæ adducit contra libertatem regni Scotiæ, per eundem regem Willelmum, vel per alium, ſi quæ aliquando præceſſerunt, invalidas, caſſas et irritas fecerunt *. Quod probatur evidenter ex eo, quòd con-

*Effecerunt. Eo quod Richardus rex Angliæ, filius Henrici memorati, recognoſcens bonam fidem, et patrem ſuum in prædictis injuſte egiſſe contra regem et regnum Scotiæ memoratum, recepta ab eodem rege Scotiæ Willelmo magna ſumma pecuniæ, et caſtra, quæ habuerat in Scotia pro ſecuritate prædicta, eidem regi Scotiæ Willelmo reſtituit, obligationeſque et promiſſiones omnes exortas, ſive extortas, prædicta de cauſa, in regni ipſius Scotiæ præjudicium, eidem regi Willelmo remiſit, ipſumque et regnum ſuum Scotiæ liberavit ipſis totaliter, quatenus de facto ſive de jure tenuerat, per inſtrumenta publica confecta de omnibus et ſingulis ſupradictis. Et inde eſt, quod non exſtat memoria, quod vaſalli, vel ſubditi regis Scotiæ ulli regi Angliæ homagia fecerunt, ut pro ſe rex ipſe allegaſſe videtur, ſemperque fuit locus tutus refugii de uno regno in aliud, propter commiſſa delicta, fugientibus reis et criminoſis, ut eſt notorium, in regnorum partibus prædictorum. Reſcriptaque Gregorii IX. et Honorii III. quæ, juxta ſuggeſtionem regis Angliæ, inde facta, rex Scotiæ nominatur homò ligius regis Angliæ memorati. Vel debet hoc intelligi pro terris ſuis in Anglia, quas de eodem tenebat rex Scotiæ, et non pro regno Scotiæ libero, quo ad eum. Et juxta jus commune fuit hujus dubii interpretatio, libertative regiæ aut juri eccleſiæ exinde nullatenus derogari videatur. Referrive etiam poſſent reſcripta eadem ad illa regis Willelmi tempora et conventiones invalidas irritas per eandem, occaſione ſuæ incarcerationis, quæ poſtea noſcitur fuiſſe totaliter denegata, et non ad tempora quibus ad libertatem priſtinam habitus eſt regreſſus ab ipſo regno Scotiæ, diutiſſime ſemper poſtmodum obſervatus, prout hæc libertatemque regni ejuſdem Scotiæ ſubſequentia facta comprobant manifeſte, et regum geſta Angliæ pariter, et diverſa Apoſtolica reſcripta et privilegia regno Scotiæ memorato conceſſa. Rex etenim Scotiæ Alexander, prædicti Willelmi regis filius, per xxxvi. annos rex regnavit in Scotia, nulli unquam regum Angliæ, ut rex pro regno Scotiæ, homagium fecit, nec de ullo homagio facto per ipſum regem Alexandrum, aut per alios reges Scotiæ, rex ipſe Angliæ fecit in ſuis domino ſummo pontifici memoratis miſſis literis mentionem, Alexanderque etiam tertius, dicti Alexandri regis filius, et ultimus rex Scotiæ, jam defunctus, ſimiliter per xxxvi. annos regnavit poſt patrem, faciendoque huic Eadwardo regi Angliæ pro terris ſuis de Penreth et de Tyndale ſitis in Anglia, volens caute agere, et ſibi in ſuo jure et libertate præcavere in poſterum, publice proteſtatus eſt, quod non pro regno Scotiæ, ſed pro terris ſuis ſitis in Anglia, ſibi dictum homagium faciebat. Rexque iſte Angliæ hujuſmodi homagium ſic admiſit. Propter quod, &c. *MSS. Coll. Ed. Cupr. Perth. et Harl.*

ſtat

ſtat Richardum regem Angliæ, filium Henrici regis memorati, revertentem ad bonum conſcientiæ, recognoviſſe patrem ſuum Henricum prædictum injuſtè egiſſe contra regem Willelmum Scotiæ et regnum ſuum: qui, receptâ ab ipſo magnâ ſummâ pecuniæ, tam caſtra quæ pater ſuus tenebat in Scotia pro ſecuritate prædicta, eidem regi Scotiæ Willelmo reſtituit notoriè, obligationeſque et promiſſiones quaſcunque, extortas prædictæ captionis de cauſa, et omnia jura quæ ei competerent in regno Scotiæ ipſi regi Willelmo remiſit penitùs, et ab eis liberavit eundem, quatenus de facto tenuerat vel de jure, per confecta inde publica et notoria documenta. Inde eſt, quòd Gregorii Papæ noni et Honorii tertii introducta pro rege Angliæ Apoſtolica reſcripta, quæ per ſuggeſtionem regis Angliæ accepta noſcuntur, regni Scotiæ libertati non obviant, tanquam abrogata per pacta noviſſima, et liberationes poſtea ſubſecutas. Juxta quæ reſcripta, ſecundùm ſtatum illius temporis, vel pro terris ſitis in Anglia, rex Scotiæ tantùm regis Angliæ nominatur homo liegius, ut allegat. Aliudque etiam ejuſdem Papæ Gregorii reſcriptum, innuens fidelitatem per comites, barones, &c. regni Scotiæ factum aliquando fuiſſe regi Angliæ, regni Scotiæ libertati ſimili modo non obviat, pro eo, quòd narrationem ejuſdem regis Angliæ, ſecundùm illa tempora, tantùm continet conditionalem concluſionem et reſponſionem ſummi pontificis ad ſuggeſta, quibus nulli fit præjudicium. Sed narratis in ipſo ſcripto derogatum eſſe probatur patenter poſtea in eo, quòd, compoſitiones eaſdem taliter, roboratas per Gregorium, approbatas fuiſſe non exſtat memoria, viz. quòd ulli vaſſali regni Scotiæ regi alicui alii ſubjectionem, homagia, fidelitatemve fecerunt, ut in eodem Gregorii reſcripto aſſeritur, niſi pro terris ſitis in Anglia, quas ibidem de rege Angliæ tenere Scoti proceres conſueverunt.

Notoriumque eſt etiam et nulli dubium, quòd, evacuatis eiſdem compoſitionibus omnibus, à tempore illo à quo non exſtat memoria, criminoſis quibuſcunque fugientibus de regno Angliæ in Scotiam, et è converſo, locus fuit tutiſſimus obſervatus * refugii per omnia, et pari juri hîc ut ibi†; et hoc contra formam et tenorem compoſitionum et reſcriptorum eorundem, quæ eo tempore ſervierunt modernis uſibus, et juribus ‡ in ſuo ſtatu omnino temporibus duraturis.

Et ſic evacuatis compoſitionibus ſic initis regis Willelmi tempore, ſi quæ eſſent, per actum, vel per uſum, eis omnino contrarium, ſubſecutum, et obſervatum poſtea tempore longiſſimo, priorumque vetuſtatum earum erroribus non probatis, conſtabat luce clarius, tam de jure communi præſcriptioneque legitima, quàm privilegiis et reſcriptis Apoſtolicis noviſſimis uſque longiſſimè libertatis habitæ, geſtiſque pariter et actibus regum ipſorum Angliæ ultimò regnantium eandem regni Scotiæ annuentibus et approbantibus libertatem, regnum ipſum et regem Scotiæ eſſe omnino liberum quoad regem Angliæ et regnum ſuum, prout evidentiæ modernæ infraſcriptæ indicant, quibus ſedes ⸸ irrefragabilis adeſſe dinoſcitur veritatis.

* Vocabulum *obſervatus* deeſt in cod. D. G. M. † Subjicitur in eodem cod. "quod "non eſt veriſimile unum regnum alteri eſſe per hoc ſubjectum." ‡ *Viribus*, ibid. ſed mutila videtur ſententia. ⸸ F. *fides*.

CAP.

CAP. LIII.

Adhuc de iiſdem.

NAM Alexander rex Scotiæ, ipſius prædicti regis Willelmi filius, per triginta ſex annos rex regnavit in Scotia, nulli regi Angliæ pro regno Scotiæ fecit homagium; nec de aliquo per ipſum facto homagio, tanquam per regem, fecit rex Angliæ ullam omnino mentionem, ſicut de aliis regibus Scotiæ prædeceſſoribus ſuis, de quibus memoria non exiſtit. Alexanderque etiam III. dicti Alexandri regis filius, et nunc ultimus rex Scotiæ, qui xxxv. etiam annis in omnimoda regnavit libertate poſt patrem, faciendo homagium huic Eadwardo regi Angliæ pro terris tantùm de Penreth et de Tyndale ſitis in Anglia, volens cautiùs agere et ſibi in ſuo jure et libertate habita præcavere in futurum, quâlibet ſuper hoc ambiguitate ſubmotâ, publicè proteſtatus eſt, "Quòd "non pro regno Scotiæ, ſed pro terris prædictis ſitis in Anglia, ho-"magium faciebat:" rexque iſte Angliæ Eadwardus oblatum hujuſmodi homagium ſic admiſit. Propter quod præſumitur et datur intelligi, talia fuiſſe et ſimilia priora facta homagia regibus Angliæ per reges certos Scotiæ, de quibus fit mentio in ipſius regis epiſtola, ſi qua fecerunt, quale fuit iſtud ultimum * factum pro terris ſitis in Anglia, tam publicè expoſitum coram multis, et approbatum ab ipſo rege; eo quòd talia ſunt ſubjecta qualia prædicata permittunt.

Et hunc ſtatum libertatis regni ipſius Scotiæ manifeſtè declarant et innuunt geſta noviſſima, et actus varii, diverſaque etiam reſcripta Apoſtolica et privilegia manifeſtè comprobant illud idem. Primò quidem Henricus ultimus rex Angliæ, cùm ab Alexandro rege Scotiæ, ſuo genero, contra Simonem de Monteforti et ſuos complices ſibi petiiſſet impendi auxilium, per ſuas patentes ſuper hoc datas literas, regi Scotiæ ad cautelam recognovit, ad libertatis ipſius manifeſtum indicium, ſe hujuſmodi auxilium non ſuſcipere ex debito, ſed ex gratia ſpeciali. Ejuſdemque patris ſui Henrici filius hic rex Eadwardus, progenitoris ſui imitando veſtigia, et approbando priora facta ſua, dum ejuſdem Alexandri regis Scotiæ, ſui ſororii, in ſuæ coronationis ſolemniis habere præſentiam affectaret, eidem regi Alexandro, aliàs illuc accedere recuſanti, caviſſe noſcitur ſuis etiam literis patentibus, quòd non ex debito ſed tantummodo ex gratia hoc fiebat. Vacantiſque deinde regni ejuſdem Scotiæ per mortem Alexandri regis prædicti, non ad ipſum regem

*Tam publice expoſitum et declaratum homagium coram multis, eo quod talia ſunt ſubjecta qualia prædicata permittunt. Et hoc idem declarant manifeſte geſta noviſſima regum Angliæ modernorum etiam ſubſecuta per regem Willelmum eundem, Henrici ſcilicet quondam regis Angliæ, et Eadwardi nunc regnantis, diverſaque reſcripta Apoſtolica et privilegia manifeſte comprobant illud idem. Primo quidem Henricus ultimus rex Angliæ, cum ab Alexandro rege Scotiæ, ſuo genero, contra Simonem de Monteforti et ſuos complices ſibi petiviſſet impendiſſe auxilium, per ſuas ſuper hoc dictas literas recognovit, ſe hujuſmodi auxilium non ſuſcipere ex debito, ſed ex gratia ſpeciali. Ejuſdemque patris ſui Henrici hic Eadwardus rex Angliæ veſtigia imitando, dum ejuſdem Alexandri regis Scotiæ, ſui ſororii, in ſuæ coronationis ſolemniis habere præſentiam affectaret, eidem regi Alexandro alias accedere recuſanti caviſſe noſcitur ſuis literis, quod non ex debito ſed tantummodo ex gratia hoc faciebat. *MSS. Coll. Ed. Cupr. Perth. et Harl.*

Angliæ,

Angliæ, velut ad ipſius rectum dominum, regni pervenit cuſtodia Scotiæ memorati, ut de feudis fieri conſuevit, ſed ad ipſius regimen per regni ejuſdem proceres certi electi cuſtodes exſtiterunt; qui, rege ipſo Angliæ ſciente, tolerante et approbante eorundem cuſtodum regimen, nullumque ſibi jus competere in dicto regno, utpote nondum, ut poſtea, lacerato in partes, vendicante, nulloque etiam per ipſum deſuper impedimento præſtito, regni ipſius regimini præfuerunt per ſex annos et ultra, quouſque in dicto regno Scotiæ ſuboriri cœpit diſſenſionis materia inter partes ſuper jure potiori ſuccedendi in regnum ipſum, herede ipſius Margaretâ puellâ jam defunctâ. Per cujus mortem ſuſcitatâ diſcordiâ inter Scotos, idem rex Angliæ, primò fingens exteriùs ſe ea velle tractare, quæ pacis eſſent, in Scotia inter partes, et ſic ſub ovili vellere ſe ingerens regni ipſius tractatibus etiam non vocatus, in lupinam interiùs commutatus effigiem, allectâ ſibi callidè ejuſdem regni Scotiæ procerum unâ parte, et ſic, reliquâ ſibi parte reſiſtere non valente, de facto regni ejuſdem ſibi uſurpavit cuſtodiam per oppreſſionem tam notoriam, vim et metum, qui cadere poſſent in conſtantes. Et licet Romana eccleſia tunc pro parte ipſius regni fuiſſet nominata domina regni ejuſdem coram ipſo, ſicut erat, ipſe tamen rex allegationem hujuſmodi non admiſit: immò dixiſſe tunc noſcitur coram multis, ut à verbis ſuis non recedatur; " Quòd ſi preſbyter Romanus vellet pro " libertate Scotiæ, quoad eum, aliqua dicere, opportebat ipſum venire " Londonias, et illa ibi proponere coram ipſo." Nec autem etiam idem rex, in adventu ſuo primo tunc ad regnum ipſum Scotiæ, procerum ejuſdem regni extra ipſius Scotiæ limites coram ſe habere potuit petitam de gratia præſentiam, quàm patenti priùs ſcripto ipſe caveret, ad cautelam libertatis obtentæ, eiſdem proceribus, etiam jam diviſis in partes, quòd hujuſmodi acceſſus ad eum extra regnum in regni ejuſdem non redundaret præjudicium, quódque non ex debito, ſed ex gratia, hoc fiebat. Per ſuoſque etiam nuncios ſolemnes, epiſcopos, comites et barones, ad hoc ſpecialiter deputatos, promiſit ſolemniter rex præfatus Angliæ, dudum autem et regno Scotiæ vacante, quòd, ſi de matrimonio prælocuto contrahendo inter filium ſuum Eadwardum et Margaretam, dicti regni Scotiæ dominam et heredem, tunc ſuperſtitem, contingeret liberos non exſtare, ſe regnum ipſum Scotiæ reſtituturum liberè regni ipſius proceribus, et ſine omni ullave ſubjectione, ut de hoc poteſt fieri confeſtim ſatis fides: quod veriſimile non eſt, regem Angliæ promittere voluiſſe ullo modo, ſi tunc jus ſibi competere in regno eodem Scotiæ fuiſſet probabiliter opinatum. Multa quidem et alia, quæ ſcribi non poſſunt brevi ſtilo, regni ejuſdem Scotiæ manifeſte comprobant libertatem, innitentem juris communis fortiſſimo fundamento, quod coadunare convincuntur antiqua, etiam moderna alia geſta multa Apoſtolicaque privilegia et reſcripta, uſuſque communis his temporibus ultimis obſervatus inconcuſſè. Inter quæ Honorius tertius Papa, prædeceſſorum ſuorum imitando veſtigia, regno Scotiæ noſcitur indulſiſſe: quòd, ſuper terris vel poſſeſſionibus ſitis in ipſo regno, ad extrapoſitorum judicum Scotus nullus extrahatur examen, ſedis Apoſtolicæ auctoritate ſemper ſalvâ in appellationibus interpoſitis ad ſedem ipſam. Super quibus terris et poſſeſſionibus ſitis in Scotia nullatenus appellaretur ad ſedem ipſam,

ſi regnum ipſum alii regi, quod eſſe videretur abſurdum jurique communi contrarium, et non immediatè Romanæ eccleſiæ ſubditum, etiam in temporalibus, noſceretur.

CAP. LIV.

De iiſdem.

ET quòd in temporalibus immediatè ſit ſubditum eidem Romanæ eccleſiæ regnum ipſum Scotiæ, recenti comprobatur exemplo. Nam in cauſa comitatûs de Menteith, ſicut in cauſa non ſpirituali vel eccleſiæ, ſed potiùs criminali, à ſententia lata in curia regis Scotiæ, non eſt diu ex quo ad ſedem exſtitit Apoſtolicam appellatum, et appellationis cauſa per ipſam ſedem certis noſcitur commiſſa fuiſſe judicibus terminanda. Cui facto rex Angliæ tunc minimè contradicens, tolerando ſedem ipſam agere et diſponere adeo quod ſibi priùs competebat, et nunc aſſerit ſibi, præjudicaſſe noſcitur ſuper ipſo. Veriſimile non eſt ſedem Apoſtolicam ſic cauſam appellationis commiſiſſe eandem, ſi ad regem ipſum Angliæ, et non ad ipſam, directum ſpectaſſe regni Scotiæ dominium cognoviſſet. Sed et mundus novit, quòd, quamdiu Scotia rege non caruit, et in ipſa materia diſſenſionis exorta non fuit, rex Angliæ in regno Scotiæ nullum ſibi jus penitùs vendicavit, ſed tantum ex eo tempore dictum regnum cœpit ſine cauſa legitima moleſtare, ex quo orta eſt diſſenſio inter Scotos. Et inde proceſſit ſolummodo ſuus titulus ad regnum ipſum, inutilis, ſi quem habet.

Petenteque etiam aliquando rege Angliæ ab Innocentio Papa quarto, quòd rex Scotiæ ſe non poſſet facere, ipſo inſcio, in regem coronari vel inungi, Innocentius idem Papa petitionem hujuſmodi repuliſſe noſcitur, præſentibus procuratoribus partium, in concilio Lugdunenſi, ſatis per hoc determinans regnum Scotiæ regi Angliæ non ſubeſſe. Et ideo dictæ cauſæ ſic factæ deciſio in recidivam venire non debet amodò quæſtionem. Petentique inſuper eidem regi Angliæ regni Scotiæ (in ſubſidium Terræ Sanctæ*) decimam, idem Innocentius Papa concedere denegavit, adjiciens, quòd regi alicui alieni regni decima concedi minimè conſuevit: per quod manifeſtò innuitur† quoad ipſum regem Angliæ regnum Scotiæ penitùs eſſe alienum, et ei nullatenus ſubjectum. Concedendoque etiam idem Innocentius tunc regi Angliæ decimam regni ſui, terrarumque omnium ſive juriſdictionum ſibi ſubjectarum, per hoc regni Scotiæ decimam non conceſſit eidem, ſed omnino alteri, indicans evidenter, prout juris eſt, idem regnum Scotorum regi Angliæ prædicto ſuæve juriſdictioni non‡ ſubeſſe, et quòd rex Scotiæ pro ipſo regno non ullatenus liegius homo ſuus eſt.

Ex privilegiis etiam ſedis Apoſtolicæ Scotis indultis, et domino noſtro ſummo pontifici ſatis notis, legatum ſedis Apoſtolicæ Scoti admittere non tenentur per literas Apoſtolicas, in quibus ſimul utriuſque regni Scotiæ et Angliæ legatio alicui ſit commiſſa. Ex quo patet

* Verba parentheſi incluſa deſunt in edit. Hearn. et MS. D. G. M. † Ita MS. D. G. M. *non inutillter*, ed. H. *manifeſte per hoc innuens*, MSS. reliqui. ‡ *Nullomodo ſubeſſe*, MS. D. G. M.

manifeſtè,

manifeſtè, diſtincta eſſe eadem regna, et eorum alterum ab altero nullatenus dependere. De his autem omnibus et aliis regni Scotiæ defenſionibus, libertatibus et juribus, exiſtentia munimenta publica in theſauraria regni Scotiæ idem rex Angliæ inde abſtulit, et, quando regni ipſius habuit cuſtodiam, vi et metu ipſa fecit, cum munimentis aliis omnibus quibus confirmabantur jura regni Scotiæ et libertas ejuſdem in Angliam aſportari, unà cum ſede etiam regni Scotorum * antiquiſſima; ſubtrahens per vim hæc et omnia alia per quæ potuit Scotis auferre copiam omnem promptam probationis juris et defenſionis habitæ contra ipſum; et ex his oſtendens manifeſtè, injuſtam cauſam ſe fovere in prædictis contra ipſos, quibus omnimodam ſubeſſe crederet fiduciam alium ab ipſo vel ſuis regem ulteriùs in Scotia regnaturum. Eorundem tamen inſtrumentorum tenor, et ſic facta per ipſum ſubtractio, creditur adhuc poſſe legitimis teſtibus comprobari.

Ceterùm per hujus obtentum per ipſum regem Angliæ, non vocatum à Scotis, quicquid ſcribat, nec recognitum in Scotorum dominum niſi metu tantùm, regni ipſius vacantis tempore, poſtquam primum ſuum qualemcunque titulum, et introitum, regni ejuſdem extortum principatum notoriè, per ſeditionem ſolam partium inteſtinam, qualitercunque Scotis eiſdem in priſtinam provocantibus libertatem, rex ipſe Angliæ ſine judicio jus ſibi dicens de re et de regno ſibi penitùs alieno, per ſolam potentiam ſuam, vim et metum in meſſem alienam mittens temerè falcem. †

CAP.

* Regali, ſive cathedra, in qua reges Scotiæ coronari ſolebant, lapidea ſive marmorea antiquiſſima, *MS. D. G. M.*

† *MSS. Coll. Ed. Cup. Perth. et Harl. aliter his verbis:* Scribi inſuper non poteſt brevi ſtilo, qualiter, poſt captum regni ejuſdem nobile oppidum Berwicum, ipſe, et ſui primi regni invaſores, ſævierunt tyrannice in ipſius oppidi incolas ad eccleſias fugientes à facie multitudinis et furore perſequentis, paſſim necando ſacerdotes in eccleſiis, mulieres etiam et parvulos, nulla data venia ſexui vel ætati, uſque ad numerum fere octo millium perſonarum. De ipſius oppidi eccleſiis ſolemnibus, fœdatis multiplici ſanguine occiſorum, et eiſdem etiam ſpoliatis ſuis omnibus ornamentis, quam notorium eſt ipſum regem et ſuos feciſſe fieri ſtabula equis ſuis. Sed et ſingula facta ſua immania, commiſſa ibidem et alibi, tædioſum eſſet ſcribere et horribile auſcultare. Quibus irritamentis tam horrendis et attemptatis dolorum ſequentium initils, per ipſum regem, cauſam et primum actorem malorum omnium commiſſorum, poſtea, ſi Scoti provocati, juſtoque devicti dolore hujuſmodi, poſtea reſumptis viribus proceſſerunt ad vindictam qualemcunque contra Anglicos, immania tamen eis aſcripta per epiſtolas eaſdem regias deſtinatas minime committendo, non eſt imputandum tantum quantum regi, vel quantum, ſi primo provocantes fuiſſent ad ſcelera hujuſmodi ſuſcitanda, ut rex fecit. Sed quia de prædictis et circumſtantiis ſingulis omnium prædictorum conſtare non poterit, niſi præſentibus partibus et coram judice competenti, revocatum eſt totum negotium ad examen dictæ ſedis, quod non poterit idem rex juſte ullatenus declinare ruente judicio in invitum, ubi nocentis convincetur cujuſcunque partis iniquitas, lucebit negotii veritas, et fiet innocentia magis nota. Ad quod ſolum Scoti tendunt, quodque fiat partium unicuique, cognito negotio, quod eſt juris. Ideoque cum in dicta cauſa tam ardua dictæ ſedis non poſſet declinari examen per regem ipſum, multiplici prætactu ſæpius ratione, regnumque ipſum Scotiæ de jure communi ſit liberum quoad regem Angliæ ſupradictum, et legitima ſuper hoc aliiſque adminiculis evidentibus contra eum ſufficientiſſime communitum. De cujus regni ſubjectione ſibi debita, idoneam ipſe fidem penitus nullam fecit. Et inter alia diſcutienda in ipſo negotio poſſeſſivo judicio, et de ſacrilegii crimine agendum ſit eccleſiaſtice contra ipſum; ipſeque rex judex competens non ſit in cauſa ſua, nec ſibi licuerat ſola potentia, vi et metu, ſe in regnum ſic vacans et acephalum intrudere alienum, fueritque contumax ad præfixum ſibi terminum, ut doceret de ſuo jure in regno Scotiæ memorato; ſummoque inſuper pontifici non erubuerit notorie falſa ſcribere tanquam vera. Nec ſit etiam judex ullus ſuperior alius, quam dicta ſedes, ad quem, pro obtinenda juſtitia de damnis

CAP. LV.

De iiſdem.

AC deinde, qualiter ipſum proceſſerit negotium, ſcribi non poteſt, vel aliàs * reſponderi dictis ſuis brevi ſtilo, eo quòd prolixus eſt nimium mundo tam notorius, tam injuſtus proceſſus negotii ſui, in quo confidit, ſi juſti judicis examine et ſtaterâ juſtitiæ librarentur ſingula facta ſua; in quibus ſi confidendum crediderit, juſti judicis Romani pontificis nullatenus declinaret examen, ut declinat, ut ipſius ſaltem negotii veritas, ſæpiùs examinata, in luce magis pro ipſo ſplendeſceret, et partis adverſæ pernicies, quam allegat, in judicium revocata, ſive pœnitentiâ graviùs deprimeretur, vel damnaretur. Et quia de veritate cauſæ non habet, conſiderare non eſt mirum ſi frenationes quærit et ad ſubterfugia confugit, quærens per eulogia abſens injuſtam reddere pro juſta cauſam ſuam. Nam certo certius eſt, quòd rex ipſe, actor omnium ſcelerum quæ ſunt poſtea ſubſecuta, primus ſeminavit diſcordias inter regna de die in diem; deinde primus convolavit ad arma, primus hoſtiles committens incurſus, incendia, cædes et ſcelera in regno Scotiæ perpetrando, prout hæc captio et deſolatio nobilis tunc oppidi Berwici manifeſtè declarant. Poſt cujus captionem oppidi, ac cædem crudeliſſimam ibi commiſſam octo millium perſonarum, fugientibuſque etiam mulieribus, ſacerdotibus, parvulis et clericis ad refugium eccleſiæ nulla data fuit per ipſum, vel per ſuos, venia: quinimmo de ipſis eccleſiis ſolemnibus, ſpoliatis ſuis omnibus ornamentis, et fœdatis effuſione multiplici ſanguinis fugientium et occiſorum in eiſdem, facta, more gentilium, per ipſum regem et ſuos ſtabula, proh dolor! equis ſuis. Propter quæ, malorum talium initio, ſi ipſi Scoti quomodolibet ſe defenderint in facto, doloreve devicti procefferint ad vindictam; nec læſæ maje-

damnis et ſpoliationibus commiſſis, poſſit haberi recurſus, deperireque non debeat, aut per ſilentium conculcari, jus quod in regno Scotiæ Romana eccleſia noſcitur obtinere, ut non vileſcat ſedis ejuſdem auctoritas et poteſtatis plenitudo, qui ad ſuum examen juſte idem negotium revocavit; præfatam propterea deceret Romanam eccleſiam, regnum ſuum Scotiæ perditioni expoſitum negligere non debere, quin ei juris remedia apponeret opportuna, cui aperire tenetur favorabilius, tantis præcipue expoſito periculis, materna viſceera pietatis, et perſequentium ſuorum conatus reprimere, proviſis ſubſidiis et congruis viis juris. Sed regis ejuſdem potiſſime, qui Apoſtolicas exhortationes in prædictis, et ſalubria ipſius monita videtur aſſumpſiſſe hactenus in deriſum, et nihil penitus facere propter ipſam, proviſum Scotis amodo, non obſtantibus productis per ipſum regem multis frivolis, expedit facere remedium contra præſumptiones ipſius innovatas: potiſſime, eo quod poſt revocationem factam ejuſdem negotii ad curiam, et decretum Apoſtolicum ſubſecutum, Ne quid fieret in contrarium. Ipſe vero rex bis congregato exercitu invaſit de novo regnum ipſum Scotiæ hoſtiliter, in contemptum dictæ ſedis manifeſtum: propter hoc manifeſte incidens in conſtitutionem, et in pœnis illius conſtitutionis, *Si quis in tantam*. Propter quod privari meretur totaliter omni jure, ſi quod in regno Scotiæ primitus habuiſſet, et puniri condigne alias pro contemptu. Sed ut de prædictis omnibus propoſitis hinc inde et etiam propondendis fiat, vocatis partibus, de jure ipſorum debita diſcuſſio per ſedem ipſam, pro parte Scotorum ſupplicatur humiliter et inſtanter domino noſtro ſummo pontifici, quod, ut expedit, provideatur ipſi regno et eccleſiæ Scoticanæ de congruo et utili remedio contra violentias notorias et oppreſſiones, quas ipſe rex regno prædicto inferre adhuc indebite non deſiſtit: quodque de jure partium judicialiter cognoſcatur per ſedem ipſam, et fiat eidem domino regi et Scotis, auditis allegationibus partium præſentium, et non per eulogia vel literas, ſuper toto negotio juſtitia, actis interim bellicis interdictis. Expliciunt inſtructiones, &c. * Vel aliter, *MS. D. G. M.*

ſtatis

ſtatis poſſunt criminis per regem argui, cui non ſuberant. Sed nec de regno ipſo ſibi præſtita fuiſſe probari poterit ſpontanea ceſſio, quæ de jure non præſumitur fieri invaſori alicui, ab rege Scotiæ, quia conſtat eundem regno ſpoliatum per regem ipſum Angliæ primitùs jam fuiſſe.

Et quia de his et aliis cauſis, mutatis etiam circumſtantiis negotii, non aliàs conſtare bene potuit niſi aſſertionibus partium et probationibus narratorum faciendis, prout fieri debet, coram judice competenti, non ſine deliberatione debita revocatum fuit totum ipſum negotium, tam arduum, per ſummum pontificem ad Apoſtolicæ ſedis examen debitum, ut ibidem de ipſo fieret quod juris eſt. Cujus ſedis examen, ruente judicio et in invitum, idem non poteſt rex Angliæ, ſine cauſâ magis manifeſta, prout jam nititur, aliquatenus declinare. Potiſſimè qui, poſt notificatam ſibi revocationem ejuſdem negotii, jam bis exercitu congregato, irruit de novo in dictum regnum Scotiæ hoſtiliter, in ipſius ſedis Apoſtolicæ contemptum, juris injuriam, et ſcandalum plurimorum, per hoc notoriè incidens in pœnam conſtitutionis illius, et legis, *Si quis in tantum*, &c. et *Meminerint cuncti*, &c. Et ob hoc privandus eſſe noſcitur omni jure, ſi quod in ipſo primitus habuiſſet. Quare cùm ſit de jure communi Scotorum fundari intentio, et liberum ſit ipſum regnum Scotiæ quoad regem Angliæ, tam de jure quàm de facto, gaviſumque ſit à tempore, de quo non exiſtat memoria, hujuſmodi libertatis poſſeſſione pacificâ; potiſſimè cùm toto tempore claræ memoriæ Alexandri regis Scotorum ultimi, et, poſt ipſius etiam obitum, tempore gubernationis cuſtodum regni ejusdem, tunc vacantis per ſex annos et ultra, uſque ad exortam turbationis regni materiam, ex quibus continuatis temporibus præſcriptio legitima eſt completa. Sicque notorium eſt etiam, regem ipſum Angliæ, regni ejuſdem Scotiæ vacationis tempore, auctoritate propriâ in illud indebitè irruiſſe, ac illud occupâſſe per ſolam potentiam, vim et metum, infinitis datis damnis in ipſo regno eccleſiæ eccleſiaſticiſque perſonis et ſecularibus ejuſdem, nullo ſibi omnino opitulante juſto titulo ad ipſum regnum Scotiæ obtinendum: et propter iſta non, niſi ad Romanam curiam et ſedem Apoſtolicam, potuit regni ejuſdem incolis, læſis per dictum regem, opportunus recurſus haberi pro juſtitia obtinenda. Sicque propter hoc ad examen dictæ ſedis idem negotium, ſicut debuit, fuit revocatum. In cujus ſedis contemptum, ſpretis mandatis Apoſtolicis ſuper hoc receptis, idem rex Angliæ hoſtilibus repetitis incurſibus notoriè inquietare præſumpſit ipſum regnum tam injuſtè. Supplicant igitur Scoti domino noſtro ſummo pontifici, quatenus, ex ejuſdem regis Angliæ ſubtectis eulogiis, partim vetuſtate ſublatis, et partim maculatis admixta notoriâ turpitudine falſitatis notoriæ, ut eſt dictum, informationem illam nullam dignetur ſuſcipere, niſi quam ſuſcipere convenit, ex partis adverſæ ſcriptis ſuſpectis et everſis vetuſtatibus non probatis. Quódque ſicut eadem ſedes ad ſuum examen duxit juſtè idem revocare negotium, ſic revocationi eidem inhærendo, prout deberet et incepit, negotium ipſum, cauſam et quæſtionem inter partes apud ſedem iſtam audire dignetur, et illud, eis præſentibus, ad ſubjectorum etiam perpetuam memoriam futurorum, Apoſtolicâ ſententiâ determinare, proviſo paternis affectibus ipſi regno Scotiæ et eccleſiæ ſuæ, ſic afflictis per regem ipſum Angliæ

gliæ ac ruinis expoſitis, de opportuno remedio interim, quo ad ſecundùm innovata per ipſum, ſui hoſtiles reprimantur incurſus, pendente diſcuſſione ipſius negotii in curia, ut poſſint tutè et liberè ibidem Scoti proſequi cauſam ſuam.

Expliciunt inſtructiones et poſitiones.

CAP. LVI.

Sequitur præceſſus Baldredi Biſet contra figmenta regis Angliæ.

MEmoriter retinet veſtra ſanctitas, qualiter, cito poſt feſtum Pentecoſtes ultimò præteritum, ex parte prælatorum, comitum, baronum, et totius communitatis regni veſtri Scotiæ, ſupplicavimus veſtræ ſanctitati, ut, contra duritias injurioſas et perſecutiones ſæviſſimas, quibus rex Angliæ, cum ſuis complicibus, regnum Scotiæ prædictum et ipſius incolas, in grave præjudicium eccleſiæ Romanæ, cui idem regnum in temporalibus et ſpiritualibus dinoſcitur ſubjici fine medio, hoſtiliter dilaceravit, nec deſinit lacerare, remedium opportunum dignemini adhibere. Et qualiter vos, paterno affectu regno et incolis ejuſdem compatientes, in viſceribus caritatis, de ſalubri remedio in præmiſſis celeriter apponendo concepiſtis, quia ſuper hoc, de veſtro ſpeciali præcepto, nota facta fuit *; et cùm idem negotium perfici debuiſſet, ſuperuenerunt duo milites nuncii regis Angliæ, qui, ex parte ejuſdem, quandam epiſtolam ſigillo ipſius conſignatam vobis præſentârunt, in qua multa continebantur quæ, primâ facie, pro jure regis Angliæ ad regnum Scotiæ facere videbantur. Unde vos, pater ſanctiſſime, nolentes aliquod ipſum negotium tangens apud nos latere, ad præſentiam veſtram feciſtis nos vocari, exponentes nobis, qualiter litera hujuſmodi fuit miſſa vobis. Cujus copiam placuit ſanctitati veſtræ nobis debere fieri; et, ex præcepto veſtro ſpeciali, per veſtrum notarium ſpecialem nobis facta fuit, ut, præhabitâ deliberatione pleniori, poſſemus veſtram ſanctitatem ſuper jure Romanæ eccleſiæ et noſtro pleniùs informare, et rationibus in dicta litera regis Angliæ contentis reſpondere. Verùm quia contenta in eadem litera conſiſtunt in facto nedum recenti, ſed antiquo et antiquiſſimo, conſuluimus majores noſtros, ut oportuit, ſuper ipſis: de quorum conſilio quædam notoriè vera, non conficta, pro parte noſtra præmittentes, rationibus exhibitis ex adverſo reſpondebimus conſequenter.

Pro parte regis et regni Scotiæ facit imprimis jus commune; quia nec conſulatus conſulatui, nec epiſcopus epiſcopatui, nec regnum regno, aut rex regi, ſubjicitur de jure communi. Et, ſicut notat dominus Innocentius quartus, quaſi contra jus naturale eſt et miraculoſum, quòd qui ſui juris eſt, alienæ ſubjiciatur poteſtati. Unde talia ab alio, quàm à principe Papa vel imperatore, nequeunt impetrari. Tale aliquod indultum ſpeciale non oſtendit ipſe rex. Unde, &c.

Pro ipſis etiam facit deciſio ſeu declaratio ejuſdem Innocentii in duobus factis. Cùm enim rex Scotiæ, ſuper ſua inunctione et coro-

*In MS. D. C. M. *nota facta ſunt*, edit. H. in reliquis MSS. hæc verba deſiderantur.

natione

natione ab hac ſacra ſede procurandis, cum ſuis magnatibus et proceribus tractatum haberet, rumor de hoc ad regem Angliæ perlatus eſt: qui ſtatim per nuncios ſuos et literas domino Innocentio prædicto ſupplicavit inſtanter, ut in hac parte votis regis Scotiæ non annueret abſque conſenſu ſuo, quia hoc in præjudicium ipſius regis Angliæ cederet, cùm rex Scotiæ homo ſuus ligius eſſet, et ſibi homagium faciebat. Hanc ſuam ſupplicationem dominus Innocentius admittere recuſavit, ſupponens regem Scotiæ, quantum pro regno Scotiæ, fore liberum omnino à rege Angliæ, licet forſitan, pro quibuſdam terris quas reges Scotiæ obtinent in Anglia, ipſi regi Angliæ fidelitatem et homagium faciebant. Ad idem facit, quòd cùm ipſe dominus Innocentius regi Angliæ decimam omnium proventuum eccleſiaſticorum regni Angliæ, et omnium terrarum ſibi ſubjectarum, ex cauſa conceſſiſſet, citò poſtea inſtanter eidem domino Innocentio ſupplicavit, ut ſibi decimam bonorum eccleſiaſticorum regni Scotiæ concedere dignaretur. Reſcripſit, Se hoc ſibi concedere nolle nec debere, cùm inſolitum eſſet et inconveniens, ſibi vel alii in regno alieno talia concedi: dicens autem ſimpliciter, regnum Scotiæ eſſe alterius, et per conſequens omnino videtur quod non ſit illius; cùm in realibus * ſimiliter loquens, omne jus undecunque et qualitercunque complecti videatur. Item, ſi terra Scotiæ fuiſſet regi Angliæ ſubjecta, nec ipſe rex Angliæ, poſt gratiam ſibi factam de decima omnium terrarum ſibi ſubjectarum, pro decima terræ Scotiæ ſpecialiter ſupplicâſſet; nec ipſe dominus Papa, qui ſibi hujuſmodi gratiam conceſſerat, ipſam in terra Scotiæ eidem denegâſſet.

Ad idem facit præcedens ad fidem catholicam Scotorum converſio, qui fidem ipſam ſuſceperant ante converſionem Anglicanæ gentis per quingentos † annos, et triginta ſex reges catholici, antequam converterentur Anglici, in regno Scotiæ liberè regnaverunt. Unde, ſuppoſito quòd Scoti fuiſſent eis priùs ſubjecti, per fidei ſuſceptionem ab ipſorum Anglicorum, in infidelitate permanentium, ſubjectione fuiſſent exempti. Et licuiſſet extunc Scotis Anglicorum, infidelium ut ſuprà, bona quæcunque occupare: extunc enim exortum eſt odium naturale inter Scotos et Anglicos, quia fideles infidelibus ſunt exoſi, et è converſo: quod et uſque in hodiernum diem tenaciter perſeverat.

CAP. LVII.

De eodem proceſſu.

EXtunc etiam rex et incolæ regni Scotiæ eccleſiam Romanam, in qua fidem ſuſceperant, tam in temporalibus quàm in ſpiritualibus, ſuam dominam ex directo dominio recognoverunt. Quorum devotionem imperator Conſtantinus, quoad temporalia, pleniùs adimplevit. Ipſe namque Conſtantinus donavit eccleſiæ Romanæ omnes inſulas occidentales, de quarum numero eſt regnum Scotiæ, id eſt, jus quod habebat in eiſdem, ſcilicet directum dominium. Et ſi directum dominium regni Scotiæ eſt eccleſiæ Romanæ, ergo non eſt regis Angliæ, cùm idem genus dominii, ſicut nec poſſeſſionis, poſſit ſimul et ſemel

* *Regalibus*, MSS. Coll. Ed. et Harl. † *Quadringentos*, ſuprà cap. 51.

eſſe

eſſe duorum. Hoc autem dominium apud eccleſiam Romanam non fuit vacuum aut otioſum, cùm frequenter uſa ſit inter Scotos ipſius dominii debitâ poteſtate. Patens exemplum ad præſens in duobus adducimus. Cùm enim ſuper comitatum de Menteth regni Scotiæ, quædam nobilis domina, ipſum comitatum de jure tunc obtinens hereditario, traheretur in cauſam in curia regis Scotiæ, ibidem contrariam ſententiam reportavit. A qua, tanquam ab iniqua, ad hanc ſacram ſedem, velut ad ſuam dominam ſuperiorem, appellavit: ubi obtinuit literas Apoſtolicas in cauſa appellationis ejuſdem; virtute quarum judices dati * de meritis dictæ cauſæ, multo tempore, ſciente rege Angliæ et non contradicente, publicè cognoverunt, † et feçerunt quod juris fuerat et rationis.

Item domini Cæleſtinus primus, Honorius III. et Innocentius IV. incolis regni Scotiæ privilegium indulſerunt, quòd etiam ſuper poſſeſſionibus temporalibus, ad examen vel judicium extrapoſitorum nullatenus per literas Apoſtolicas traherentur, niſi ad ſedem ipſam Apoſtolicam contingeret appellari. Conſtat autem quòd ſuper temporalibus ſe ſummi pontifices non intromitterent, ut hujuſmodi privilegia indulgendo nec appellationes in talibus, ut ipſas delegarent, nulli eas ducerent committendas, ſibi ſpecialiter per quandam prærogativam ſpecialem in illo regno reſervarent, niſi eccleſiæ Romanæ directum dominium ſentirent et ſcirent competere in temporalibus in eodem regno.

Prædicta comprobantur evidenter per publicam confeſſionem partis adverſæ. Nam cùm, defuncto bonæ memoriæ domino rege Scotiæ Alexandro tertio, nobilis puella Margareta, filia quondam regis Norwegiæ, neptis Alexandri prædicti, ipſi regi Alexandro jure hereditario ſucceſſiſſet, rex Angliæ, qui hunc regnat, prædictum regnum Scotiæ pro ſe vel pro ſuis anhelans habere, filium ſuum primogenitum et heredem eidem domicillæ matrimonialiter concepit copulare. Quod cùm non poſſet expedire abſque licentia ſedis Apoſtolicæ, ſpecialiter quia ſe in ſecundo et tertio gradibus conſanguinitatis contingebant, diſpenſationem hujus ſacræ ſedis obtinuit in hac parte: ita tamen, "Dummodo hoc "magnatibus et aliis incolis regni Scotiæ complaceret." Verùm quia hoc ipſum magnatibus et incolis penitùs non placebat, niſi regno, et ipſis ſuper libertate regni et ipſorum, pleniùs caveretur, tandem in perſonis Dunelmenſis et Carleolenſis epiſcoporum, Lincolnienſis et Warraniæ comitum, magiſtri Henrici de Newerk tunc decani Eboracenſis, et domini Willelmi de Veſſy militis, ad hoc ſpecialiter à domino rege Angliæ deputatorum, et ad hoc ſpeciale mandatum habentium, confeſſus eſt, Quòd regnum Scotiæ eſt regnum omnino ſeparatum à regno Angliæ, et penitùs liberum ab omnimoda ſubjectione et dominio regni et regis Angliæ. Quæ quidem confeſſio redacta fuit in inſtrumentum authenticum, prædictorum prælatorum et nobilium ſigillis conſignatum, et, ex abundanti, hoc ſimiliter habemus in publico inſtrumento; quod et cum aliis inſtrumentis Apoſtolicis, de quibus ſuperiùs fit mentio ſtatim, ad ſanctitatis veſtræ præceptum, poterimus exhibere.

Pro nobis etiam facit legitima præſcriptio: quia, licet prædicto regi jus aliquod hujuſmodi in regno Scotiæ ex aliquo titulo ſpeciali compe-

* *Judices dati, in regno Angliæ de meritis*, &c. edit. H. † Deeſt quod abhinc ſequitur hujus ſententiæ in MSS. noſtris.

tiſſet

tiſſet aliquo tempore contra jus commune, ſpatio longiſſimi temporis, cujus non exſtat memoria, contra ipſum regem et regnum Angliæ, ut res ad ſuam naturam redeat, præſcripſimus libertatem. Nulla ſiquidem exſtant indicia præſtitæ ſubjectionis à nobis ad illos, ſed potiùs recens exſtat memoria quampluribus fide dignis ſubjectionis ipſis Anglicis denegatæ. Nam cùm ultimus Henricus rex Angliæ ab Alexandro rege Scotiæ, ſuo genero, contra Simonem de Monteforti et ſuos complices, ſibi ſupplicâſſet auxilium impendi, per ſuas literas ſuper hoc datas recognovit, ſe hujuſmodi auxilium non accipere ex debito, ſed ex gratia ſpeciali.

CAP. LVIII.

De eodem.

ITEM, cùm iſte rex Eadwardus ſuam coronationem intenderet ſolemniter celebrare, ſupplicavit inſtanter Alexandro prædicto, tunc regi Scotiæ, ut ſuæ coronationi curaret intereſſe: qui nequaquam hoc facere voluit, donec, per literas patentes dicti regis Angliæ, ſibi pro ſe et regno ſuo Scotiæ caveretur, quòd ex amicitia, quia ſororius ſuus erat et vicinus, non autem ex debito aliquo illud faciebat. Item cùm peteretur homagium, ex mandato ejuſdem regis Angliæ, à dicto rege noſtro, ipſe pro regno Scotiæ ſimpliciter hoc facere recuſavit, cùm liber eſſet quoad regnum et regem Angliæ ipſe et regnum ſuum. Et tandem cum hac proteſtatione, Quòd hoc pro regno ſuo nullatenus faciebat, ſed pro terris quibuſdam quas habuit in Anglia, præſtitit homagium antedictum. Non autem ipſe rex Eadwardus, in adventu primo ſuo ad regnum ipſum Scotiæ, procerum ejuſdem regni extra ipſius Scotiæ limites habere potuit petitam præſentiam, quàm priùs ſcripto ipſe caveret eiſdem proceribus, quòd in regni ejuſdem hoc non redundaret præjudicium, et quòd non ex debito, ſed ex gratia, hoc fiebat.

Non enim ejuſdem regni, vacantis per mortem Alexandri regis prædicti, ad regem ipſum Angliæ, veluti ad ipſius rectum dominum, pervenit cuſtodia, ut de feudis fieri conſuevit; ſed ad ipſius regimen, per regni ejuſdem proceres, certi electi liberè quatuor aut ſex cuſtodes exſtiterunt. Qui, rege ipſo Angliæ ſciente et tolerante, nullumque ſibi jus competere tunc in dicto regno vendicante, nulloque per ipſum impedimento præſtito, regni regimini præfuerunt per ſex annos et ultra, quouſque in dicto regno ſuboriri cœpit diſſenſionis materia inter partes, ſuper jure petitorio potiore ſuccedendi in ipſum regnum, Margaretâ filiâ regis Norwegiæ, ipſius regni herede, jam defunctâ.

Poſt cujus mortem, auditâ ſic ſuſcitatâ diſcordiâ inter Scotos, idem rex Angliæ, fingens ſe velle ea tractare quæ pacis eſſent inter Scotos, ſub agnino vellere ſe ingerens, non vocatus, quicquid ſcribat, allectâ ſibi callidè ejuſdem regni procerum Scotiæ unâ parte, parti jus in regno Scotiæ non habenti tunc temporis adhærentium, et ſic reliquâ ſibi reſiſtere non valente, de facto regni ejuſdem ſibi uſurpavit cuſtodiam primò, et poſtea ſuperius dominium, per oppreſſionem tam notoriam, per vim et metum qui cadere poterat in conſtantes. Et licet Romana

ecclesia tunc pro parte dicti regni fuisset nominata domina regni ejusdem coram ipso, ipse tamen rex Angliæ allegationem hujusmodi non admisit; immò se dixisse dicitur coram multis, ut à verbis suis non recedatur, " Quòd si ille presbyter Romanus vellet pro libertate Sco-" tiæ, quoad eum, dicere aliqua, oportebat eum venire Londonias, " et illa ibi proponere coram ipso." Mundus autem novit, quòd quamdiu Scotia rege non caruit, et in ipsa non fuit exorta dissensio intestina, rex Angliæ in regno Scotiæ nullum sibi jus penitus vendicavit: sed tamen ex eo tempore cœpit dictum regnum, sine causa, molestare, ex quo orta est dissensio inter Scotos: et inde processit solummodo suus titulus, inutilis ad ipsum regnum, si quem habet.

CAP. LIX.

De eodem.

ITEM, Gregorius primus, Dungalli filius, rex Scotorum totam sibi Angliam subjugavit: nec de subjectione quacunque Scotorum Saxonibus, Normannis, vel Anglicis, quæ negatur, omnino fit fides ullatenus, nisi per assertionem solam regiam et domestica scripta sua; de quibus non est idonea probatio pro seipso. Prædictis accedit et illud notorium, quòd si aliquoties hæc sacra sedes regno Angliæ, vel etiam Angliæ et Scotiæ scribat conjunctim, hujusmodi mandatum regnum vel incolas Scotiæ in aliquo non astringit, sed potiùs expectatur mandatum separatum, ut omnimoda regnorum ipsorum separatio, et quòd nihil commune habeant, denotetur. Pro nobis facit æquitas et vigor justitiæ, ut, cùm auctoritate suâ regnum nostrum hostiliter invaserit et occupaverit, temeritate suâ jus, si quod habuit, in dicto regno Scotiæ, perdere debet auctoritate juris, et aliàs puniri condignè pro contemptu. Pro nobis est, quòd cùm citatus legitimè ad jus suum, si quod haberet, in regno Scotiæ per ipsum defamato, infra certum terminum, sibi præfixum, ostendendum, coram vobis non curavit comparere: ideo non est ulterius super hoc audiendus.

Ad exhibita pro parte regis Angliæ sic respondemus; primò in genere, deinde ad particularia descendendo. Multa refert, sed pauca probat. Transmisit vobis epistolam quandam, in qua, primâ facie, pro ipso facere videntur quasi serioſè conscripta. Cui quidem epistolæ nulla fides est adhibenda, quia nec ratione formæ, (cùm tam publicâ formâ careat, quàm authenticâ) nec in ratione vel auctoritate scribentis; immò, potiùs ex persona scribentis fidei ipsius literæ et in ipsa contentorum debeat derogari quadruplici ratione. tum quia noster capitalis inimicus est, contra quos scribit. tum quia deponit in sua propria causa. tum quia vocatus super hoc eodem negotio, necnon ad examen vestrum, contempsit, ut præmissum est, comparere: et, quod contumacius est, expressè dicit in principio prædictæ literæ, quòd coram vobis non intendit litigare, nec in figura judicii procedere, sed ad vestram conscientiam super jure suo serenandam extrajudicialiter vobis hanc transmisit; per quod suspectus est et malam causam præsumitur fovere. tum quartò, quia multa notoria falsa, ut patebit ex dicendis, immiscet dictis suis, per quod totum dictum suum decolorat.

In

In ſuæ narrationis ſerie utitur triplici tempore, antiquiſſimo ſcilicet, antiquo, atque novo. Antiquiſſimum vocamus tempus ante incarnationem Chriſti; antiquum, poſt incarnationem ipſius, uſque ad tempus in quo ipſe rex Angliæ, qui nunc regnat in Anglia, regnum Scotiæ niſus eſt indebitè uſurpare; novum tempus vocamus quod fluxit poſtea.

CAP. LX.

De eodem.

REfert ſiquidem, quòd illo tempore antiquiſſimo fuit quidam Brutus nomine, qui in omnibus inſulis occidentalibus regnavit; quæ quidem integra regio ab ipſo Bruto Britannia vocabatur. Qui, cùm haberet tres filios, ſcilicet Locrinum, Albanactum, et Cambrum, ipſam regionem ſuam diviſit inter eos. Loëgriam, quæ nunc vocatur Anglia, dedit Locrino; Albaniam, quæ nunc vocatur Scotia, Albanacto; et Cambriam, quæ nunc vocatur Wallia, Cambro aſſignando: ita tamen quòd alii duo cum ſuis principatibus Locrino ſubeſſent. Quódque poſtea, Albanacto à quibuſdam ſuis inimicis interfecto, regnum Albaniæ, ſive Scotiæ, ad Locrinum, tanquam dominum ſuperiorem, rediit; et ipſe de dicto regno ſic ſibi obveniente, diſpoſuit pro ſuæ libito voluntatis.

Sed iſta non procedunt. Quòd dicit Brutum illam monarchiam integram habuiſſe, et quòd diviſerit inter filios ſuos, non diffitemur ad præſens; ſed quòd ſic diviſerit, quod alii ſubjicerentur ſibi, planè negamus triplici ratione: tum quia diviſio dicit partes, ergo æquales, cùm non appareat de contrario, quicquid ipſe ſcribat. Hinc eſt quòd appellatione partis, ubi non ſunt plures partes, dimidia continetur. tum quia omnia non liquida, ſi poſſint, ad jus commune debent redigi; per quod rex regi, ſeu regnum regno non ſubeſt, ut ſuperiùs eſt notatum. tum quia diviſiones hujuſmodi paternæ ſolent fieri, ut occaſio invidiæ inter liberos, poſt mortem patris, evitetur. Et certè aliter intellecta, ſeu ficta, diviſio non tolleret hanc occaſionem, ſed potiùs induceret inter eos. Major namque invidia eſt inter fratres in talibus præeminentiis ſeu prærogativis, quàm inter alios, ut jura atteſtantur. Unde, &c. Quòd autem dicitur, Albanacto mortuo, regnum Albaniæ ad Locrinum, tanquam directum dominum, rediiſſe, nullo modo poteſt niti veritate. quia, etiam ſuppoſito quòd Albanactus regnum ſuum à Locrino in feudum tenuiſſet, quod negamus, jure ſucceſſionis, niſi omnes alii gradus et ſtirpes deficerent, quod non fuit hîc, quoniam ſaltem alium fratrem haberet, ſciz. Cambrum, ad ipſum Locrinum non poſſet obvenire. Sic ſe habet conſuetudo quæ obtinuit et obtinet in illis partibus, à tempore cujus memoria in contrarium non exiſtit. Præterea tunc temporis omnes incolæ regni Angliæ fuerunt Britones, qui dejecti erant poſtmodum per Saxones, Saxones per Dacos, et iterum Daci per Saxones, et ipſi Saxones per Normannos, ſciz. per Willelmum Baſtard et ſuos complices, à quibus, non à Britonibus, iſte rex dinoſcitur deſcendiſſe. Teneat igitur, quòd iſte Willelmus conquiſivit regnum Angliæ; in quo regnum Scotiæ, vel aliqua pars ipſius, non reperitur contineri. Nihil autem ex perſona Locrini, ſeu Britonum aliorum,

poteſt

poteſt in regno Scotiæ, vel etiam Angliæ, vendicare. Similiter in Scotia, cùm vocaretur Albania, omnes fuerunt Britones, ſed ipſos dejecerunt Picti, et poſtea Pictos Scoti.

CAP. XLI.

De eodem.

FIlia namque Pharaonis regis Ægypti, cum armata manu et maxima claſſe navium, applicuit in Hibernia. Poſtea, aſſumptis quibuſdam Hibernicis, in Scotiam navigavit, deferens ſecum ſedile regium, quod iſte rex Angliæ, inter cetera regni Scotiæ inſignia, ſecum per violentiam de regno Scotiæ in Angliam aſportavit. Ipſa devicit et dejecit Pictos, et regnum ipſum obtinuit: ac ab ipſa Scota, Scoti et Scotia nuncupantur. Unde verſus;

A mulière Scota vocitatur Scotia tota.

Qui Scoti nomen et locum uſque in hodiernum diem noſcuntur obtinere. Nil ergo ad regem Angliæ de Scotis vel de Scotia. * Plus juris Ægyptii, quàm Anglici, in regno Scotiæ poſſent vendicare.

Quod dicit de Belino et Brenio non procedit. Verum eſt quòd fuerunt duo fratres, ut Britonum tradit hiſtoria. Belinus regnavit in Anglia, Brenius in Scotia, ſed æquè liberè, cui conſonat jus commune. Et cùm ille Belinus Brenium fratrem ſuum niteretur ſibi ſubjugare, Brenius congregavit exercitum non modicum, paratus ſecum dimicare. Et cùm eſſent in campo parati ad congreſſum, mater ipſorum flens et ejulans, ſtans in medio, oſtendebat eis ubera quæ lactaverunt; et ſic, pietate et precibus matris moti, concordiam inierunt, ita quòd liberè quilibet in ſtatu ſuo remaneret.

Dicit inſuper, quòd quidam rex Angliæ præfecit in regno Scotiæ Duncanum et Eadgarum; quod non eſt verum. Immò cùm ipſi expulſi eſſent de regno, per potentiam cujuſdam Dovenaldi Ban, cum auxilio regis Norwegiæ, et cum aliquo adminiculo regis Angliæ, recuperârunt ſtatuum ſuum: non quòd rex Angliæ, prætextu dominii quod haberet in regno Scotiæ, quia nec habebat quod hoc faceret, ſed affectione familiari, cùm eſſet eorum ſororius, quia ſororem ipſorum, viz. Matildem reginam Angliæ, duxerat in uxorem, ſubſidium illud faciebat. Sic et è contrario viſum eſt quòd ex ſimili ratione reges Scotiæ regibus Angliæ mutuum auxilium ex gratia, in ſuis adverſitatibus, impenderunt.

Quod dicit de Arthuro non procedit. Arthurus de adulterio fuit genitus, nec cuiquam ſucceſſit: ſed quicquid obtinuit in variis locis, per potentiam et violentiam acquiſivit; per quas nedum Scotiam, ſed etiam Angliam, Walliam, Hiberniam, Galliam, Norwegiam, et Daciam † occupavit. Quo per Modredum, filium Loth ‡ fratris regis Scotiæ, interfecto, Scotia, ſicut alia regna ſibi ſubjugata, ad ſtatum priſtinum redierunt, et ad propriam libertatem. Item Arthurus Brito fuit, et

* Nec plùs juris Anglici quam Ægyptii, *MSS. plerique.* † Norwegiam, Daciam et Allemanniam, *MS. Harl.* Daciam, Sueſſiam, *MS. D.G.M.* ‡ Filium Loth regis Scotiæ et heredem Britanniæ interfecto, *MSS. Coll. Ed. Cupr. Perth. et Harl.*

iſte

iſte rex Angliæ Britonibus non ſucceſſit, ſed Normannis. Præterea dominia rerum et regnorum de jure gentium ſunt diſtincta, et de populo in populum, et de gente in gentem, ex variis titulis et rationibus frequenter transferuntur. Tempore Arthuri regnum Franciæ non regnum, ſed, ut jura videntur ſonare, fuit antiquitùs quidam præſidatus. Per quod patet, quòd, in his quæ antiquitùs obtinuerunt, multæ mutationes per rerum naturam, quæ in eodem ſtatu neſcit permanere, contigerunt.

CAP. LXII.

De eodem.

AD hoc dicit, quòd Malcolmus rex Scotiæ, vir quondam beatæ Margaretæ reginæ Scotiæ, David filius ejus, Willelmus nepos ejuſdem David, Alexander filius Willelmi, Alexander ultimus, filius ejuſdem Alexandri, et incolæ regni Scotiæ regibus Angliæ fidelitatem et homagium præſtiterunt. Fatemur quòd pro terris quas in regno Angliæ de rege Angliæ tenuerunt; ſed nunquam reges Scotiæ pro regno Scotiæ, nec incolæ ipſius pro terris ſuis in Scotia, ſibi homagium vel fidelitatem fecerunt. Huic conſonat commune jus, ut dictum eſt. Hunc intellectum comprobat factum ſatis recens, quod in perſona regis Alexandri ultimi ſupradicti, in coronatione iſtius regis Angliæ, dinoſcitur contigiſſe; ut ex præmiſſis de hoc tangentibus pleniùs apparet. Sed nec etiam adductis pro * rege Angliæ tactis miraculis vel revelationibus Sancti Johannis de Beverlaco authenticum creditur, quantum † probentur revelationes ipſæ proceſſiſſe à Deo, cujus probatio non eſt uſquequaque facilis ſive certa, ſed nec in judiciis conſueta, quia in Angelum lucis ſe Angelus Satanæ ſæpe transformat, ut in Samuelis ſpecie reſpondiſſe legitur Sauli Pythoniſſa. Et non eſt aliqua vel unquam fuit fama vel ſermo in Scotia, de revelatione hujuſmodi facta illi Sancto Johanni, quam rex allegat. Litera domini Papæ Gregorii noni, quam allegat, cujus copiam habemus ex regiſtro veſtro, pro ipſo nihil facit; cùm in ipſa ſuggeſtio regis Angliæ ſibi facta duntaxat recitetur, et concludat conditionaliter, Quòd ſi ita ſit, quòd ſit homo liegius regni ſui, et homagium ſibi fecerit, ut rex Angliæ jam ſuggeſſerat, ipſi regi Angliæ præ ceteris adhæreret. Sed certè nunquam fuit homo liegius regis Angliæ, nec homagium ſibi fecit pro regno Scotiæ, nec etiam hoc in ipſa ſuggeſtione regis Angliæ continetur, quòd pro regno Scotiæ ad talia tenebatur. Et dicit hoc ſimpliciter, et nos intelligimus hoc ſecundùm quod patitur jus commune, ut non pro regno Scotiæ, ſed forſan pro quibuſdam terris quas ab ipſo tenebat in Anglia, ad prædicta fuerat aſtrictus.

Quod dicit de novo tempore nihil facit. Notorium eſt toti mundo quòd vi et armis ac metu, quæ poſſunt cadere in conſtantem, adjunctâ et adductâ ſecum omnimodâ potentiâ Angliæ, Walliæ et Hiberniæ, et cùm non modico ſubſidio comitis Sabaudiæ, qui perſonaliter fuit ibi, necnon cum parte potentiæ Vaſconiæ, ſuperius dominium, tunc tam ſede Romanâ, quàm regno Scotiæ, vacante, contra Deum et juſtitiam uſurpavit. Deinde, quicquid dicat, à prælatis et aliis regni Scotiæ incolis fidelitatem et homagium, non abſque nota excommunicationis

* Ita edit. H. et MS. D. G. M. reliqui, *per regem Angliæ.* † *Quam*, MSS. Harl. et Coll. Edinb.

majoris, à canone latæ in concilio Lugdunenſi, contra talia à prælatis extorquentes promulgatæ, de facto per hujuſmodi metum habuit et exegit.

CAP. LXIII.

De eodem.

AB ipſo etiam rege noſtro Johanne de Balliolo, qui jure hereditario in regno Scotiæ (*ut olim dicebat dictus rex Angliæ) juſtè et legitimè ſecundùm uſus et laudabiles conſuetudines ipſius regni, tandem ab omnibus regni incolis in hoc negotio meritò comprobatas tanquam rationabiles et præſcriptas, ſuccedens, regnum ipſum Scotiæ pacificè obtinebat, per vim et metum conſimilem fidelitatem et homagium extorſit poſt creationem ipſius, quod in præjudicium ipſius et regni, maximè cum vi extortum ſit, nullatenus debet redundare. Dicit etiam quòd iſte rex noſter ſponte confeſſus eſt, ſe proditiones et conſpirationes contra regem Angliæ commiſiſſe, et per hoc ſe incidiſſe in crimen læſæ majeſtatis, ac ſe perdidiſſe regnum ſuum ipſo jure. Certè non eſt verum, nec eſt veriſimile, talem, in tam arduo negotio, contra ſeipſum tales confeſſiones, graves et deteſtabiles ſpontè emiſiſſe. Sed verum eſt, quòd cùm regem noſtrum per potentiam cepiſſet, et regnum ipſum nequiter occupâſſet, in cujus regis noſtri captione ſuum et regni ſigillum ab ipſius cancellario per vim et metum abſtulit et accepit; tunc, ut dicitur, literas hujuſmodi confeſſionum, poſt miſſionem ipſius regis noſtri et filii ſui in Angliam pro carcere ſubeundo, fecit fabricari; et coram incolis regni Scotiæ publicavit literas eaſdem, quas nunquam poſtea ratas habuit rex noſter nec habebit.

Dicit etiam quòd poſſidet regnum Scotiæ, et vadit ad Scotiam ad ſuos rebelles corrigendos. Sed certè non eſt verum, immò notoriè falſum. Nam Johannes rex noſter per ſuum cuſtodem ibidem deputatum poſſidet plenariè totum regnum, exceptis tribus caſtris† vel quatuor in marchia regni Scotiæ conſtitutis. Et certè nec illa rex Angliæ poſſidet in pace, et illa, juxta mandatum veſtrum aliàs ſibi directum, debuerat evacuâſſe et reſtituiſſe nobis. Sed in hoc, ſicut in aliis, contumax et inobediens pertinaciter perſeverat. Ad ſuos (ut dicit) non ivit, quia non ſumus ſui, niſi dicamur inimici: igitur ad noſtram juſtam defenſionem reſiſtendo. Nec ivit ad correctionem noſtram, ſed ad finalem et puram confuſionem noſtram, et ad totius ſanguinis et gentis et nominis Scotorum perpetuam deletionem. Ad cujus ſui iniqui propoſiti completionem non pervenit, nec profecit hac vice. Et ſi nunc vel aliàs damna nutu Divino recepit, de hoc non poteſt conqueri, quia quæ patitur ſuâ culpâ ſentit. Nec parcendum eſt militi, cui telo obviandum eſt, ut latroni. Unde, ſicut aliàs veſtræ ſanctitati ſupplicavimus humiliter et devotè, quatenus, rejectis vetuſtatibus et ſpretis ambagibus ex adverſa parte productis, pro parte Scotorum, ex efficacibus et veris allegationibus ipſorum, veſtræ ſanctitatis conſcientiam dignemini informare, et de ſalubri remedio, ſi placet, providere; ut, hoſtili perſecutione ceſſante, ſtragis infirmitas evitetur, et devoti homines veſtri Scoti Deo, vobis, et eccleſiæ Romanæ, more ſolito, valeant pacificè militare. AMEN. *Explicit proceſſus, qui dicitur Baldredi.*

EXPLICIT LIBER UNDECIMUS.

*Verba parentheſi incluſa deſiderantur in ed. H. et MS. D. G. M. †Al. *caſtellis.*

Incipiunt

Incipiunt tituli capitulorum libri duodecimi.

De ſtrenuitate Johannis Comyn et Simonis Fraſer. CAPITULUM I.
De conflictu de Roſlyne, ubi Anglici ter uno die victi ſunt. CAP. II.
Quomodo rex Angliæ recepit ad pacem ejus quaſi omnes de Scotia, tam proceres quàm communitates, excepto Willelmo Wallace. CAP. III.
Quomodo rex Angliæ obſeſſit caſtrum de Strivelyn, et de meritis Roberti de Bruce. CAP. IV.
De confœderatione Bruce et Comyn, et accuſatione Bruce regi Angliæ per Comyn. CAP. V.
De felici evaſione Roberti de Bruce de manibus regis Angliæ. CAP. VI.
De occiſione dominorum Johannis Comyn et Roberti Comyn, in eccleſia fratrum Minorum de Dumfreſe, per Robertum de Bruce. CAP. VII.
De proditione Johannis de Menteth in Willelmum Wallace, et de morte ejus, et tyrannide regis Eadwardi. CAP. VIII.
De coronatione regis Roberti de Bruce. CAP. IX.
De abſolutione Roberti de Bruce pro occiſione in eccleſia. CAP. X.
De bello de Methfen et de Dalry, et variis tribulationibus regis Roberti. CAP. XI.
Quòd nulla fortuna mala eſt apud ſapientem, et quòd labor improbus omnia vincit. CAP. XII.
De fuga apud Sleuach, et de morte R. Eadwardi tyranni. CAP. XIII.
Qualiter dominus Willelmus Baneſtir miles, territus viſione defuncti tyranni, deſpexit mundum. CAP. XIV.
De deceptivo honore mundano, equo ceſſitanti aſſimilato. CAP. XV.
Quomodo, mortuo tyranno, et filio ejus coronato, reviviſcere cæpit et proficere rex Robertus. CAP. XVI.
De victoria regis Roberti apud Inverury et apud Dee. CAP. XVII.
De victoria ejus contra Ergadienſes, et captione de Perth. CAP. XVIII.
De captione de Roxburgh et aliorum diverſorum caſtrorum. CAP. XIX.
De bello de Bannokburn. CAP. XX.
Quibus de cauſis, ut præſumitur, victoria ceſſit Scotis. CAP. XXI.
De pompoſo proceſſu regis Angliæ, et ipſius bello. CAP. XXII.
De quodam metro ejuſdem belli. CAP. XXIII.
De Carmelita Anglo metrificante de bello, et de commendabili ejus metro. CAP. XXIV.
De prima tallia regis pro Roberti ſucceſſione regni, et eventu, &c. CAP. XXV.
De Eadwardo de Bruce, fratre regis Roberti, effecto rege Hiberniæ. CAP. XXVI.
De litera miſſa à regulis Hibernienſibus domino Papæ pro dicto Eadwardo. CAP. XXVII.
De eodem, per ſex capitula ſequentia.
Copia bullæ domini Adriani Papæ, miſſæ regi Angliæ Henrico ſecundo, cujus auctoritatis occaſione conquiſivit Hiberniam. CAP. XXXIII.
De qualitate Hiberniæ et contentorum in ea. CAP. XXXIV.
De feris ejus et eorum naturis. CAP. XXXV.
De eadem materia. CAP. XXXVI.
De captione Berwici, et de bello de Dundalk. CAP. XXXVII.

LIBER

LIBER XII.

CAP. I.

Quomodo Johannes Comyn et Simon Fraſer viriliter ſe habuerunt.

ANNO Domini milleſimo trecenteſimo conqueſti ſunt, ut præmittitur, proceres regni Scotorum domino noſtro Papæ, ſuper intolerabili gravamine illato eis per regem Angliæ: et in anno ſequenti citatus, nec comparuit per ſe, vel idoneos procuratores: ſed omnibus ſuis prætenſis et rationibus Baldredus, cum ſociis procuratoribus Scotiæ, luculento ſermone breviter, ut præmittitur, reſpondit; ipſas omni veritate fore nudatas probabilibus argumentis et præclaris evidentiis manifeſtè demonſtravit, ut in ſuo patet proceſſu.

Hoc in anno municipium de Linlithgw, quod Anglicè Pele vocatur, per regem Angliæ conſtructum eſt.

Cuſtodes igitur Scotiæ audientes quòd rex Angliæ ſuccubuit in Romana curia, multùm perinde hilares effecti, audaciam aliqualem plus ſolito conceperunt: virtute cujus habitus eſt congreſſus magnus et manifeſtus inter Scotos et Anglos apud Roſline, ubi Anglici ſunt devicti, licet cum magna difficultate *. Nam à principio primæ guerræ inter Scotos et Anglicos motæ, tam ſtrenuus non recitatur fuiſſe conflictus, in quo ſic claruit ſtrenuitas Scotorum potentiæ militaris. Hujus eventûs bellici rector et dux fuit Johannes Comyn filius. Cujus quidem conflictûs talis cauſa et modus exſtiterat.

Poſt bellum commiſſum apud Variam-capellam, rex Angliæ citra aquam de Forth perſonaliter non venit pro tunc: ſed miſit potentiam ſatis magnam, quæ totam terram de Fiſe, cum omnibus terris prope jacentibus villæ de Perth, interfectis pluribus ipſarum terrarum habitatoribus, deprædavit: quâ reverſâ †, cum prædis innumeris, idem rex cum ſuo exercitu ad propria remeavit. Quod Deo procurante factum eſſe non ambigitur: nam ſi tunc, vel poſt bellum de Dumbar et captionem regis Johannis, moram pertraxiſſet, totam terram Scotiæ cum habitatoribus aut ſubjugâſſet imperio, aut eam, præter aquas et lapides, ut creditur, vaſtatam reddidiſſet. Sed pietas Dei ‡, qui ſolus poſt vulnera curat et medetur, ita actus et tempora ipſius regis moderavit, ut, turbatus erga plurima, et diverſis guerris intentus, circa hujus regni ſubjectionem, ceteris curis poſtpoſitis, non potuit indulgere. Redeunte igitur cum ſuis illo rege Angliæ, ſed priùs ſtatutis miniſtris vicecomitatuum, et cuſtodibus caſtrorum in partibus ultra aquam de Forth, quæ plenariè et integrè ſuo tunc ſubjacebant imperio ⊣, exceptis paucis exulibus ⁎, de natione verorum Scotorum, in ſilvis latitantibus, qui, propter cædes et damna Anglicis et Anglicatis Scotis illata, apertè ap-

* Ter uno die ſunt devicti, *MSS. Cupr. et Perth.* † Qua potentia reverſa, *MS. D. G. M.* ‡ Et interventione S. Andreæ Apoſtoli protectoris regni, *hic addunt MSS. Cup. et Perth. interpolatione haud ferenda.* ⊣ Al. *dominio.* ⁎ Exulibus, vel etiam prædonibus, de natione Scotorum, in ſilvis latitantibus, qui, propter ſua facinora, juri parere non poterant, *edit. Hearn.*

parere

parere non poterant; Johannes Comyn, cuſtos tunc Scotiæ præcipuus, et Simon Fraſer miles bellicoſiſſimus, omni probitate præditus, cum eorum ſequacibus, antedicti regis ballivis et miniſtris die noctuque, pro ſuis viribus, ſatis moleſti erant et importuni, Anglicos et Scotos Anglicatos, à tempore receſſûs prædicti regis, per quatuor annos et ultra, per mutuas cædes et flagella, ſecundùm varios guerrarum eventus, multipliciter affligentes.

CAP. II.

De conflictu de Roſline, ubi turmatim Anglici uno die ter victi ſunt.

QUOD cùm nunciatum fuiſſet regi Angliæ, quendam magnanimem virum, Radulphum Comfrey nomine, nobilem valde, armis ſtrenuum, conſilio et ſapientiâ peritum, cum magno exercitu * electorum equitum optimè armatorum, ut moleſtatores et ſuæ pacis perturbatores, etiam in locis ſtrictiſſimis, perquirentes, ſupremo non deſiſteret punire ſupplicio. Intrantes igitur Scotiam, circumierunt terram, perambulantes eam, et apud Roſline per tres acies diviſi, ſua ſeparatim fixerunt tentoria, propter arctam et anguſtam hoſpitandi inopiam. Cognito namque eorum adventu Johannes Comyn et Simon Fraſer, cum eorum ſequacibus, paucis admodum reſpectu inimicorum, prævenire quàm præveniri magis deſiderantes, de Bigar uſque ad Roſline, per milliaria ferme ſedecim, ſub unius noctis ſpatio alacriter percurrentes, cum viris electis, qui mori priùs, quàm Anglicanæ nationi ſubjici indignè, potiùs elegerunt, in hoſtes intrepidi repentè irruerunt. Sed paulo antè, per vigiles excitati, aſſumptis armis, omnes primæ aciei irruentibus viriliter hoſtibus reſtiterunt. Tandem tamen illis ſuperatis, captis partim et partim occiſis, partim etiam ad ceteras acies fugientibus, confeſtim Scotis ſpolia dividentibus, apparuit acies altera, potior priore, ad bella parata. Quâ viſâ, Scoti mente conſternati, per duces tamen exhortatione ſummariâ animati, captivis occiſis, et de occiſorum ſpoliis clientulis armatis, remotis equis invalidis et fortioribus aſcenſis, animis intrepidi ad pugnam alacriùs properârunt. Hoſtibus, licet difficulter, tandem ſuperatis, cùm totum ſe Scoti feciſſe credidiſſent, apparuit tertia acies Scotis numeroſior, prioribus potentior, et armis elegantior. Ex cujus viſione Scoti ſtupefacti, et, tum pro fatigatione itineris et vigiliarum, necnon et cibi defectu multipliciter laſſati, tum pro continuis pugnandi laboribus calefacti, amotis caſſidibus, ad exponendum ſe ventis ſecedentes, tum pro ictuum tunſionibus et vulnerum vehementer afflicti tædere cœperunt, et, ultra quam credi poteſt, animo pavere ac fugam capere ſe paraverunt. Inter has perplexitates populum timore conſtrictum antedicti duces Johannes et Simon animis imperterriti inanimantes, ſimul cum armis officium ſuſcipiunt prædicatorum. Multum enim valet bellaturis ſtrenui ducis exhortatio læta. Sicut narrat SEXTUS JULIUS, *Stratagematum* libro primo, " Quòd Cyrus, rex Perſarum, " volens animos popularium concitare ad bellum contra Medos, tali " uſus eſt cautelâ: duxit exercitum ad quandam ſilvam, ubi populum

*Cum certa ſumma, *pro* magno exercitu, *edit. H.*

" totâ die in laboribus maximis occupavit in ſilva illa ſuccidenda. In " craſtino, die ſcilicet præcedenti bellum, epulas lautiſſimas præparari, " et exercitum cum gaudio et tripudio fecit convivari. Et circumiens " per turmas, interrogavit, quis illorum dierum magis eis placeret? " reſponderunt, quòd dies ſecundus plus placuit eis quàm primus dies. " Quibus ille ſubjunxit; Sicut per laborem heſternum ad hodiernum " perveniſtis convivium, ſic felices beatique eſſe non poteſtis, niſi priùs " Medos viceritis." Sic et noſtri novi prædicatores Johannes et Simon populum verbis conſolantes, promiſſis exhilarantes, necnon libertatis generoſitatem, ſubjectionis vilitatem, et anteceſſorum ſuorum indefeſſos labores pro patriæ liberatione voluntariè aſſumptos, ad memoriam reducentes, monitis ſalubrioribus ad pugnam animabant. His et aliis hujuſmodi vehementer confortati, depoſitâ omni vecordiâ, reſumptis viribus et captivis occiſis, ex eorum equis et armis, quaſi denuo renovati, cum ſuis clientulis de prioribus armatis ſpoliis, ſpem ſuam in Domino ponentes, ad pugnam ferociſſimi et alacres proceſſerunt. Quorum congreſſus tam ingens erat et ferox, ut multi, armis perforatis, vitâ privarentur. Nonnulli etiam utriuſque exercitûs, poſt dira lancearum vulnera, ſæva flagella, et clavarum ictus duriſſimos, numero centeni quadrageni et viceni alternis vicibus, pro laſſitudine hinc inde pugnæ diuturnæ confuſi, ad montes et colles et alia apta loca de acie ſe retraherent; ut ventis expoſiti, amotis galeis et equis vulneratis, et ex aëre refrigerati, aliis recentioribus aſcenſis, contra inimicorum inſultus non vi humanâ, ſed virtute divinâ, ſubjectis hoſtibus. Scoti, qui reſpectu partis adverſæ numero erant pauciſſimi, velut ſi pugillus frumenti multitudine maris arenæ coæquaretur, felici et jocundâ, laus Deo, potiti ſunt victoriâ.

Reperi in quadam chronica, quòd Anglici erant bellatores numerati triginta millia, Scoti vix octo millia. De quo dictum eſt;

Anno milleno trecentenoque ſecundo,
Luceſcente die, feſtum recolente Mathiæ,
In Roſline campo nova gratia luxit ab alto;
Nempe Johanne duce Scotorum Cominienſe,
Anglis confuſis, ceſſit victoria Scotis.

CAP. III.

Quomodo rex Angliæ, peragratis planis et montanis Scotiæ, recepit communitatem ad pacem ejus, et omnes fere magnates.

ANNO Domini milleſimo trecenteſimo tertio rex Angliæ, cum potentia magna nimis, Angliæ videlicet, Walliæ et Hiberniæ, Vaſconiæ et Sabaudiæ, cujus comes perſonaliter ſecum fuit, et etiam princeps Walliæ, tam per mare quàm per terram, in præmiſſarum moleſtiarum vindictam, Scotiam hoſtiliter intravit, cum deliberato conſilio ad eam tunc cum ſuis planè et perpetuè habitandam, ſibique plenariè et finaliter ſubjugandam; vel, ipſius incolis penitùs deletis, terram ipſam in extremam et irrecuperabilem ad vaſtitatem redigendam. Peragratis igitur tam montanis quàm planis, tam ultra montes quàm citra, in propria perſona ad Lochindorb pervenit, et ibidem aliquamdiu moram faciens,

partes

partes Boreales ad pacem recepit: qui, in caſtris et villis firmatis univerſis ſibi redditis, ſuos ordinavit miniſtros. Et inde pedetentim rediens, univerſas communitates ad pacem capiens, ſimul cum municipiis et caſtellis per terras quas luſtravit, nullo reſiſtente vel vim inferente; poſt multos circuitus terrarum ad Dumfermelyn pervenit: ubi per longum tempus moram trahens, ibidem hyemavit uſque ad feſtum purificationis noſtræ Dominæ. Quo in anno Eadwardus de Carnarvan filius ſuus, princeps dictus Walliæ, in villa de Perth moram traxit: ubi per totum tempus prædictum tanta erat copia victualium, ut lagena boni vini menſuræ Scoticanæ pro quatuor denariis communiter venderetur. Eodem etiam anno, poſtquam tota communitas Scotiæ ad pacem regis Angliæ eſt recepta, Johannes Comyn tunc ſuperior cuſtos, et omnes magnates, præter nobilem Willelmum Wallace et ſuos ſequaces, ſucceſſivè et paulatim ad pacem ipſius venerunt, redditis caſtris et villis ſuis univerſis, præter caſtrum de Strivelyn, cum ejuſdem cuſtode. Timuit enim vehementer prædictus nobilis Willelmus fraudem ſuorum compatriotarum; quorum quidam ſibi, ob ipſius probitatem, invidentes, alii promiſſis Anglicorum allecti, alii favorem propterea regis Angliæ circumauſpicantes, flexuoſis amfractibus ſæpiùs et ſubtiliter ſibi inſidias paraverunt.

Perſuaſum inſuper erat ei à ſuis familiaribus et intimis amicis, ut et ipſe ſicut et ceteri regi Anglorum obediret, quatenus ipſi ſic ſaltem pace potirentur. Alii inſuper ab ipſo rege erant ſibi miſſi, ad inducendum eum ad hoc, promittentes ſibi, ex parte ejuſdem regis, comitatus et amplas poſſeſſiones in Anglia vel in Scotia per ſe eligendas, et ſucceſſoribus ſuis perpetuè poſſidendas. Quibus omnibus ſpretis, tanquam alter Mattathias pro libertate ſuæ gentis ſic eum ferunt reſpondiſſe: " O deſolata Scotia! nimium verbis fallacibus credula! calamitatum " venturarum ſatis improviſa! ſi ſentires mecum, collum tuum ſub " jugo de facili non poneres alieno. Cùm autem ego, inquit, adole- " rem, à patruo meo preſbytero hoc unicum proverbium, cunctis " opibus præponendum, didici et ſemper in mente notavi, videlicet,

" *Dico tibi verum, libertas optima rerum:*
" *Nunquam ſervili ſub nexu vivito fili.*

" Et ideo breviter dico, quod ſi omnes Scotigenæ regi Angliæ obedi- " ant, vel diſcedat unuſquiſque à libertate ſua, ego et conſodales mei, " mihi in hac parte adhærere volentes, ſtabimus pro libertate regni; " et, niſi regi vel locumtenenti ejus, propitius ſit nobis Deus, alii non " obediemus."

Eodem anno idem rex Angliæ apud Sanctum Andream quadrageſimavit: ubi, convocatis omnibus regni majoribus, ſuum tenuit parliamentum; et pro ſtatu regni ſibi et ſuis ſucceſſoribus, ut credebat, imperpetuum acquiſiti et adepti, ſimul et de ipſius incolis prout voluit ordinavit.

CAP.

CAP. IV.

Quomodo rex obſeſſit caſtrum de Strivelyn, et de initiis Roberti de Bruce.

STatim poſt Paſcha, ſcilicet anno Domini MCCCIV. idem rex, per tres menſes continuos caſtrum de Strivelyn obſeſſit: ad cujus machinas conſtruendas totum plumbum monaſterii Sancti Andreæ deponi mandavit, et ad Strivelyn juſſit deportari. Tandem autem caſtrum prædictum, ſub certa conditione in ſcriptis redacta et ſuo ſigillo confirmata, ſibi redditur et liberatur. Sed ipſe rex, obtento caſtro, fide mentitâ et conditione violatâ, Willelmum de Oliferd, inſignem militem, cuſtodem ipſius, vinctum Londoniis carceri mancipavit, et per multa tempora tenuit mancipatum.

Eodem anno, receptis ad pacem tam majoribus quàm minoribus regni Scotiæ, excepto Willelmo Wallace ſolo, redditis ſibi caſtris et villis firmatis univerſis, à Weyk in Catheneſia uſque Mullerſnowk in Galweya, reædificatis etiam priùs dirutis et deſtructis, ſuiſque cuſtodibus ibidem conſtitutis; poſt juramenta fidelitatis et homagia præſtita ab omnibus et ſingulis Scotigenæ nationis, reverſus idem rex, cum principe Walliæ Eadwardo filio ſuo et univerſo ſuo exercitu, in Angliam, relicto tamen uno principali cuſtode, ſuum locum tenente, ſciz. Odomaro de Valance, ad reformandos et corrigendos exceſſus ceterorum omnium, tam Scotorum quàm Anglicorum; et poſt hæc in Scotia non comparuit. Poſt cujus receſſum, principante Anglicanâ natione in univerſis partibus regni Scotiæ, atque Scotos multifariis multiſque modis injuriis, flagellis et cædibus, ſub diræ jugo ſervitutis crudeliter affligente, miſericors Deus Scotorum miſeriis continuis clamoribus compaſſus et doloribus, ſolito more paternæ pietatis ſuſcitavit eis ſalvatorem et propugnatorem, unum ſcilicet de ſuis confratribus, nomine Robertum de Bruce: qui eos in lacu miſeriæ proſtratos, et omni ſpe ſalutis et auxilii totaliter deſtitutos videns, et dolore cordis tactus intrinſecùs, tanquam alter Machabæus manum mittens ad fortia, pro fratribus liberandis, innumeros et importabiles diei æſtus, frigoris et famis in terra et in mari ſubiit labores, non inimicorum tantùm, ſed etiam falſorum fratrum inſidias et tædia, inedias et pericula lætanter amplectendo. Benedictus igitur Deus, qui poſt nubilum dat ſerenum. Nam Scotis quaſi in deſperatione et extrema calamitate tunc conſtitutis, fertur de Anglia quendam ſanctum heremitam hanc ſcripturam conſolatoriam emiſiſſe:

Crede, licet ſera, veterum præſagia vera;
In bonitate Dei ſit tibi cura ſpei.
Nam quæ tot pateris, quæ jam captiva videris,
Tandem ſolveris. Imperialis eris.
Deſuper eveniet virtus tibi Scotia. Fiet
Ultima proſperior quàm tua vita prior.
Promittunt veteres quòd erit tibi belliger heres,
Qui, ſua jura novans, regna ſudabit ovans.
Stragibus immenſis ſudabit Scoticus enſis:
Rex perdet cuneos ultor ubique reos.

Corruet Angligena per eum gens, non ſine pœnâ,
Enſe, ſiti, fletu, peſte, timore, metu.
Hoſtibus afflictis, ſtratis, per prælia victis,
Scotia, tuque tui plaudite pace frui.

CAP. V.

De confœderatione Bruce et Comyn, et accuſatione Bruce regi Angliæ per Comyn.

HIC etenim Robertus de Bruce comes de Carrik, A. D. MCCCIV. unâ dierum à Strivilenſi oppido, concomitante ſecum quodam majore natu regni Johanne de Red Comyn, ut quod pro reipublicæ commodo læto ſuſcepiſſet animo, efficaciter opere compleret; ad ipſum Johannem ſibi fratrem in armis, genere et potentiâ tunc regni opimiorem, indignè patriæ ſubjectionem crudelem, et indefinentem populi vexationem, atque ſuæ piæ mentis conceptum, circa ipſius elevationem, inſinuans, fideliter equitando exponens, humiliter acceſſit. Et quamvis de jure, ſecundùm conſuetudines et leges patriæ, honor et ſucceſſio regiæ dignitatis et regni regiminis ad ipſum, præ ceteris noſcatur pertinere, utilitatem tamen communem præferens privatæ, eidem Johanni, ut unum è duobus eligeret, purâ et ſincerâ obtulit voluntate, aut regnare aut regni regimen ex toto cum ſuis pertinentiis et regiis honoribus ſibi imperpetuum aſſumere, conceſſis eidem Roberto ſuis terris et poſſeſſionibus univerſis: aut terras ipſius Roberti et poſſeſſiones univerſas ſibi ipſi Johanni et ſuis, jure perpetuo, poſſidere, relicto ipſi Roberto regno et regis honore; ut ſic, per eorum mutua conſilia pariter et auxilia, de domo ſervitutis et indignæ ſubjectionis matura fieret liberatio Scoticæ nationis, et inter eos indiſſolubilis amicitiæ et pacis perpetuæ fœdera permanerent. Cúmque alterum prædictorum ipſi Johanni ſummè, ut apparuit, placuiſſet, et ſuper hoc conventio hinc inde facta, ac fide mediâ, interpoſitis juramentis, per ſuas indenturas, cum appoſitione ſigillorum eorundem, fuiſſet roborata, ipſe Johannes, fide, ut dicitur, violatâ, et juramenti religione neglectâ, eundem Robertum apud regem Angliæ per ſuos internuncios et literas privatas, ipſius Roberti ſecreta nequiter revelando, ſæpiùs accuſavit, putans quòd, Roberto Bruce de medio ſublato, ipſe poſſet totius Scotiæ ducatum, ſine difficultate, permiſſione regis Angliæ obtinere.

Perpendens igitur ſpiritus nequitiæ per dictum Robertum multa bona regno Scotiæ provenire, et ut in conatibus ſuis ſubtiliter fruſtraretur, ſe ſtudio propenſiore ad omnia malitiæ machinamenta circumtulit. Novit equidem quòd cupiditas radix eſt omnium malorum, mater tranſgreſſionis, magiſtra nocendi, primipilaria iniquitatis, auriga malitiæ, ſicaria virtutum, ſeditionis origo, honeſtatis noverca, fomes odii, incentivum litis, et foyea ſcandalorum: eâ etiam ſæpe, quaſi inſtrumento, uſus eſt, ut odia ſeminaret, turbaret amicitias, fœdera rumperet, homicidia procuraret, incenderet urbes, regna transferret, reges à ſoliis populoſque à ſuis finibus exturbaret; in jam dictum Johannem de le Red Comyn tantum cupiditatis ardorem, tantam tamque damnabilem vehementiam

ambitionis immiſit, ut, rupto fœdere, irrito juramento, ſuum fidelem ſocium, nil mali ſuſpicantem, proditionis machinamento cogitaret appetere, ut, eo ſubtiliùs per tyrannidem regis Angliæ interempto, in labores illius introiret, ipſiuſque regnum, ſibi et non alteri de jure debitum, poſſideret. Ecce alter Nâboth, cujus occiſio procuratur ut vineam ejus iniquus obtineat, et dicatur à Domino poſſeſſori, "Occidiſti inſuper "et poſſediſti!" Non ſic, impie, non ſic; ſed in quem tetendiſti laqueum cecidiſti; quia nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non apponet nocere Roberto. Quid multis morer? quamvis ſuper conſpiratione idem Robertus, ſuggeſtionibus dicti Johannis, per præmiſſum regem Angliæ pluries fuerat examinatus, oſtenſis ſibi literis ſui adverſarii ipſum acriter accuſantis, tale ſemper, Deo inſpirante, reddidit reſponſum, ut regis inſaniam jocundâ loquelâ et verbis peritis, utpote non fuit ſui-ipſius ſigillifer, crebrius mitigaret: tum apud eundem regem, qui multis verſutiis præditus fuit ſimul et aſtutiis, et fictam amicitiam optimè noverat ſimulare, plurimum tamen per accuſationes ipſius Johannis, tum quia verus eſſet regni Scotiæ heres, ſuſpectus habebatur. Et ideo in curia ſua juſſus eſt continuè reſidere, propter cauſas ſuſpicionis prædictæ: mortem enim ſibi, vel ſaltem perpetuos carceres, hac potiſſimâ ratione, diſtulit inferre, donec ceteros ipſius Roberti fratres, uno die congregatos, ſimul cum eo ſupremo puniret ſupplicio.

Hoc anno deputati ſunt juſticiarii de Traïlbaſton per Angliam.

CAP. VI.

De accuſatione et evaſione ejus.

CRebreſcente verò antedicti Johannis accuſatione, tandem unâ nocte, cùm merum ſplenderet in calice, et cubatum rex Angliæ cum ejus ſecretioribus cubiculariis properaret; de morte ipſius Roberti anxius pertractavit, et, quòd in die craſtino eum vita privaret, breviter diffinivit. Quod cùm comes Gloverniæ, ipſius Roberti verus amicus et in neceſſitate probatus, audiſſet, cum ſuo garderoparii eadem nocte* duodecim denarios et unum par calcarium prædicto Roberto miſit feſtinanter. Qui, juſſa domini ſui perficiens, prædicta xenia Roberto Bruce præſentavit, atque ſubjunxit dicens; "Hæc mandat vobis do-"minus meus, reddens quæ heſterno die ex mutuo à vobis accepit." Qui etiam, per oblata pignora imminens mortis periculum cautè conjiciens, datis garderoparii denariis, eum ad comitem, cum reſalutatione et gratiarum actione, protinus remiſit: qui ſtatim, accito ſuæ domûs præpoſito, præcepit ut ea nocte ſuis hominibus bonum vultum faceret, et vino cum eiſdem non parceret, quia ipſe in camera cum ſuo ſecretario ardua eſſet tractaturus. Contigit quòd in crepuſculo nix immanis deſcenderat, et totam terræ ſuperficiem coöperuerat. Unde vocavit quendam fabrum, et in ſtabulo, nemine ſciente præter fabrum, ſtabularium et ſecretarium, fecit amovere omnia ferramenta trium ſuorum optimorum equorum, et retrogradè affigi ungulis caballorum. Quibus

* *Eodem ſtro* pro *eadem nocte*, MSS. Coll. Edinb. Cupr. et Perth.

clanculò

clanculò aſcenſis, iter verſus Scotiam cum ſecretario et ſtabulario arripuit properanter, die et nocte non ceſſans à labore donec à prædicti regis furiis immunis reddetur, ipſo ducente* de quo ſcriptum eſt; *Non eſt ſapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium contra Dominum, qui novit pios de temptatione eripere, et in ſe ſperantes à periculis miſericorditer liberare.*

Alibi reperi quòd Johannes Red Comyn primus fuit qui perſuaſit dicto Roberto Bruce aſſumere ſibi regnum, lamentabiliter conquerendo dicens; "Ecce iſti Angli occidunt gentes noſtras abſque occaſione, et "regnum noſtrum detinent ſine ratione! Confortare ergo et eſto ro-"buſtus; amicos tuos conſule, et arma capeſce, conceſſiſque mihi tuis "poſſeſſionibus, me auxiliante, coronâ potieris. Sin autem, omnes "terræ meæ tuæ ſint. Intende et exſurge in adjutorium mihi, ut vel "ſic ego præſim, et eris mihi ſecundus in regno, omniaque ad nutum "tuum tractabantur." Hujuſmodi blæſis ſermonibus dominus de Bruce allectus, placuit ſuæ voluntati alterutro præbere aſſenſum. Cui et dixit; "Regratior, conſanguinee, tuæ conſiliatrici oblationi, et dum dictis facta "compenſes faciam quod hortaris. Mihi etenim aſtabit pondus regi-"minis, quia ſcio me ad hoc juſtitiam habiturum: et, ut dicitur, in-"validum juſtitia plerumque efficit robuſtum. Talem reputabo juſti-"tiam meam, quâ, per Dei gratiam, nil alienum vendicabitur, et "cuique quod ſuum eſt dabitur; quâ utique negligam propriam utili-"tatem, ut communem conſervem æquitatem." Iſtis ſic concordatis et hinc inde juramento vallatis, eâdem nocte ſcriptæ ſunt indenturæ, figilliſque utriuſque validatæ. Et poſt paucos dies acceſſit dominus Johannes Comyn ad regem Angliæ, cui revelavit conventionem. In cujus rei teſtimonium dedit regi indenturam. Qui, propterea nimium commotus, parlamentum ſtatuit; ad quod cum ceteris proceribus Robertus Bruce eſt citatus, nihil proditionis le Comyn præmeditatus. Comparenti dicto Roberto de Bruce rex tradidit indenturam ſuo figillo figillatam, quærens ſi ipſe ipſam indenturam cognoſceret, vel figillum ſibi ipſi apponeret. Cui Robertus; "Inducias uſque craſtinum peto, ut "cum indentura aviſari potero, et die craſtino in plano parlamento "ipſam illæſam repræſentabo: et ad hoc perficiendum totas terras "quas de vobis teneo in vadium applegio." Rex de hoc credidit ſe ſecurum, donec in craſtino percepit ſe deluſum. Tunc clamor attollitur, quòd ſic evaſit traditor. Plerique etiam admirantur, eo quòd exploratum eſt in nive veſtigia equorum acceſſiſſe ad ſtabulum, ſed nullorum abhinc receſſiſſe.

CAP. VII.

De occiſione domini Johannis Comyn per Robertum de Bruce.

TAM feſtinanter, ut ſcriptum reperi, dominus Robertus Bruce greſſus maturavit, quòd ſeptimo die ab incepto Londoniis itinere ad Lochmaban pervenit; ibique invenit fratrem ſuum Eadwardum, qui de ſuo adventu, tam ſubito quàm privato, multum mirabatur. Cui

* *Ipſo præduce*, MSS. Coll. Ed. Cupr. et Perth.

ipſe

ipſe ex ordine narravit quàm proditoriè fuerat accuſatus apud regem Angliæ, et quomodo evaſit manus ejus in nomine Domini. Cúmque eodem die ante adventum dicti Roberti ad Lochmaban confinibus Marchiarum appropinquaret, quendam ſibi obvium pedeſtrem habebat; quem aſpiciens à longè, tam inceſſu quàm habitu ipſum fore Scotum ſuſpicatus eſt. Quem licet declinantem apprehendens interrogat, quò pergeret, et unde veniret. Et cùm multiplicaret excuſationes in peccatis, ex præcepto ipſius Roberti ſui clientuli ſecreta occurrentis nuncii rimantur. Literæ miſſivæ ſigillo dicti Johannis Red Comyn ad regem Angliæ, de ſecuritate incarcerationis ſive retentionis ipſius Roberti, ſive celeriore occiſione ejuſdem, quàm maximâ et periculoſâ circumſtantiâ cauſante, directæ protinus inveniuntur et auferuntur. Caput nuncio præciditur, et Deus, pro directione proſperi itineris, plurimum collaudatur. Illo quippe tempore dominus Johannes Red Comyn apud Dumfres perhendinavit. Cui, ad peregrinam ſatis remunerationem inferendam, Bruce ſe feſtinavit. Quem quidem Johannem in choro fratrum de Dumfres, coram magno altari, Robertus deprehendit; cui ſalutatione fermentatâ, et de ſubjecta materia aliquantiſper prælocutis, literæ miſſivæ ejuſdem Johannis oſtenduntur, et ſuper proditione et fide ejus mentita idem Johannes impetitur. Sed mox *mentiris* reſpondetur. Maledicenti in eadem eccleſia lethale vulnus infligitur, et vulneratus per dictum dominum Robertum, per manus fratrum retro altare tranſportatur. Quod cùm factum fuiſſet, Robertus Bruce, tanquam homo impatiens et extra ſe poſitus, ad introitum cœmeterii equos expetivit. Cui occurrit conſanguineus ſuus dominus Jacobus de Lindeſay, unà cum Gilpatrick de Kirkpatrick, qui in ejus ſubſidium, ut apud Lochmaban præordinatum fuit, cucurrerunt, et attendentes ipſum Robertum exſanguem et quaſi extra ſe poſitum, interrogaverunt quomodo penes ſe actum ſit: Malè inquit, quia Johannem de Red Comyn, ut æſtimo, interfeci. Debet, inquit Jacobus de Lindeſay, tam arduum præſumptum revocari in dubium? et ipſe cum Gilpatrick reveſtiarium intrantes, ſi vivere poſſet interrogatur; ab ipſo Johanne, ſi medicum haberem, poſſum, protinus reſpondetur. Ab interrogantibus ſecundum vulnus infligitur. Ubi etiam dominus Robertus Comyn miles, in defenſione conſanguinei ſui domini Johannis Comyn, cum eodem vulneratus occubuit. Et ſic A. D. MCCCV. iv. Id. Februarii, ab hac luce ſubtrahuntur. Et rex Angliæ Eadwardus à ſuo deſiderio, non minùs mirificè quàm miraculoſè, ut creditur, fruſtratur. Nocte ſequenti funere in feretro collocato, et conventu fratrum hinc inde in choro conſtituto, ac pſalterium et orationes repetente pro defuncto, paulo ante gallorum canticinium fallax ſomnus omnes fratres irrepſerat, excepto quodam antiquiore, et emerito patre, ceteris ſeduliùs evigilante, qui generalem abſolutionem animarum devotè commemorans, audivit ſubitò vocem tanquam vagientis parvuli penetrantiùs exclamantis; *Uſquequo Domine vindictam differes?* Continuò ab alio admirabili et incognita voce reſponſum audivit: *Quod petis patienter præſtolare*, et hoc die anniverſario, anno quinquageſimo ſecundo, intentum aſſequeris.*

* De hoc infra, libro XIV. cap. 20.

De

De hac internecione dicti Johannis habentur hæc metra:

Anno milleno trecenteno quoque quinto,
Sancta tulit mæſtum Scotis Scholaſtica feſtum.
Nam mors Johannis in Dumfres Cominienſis
Multos dejecit, et corda ſtupentia fecit.
Cauſa ſuæ mortis vetus eſt diſcordia fortis.
Hinc Scoti diſcant diſcordes, ut reſipiſcant;
Ut ſint uniti, vel erunt certamine triti.

CAP. VIII.

De proditione Johannis de Menteth, morte Willelmi Wallace, et tyrannide regis Eadwardi.

HOC eodem anno nobilis Willelmus Wallace per dominum Johannem de Menteth apud Glaſgw, nil mali ſuſpicans, fraudulenter et proditionaliter capitur, regi Angliæ traditur, Londoniis dementur, et ejus membra per diverſa famoſiora loca Angliæ et Scotiæ, in opprobrium Scotorum, turribus ſuſpenduntur. In hoc iſte tyrannus Eadwardus Angliæ putabat famam nobilis Willelmi delere in perpetuum, eo quòd viſus ſit oculis inſipientium tam vili morte terminari. Nec enim obfuit ſibi talis mors, quia ſic ſcriptum eſt;

Mors juſti rapida, quam præceſſit bona vita,
Non minuit merita, ſi moriatur ita.

Perpendo enim per hos tres viros, Eadwardum ſcilicet tyrannum, Johannem Menteth proditorem, et Willelmum Wallace innocentem, tria genera hominum diverſimodè circa ſuam famam et nominis celebrationem in hoc ſeculo ſe diſponentium:

Quidam enim nomen ſuum

Ambitioſè magnificant ad oſtentationem, ſicut Eadwardus tyrannus.
Scandaloſè vilificant in deteſtationem, ſicut dictus Joh. de Menteth.
Virtuoſè dignificant ad ædificationem, ſicut Willelmus Wallace.

Primi nomen ſuum et famam appretiantur, ſecundi nomen ſuum negligenter aſpernantur, tertii nomen ſuum convenienter venerantur. Primi ſunt homines vani et mundani, qui nihil aliud in ſuis operibus appetunt nec intendunt, niſi quòd ſint magni nominis et famoſæ opinionis apud homines. Et iſti ſcribunt nomina ſua in cineribus, hoc eſt, in vanis memoriis hominum, qui non ſunt niſi terra et cinis. Contra tales qui ſic nimis appretiantur, tanquam famæ gloriam et nominis celebritatem, arguit Boëtius de Conſolatione, lib. II. proſâ vii. declarans pulchræ famæ vanitatem per quinque rationes. Vide ibi. De talibus ait poëta:

Nomen habes ſine re, ſine nomine rem tibi quære.
Si re priveris, non nomen habere mereris.

Secundò, ſunt aliqui qui nomen ſuum ſcandaloſè vilificant; cujuſmodi ſunt iſti proditores et ſubtiles tergiverſatores. Tales multum ſcandalizant proximos, præbentes ſimplicioribus occaſionem proditionis et ruinæ

eorum abominandiſſimo exemplo. Nunc in tantum proditiones pullulant, ut, quod dolenter referendum eſt, etiam magnates non ſe abſcondunt à calore ejus. Juramenta irritant, ſcripta ſigillata diverſificant, aſſecurantias et treugas non ſervant. " Malo (inquit SENECA) " mihi ſucceſſum deeſſe quàm fidem, quæ etiam hoſti ſervanda eſt: " nam qui fidem perdit, nil poteſt ultrà perdere." *Tales*, ut ait JACOBUS in canonica, *blaſphemant nomen bonum quod invocatum eſt ſuper nos*; iſtud eſt nomen Chriſti. Non ergo ſe profitetur bonum Chriſtianum qui alterius traditor eſt, ſed Judæ Iſcarioti imitator eſt. Tertiò, ſunt aliqui qui nomen ſuum virtuoſè dignificant, qualis fuit Willelmus Wallace. Willelmus interpretatur *vir almus*, Wallace *ſine væ*. Fuit inquam vir almus; quòd probatum eſt poſt ipſius mortem, cùm ipſi plerique Anglici veridici teſtantur, quòd quidam in ipſa Anglia ſanctus heremita, raptus in ſpiritu, vidit quaſi innumeras animas de pœnis Purgatorii liberatas, quaſi præſtolantes aditum regni cœleſtis, quoadusque per miniſterium Angelorum, maximo cum honore, introducta fuit et præmiſſa anima ipſius Willelmi Wallace, pro fidelitate et patria ſua uſque ad mortem legitimè decertantis; qui nunquam Anglis ſe ſubmiſit vel homagium præſtitit: et ideo fuit *ſine væ* reprobationis vel opprobrii. De quo propterea poteſt referri illud ESTHER, quòd " fama nominis ejus creſcebat quotidie." De quo etiam et aliis duobus præmiſſis aptatur illud proverbium; *Memoria juſti cum laudibus, et nomen impiorum putreſcit.*

CAP. IX.

De coronatione regis Roberti de Bruce.

ANNO Domini milleſimo trecenteſimo ſexto, paucis evolutis diebus poſt mortem domini Johannis Red Comyn, idem Robertus de Bruce, comes tunc de Carrik, aſſumptis ſecum quotquot habere potuit, ad Sconam properavit; et in ſede poſitus regali, modo quo ſolebant reges Scotiæ inſigniri, ſexto Kal. Aprilis coronatus eſt. Unde;

Anno milleno trecenteno quoque ſeno,
De Bruce Robertus, regum de ſtirpe repertus,
Suſcipit in Scona regni Scotiæ diadema.
Hæc in Aprilinas ſexto ſunt facta Kalendas.

Rem grandem certè incepit rex, onera importabilia propriis humeris imponens. Nam contra potentiſſimum regem Angliæ, et omnes ejus complices et fautores Anglos, non ſolùm manum erexit, ſed etiam contra omnes et ſingulos de regno Scotiæ, exceptis pauciſſimis ſibi benevolis, qui, reſpectu multitudinis partis adverſæ, erant quaſi gutta aquæ fluctibus maris, vel unicum granum cujuſcunque ſeminis numeroſitati arenæ computatum; ſe dedit ad certandum. Ejus etiam infortunia, fugas, et pericula, ærumnas et tædia, famem et ſitim, vigilias et jejunia, nuditates et frigora, inſidias et exilia, propinquorum et magis carorum captiones, incarcerationes, occiſiones, et excidia, quibus in principio ſuæ guerræ victus et fugatus ubique ſuccubuit, nullus, ut opinor, modò vivens recolit vel ſufficit enarrare. Præterea inter tot adverſa et innumerabiles

merabiles anguſtias, quas læto animo pertulit et invicto, ſi quos ſuos particulares conflictus, et ſingulares triumphos, victorias et duella, quibus, Domino opitulante, propriis viribus, et humanâ vigoroſâ virtute hoſtium cuneos penetrabat ſecurus, hos potenter nunc proſternens, et prudenter nunc declinans, pœnam mortis evadendo, noverit recitare, experietur, ut arbitror, quòd infra climata mundi, ſuis temporibus, in arte pugnandi et corporis vigore nullos ſibi ſimiles comprobabit. Ideo ejus particularia geſta ſcribere poſtpono, tum quia non paucas membranas occuparent, tum quia, licet indubitanter ſint vera, locus tamen et tempus quibus fiebant et patrata fuerunt, his diebus paucis innoteſcunt; tum etiam quia magiſter Johannes Barbarii, archidiaconus Abirdonenſis, in lingua noſtra materna diſertè et luculenter ſatis ipſa ejus particularia geſta, necnon multum eleganter peroravit. Et ideo nugatorium cenſerem, hujuſmodi ſua geſta præſentibus apicibus commendare. Ejus tamen bella famoſiora et geſta notiora, per annos ſingulos quibus accidebant, ſubſcripta patefiant.

CAP. X.

Quomodo miſit curiæ Romanæ pro abſolutione excommunicationis, quam contraxit in eccleſia, pro morte Johannis Comyn.

TAntæ humilitatis et conſcientiæ fuit, quòd nullomodo præſumpſit ſe ad coronam regni percipiendum ingerere, donec abſolutus foret de excommunicationis ſacrilegio, quod in ſanctuario fratrum contraxit de Dumfres; ſive, ut alii volunt, incontinentè poſt commiſſum facinus, miſit nuncios ad Apoſtolicam ſedem, pro abſolutione ſui et complicum ſuorum obtinenda. De vivæ igitur vocis oraculo ſummo pœnitentario ſuo, ſummus pontifex Clemens tertius commiſit, ut prædicto Roberto de Bruce in forma debita abſolutionem impenderet. Qui, auctoritate ejuſdem domini noſtri, commiſſionem miſit ad partes domino abbati de Paſleto hujuſmodi ſub tenore:

BERENGARIUS miſeratione Divina titulo Sanctorum Nerei et Achillei preſbyter cardinalis, religioſo viro abbati monaſterii de Paſleto ordinis Sancti Benedicti, Glaſguenſis dioceſis, ſalutem in Domino. Ex parte cujuſdam nobilis Roberti de Bruce, laici de Carrik, dictæ dioceſis, nobis oblata petitio continebat, Quòd ipſe olim, ſuadente Diabolo, cum quibuſdam complicibus ſuis, Johannem et Robertum Comyn milites, ut plurimum ſibi adverſantes, in eccleſia fratrum Minorum de Dumfres occidit. Verùm cùm ipſe cum dictis complicibus ſuis, propter capitales inimicitias, guerrarum diſcrimina, ſedem Apoſtolicam, ac etiam ſuum dioceſanum, vel ejus vicarium adire non poſſit, ſupplicare fecit humiliter, ſibi et dictis ſuis complicibus, per ſedem eandem miſericorditer provideri. Nos igitur, qui libenter Chriſti fidelibus ſubvenimus, auctoritate domini Papæ, et ejus etiam vivæ vocis oraculo, cujus pœnitentiarii curam gerimus, diſcretioni tuæ committimus, quòd, ſi eſt ita, poſtquam dictus Robertus et dicti ſui complices eccleſiæ ſupradictæ ſatisfecerint competenter, ipſum et ſuos dictos complices ab excommunicatione, quam eos propter hoc contigit incurriſſe, et ab hujuſmodi

hujuſmodi laicalis homicidii reatu, abſolvas hac vice, juxta formam eccleſiæ conſuetam: et ipſorum confeſſione diligenter auditâ, et culpâ conſideratâ, injungas eis, auctoritate prædictâ pœnitentiam ſalutarem, et alia quæ de jure fuerint injungenda. Dat. Piceni, decimo Kalend. Auguſti, pontificatûs domini Clementis *tertii* anno *quinto* *.

Rex ſic abſolutus, ſive interim pro abſolutione mittens, in ſequenti Aprili inſignia, ut præmittitur, regalia aſſumpſit. Et quia valde audax erat, cùm hoc circumſpectus et providus, prævidens et prudens ſuper omnes in diebus ſuis, ut dicitur, prudentiæ tres principales partes vigebant in eo, viz. memoria, intelligentia, et providentia, quæ principaliter in rectore vel duce requiruntur. Memoria enim, ſicut docet TULLIUS ſecundo Rhetoricæ, eſt, per quam animus reſpicit illa quæ fuerunt; intelligentia eſt per quam perſpicit ea quæ ſunt; providentia etiam eſt per quam futurum aliquid videtur antequam fit. Propterea proverbialiter dicitur, quòd prudens reſpicit tria tempora, præſens viz. præteritum et futurum; et trifaciata depingitur. Unde prudentia proprio nomine ſumpta, eſt priùs notio futurum pertractans eventum. Et quia miſit manum ſuam ad fortia, prævidit de communi modo bellandi, quem inimici ſui Angli non noverunt, ſed et quem ſui ſequaces peroptimè et experimentaliter didicerunt. Unde:

† *Scotica ſit guerra pedites, mons, moſſica terra:*
Silvæ pro muris ſint, arcus, et haſta ſecuris.
Per loca ſtricta greges munientur. Plana per ignes
Sic inflammentur, ut ab hoſtibus evacuentur.
Inſidiæ vigiles ſint, noctu vociferantes.
Sic malè turbati redient velut ‡ *enſe fugati*
Hoſtes pro certo, ſic rege docente Roberto.

*Legendum omnino videtur, *Clementis quinti anno tertio.* Quicquid ſit, ſatis aliunde conſtat falli eos omnes, qui Robertum prius veniam pro cæde in eccleſia à Papa impetraſſe ſcribunt, quàm regni diademate ſe inſigniri procuraverit. Porro hæc inaugurationis ſolemnia, die Dominica, XXVij. Martii A. D. MCCCVI. peracta fuiſſe recte ſcribit auctor noſter, quicquid alii dicant. † Verſio Scotice, ex edit. Hearn.

" On fut ſuld be all Scottis weire,
" Be hyll and moſſe thaim ſelf to weire.
" Lat wod for wallis be bow and ſpeire,
" That innymeis do thaim na dreire.
" In ſtrait placis gar keip all ſtoire;
" And byrnen the planen land thaim before:
" Thanen ſall thai paſs away in haiſt,
" Quhen that they find nathing bot waiſt.
" With wyllis and waykenen of the nicht,
" And mekill noyes maid on hycht.
" Thanen ſall they turnen with gret affrai,
" As thai were chaſit with ſwerd away.
" This is the counſall and intent
" Of gud King Robert's teſtament."

‡ *Famis enſe*, MSS. Cupr. et Perth.

CAP.

CAP. XI.

De bello de Methfen et Dalry, et variis regis tribulationibus.

EOdem anno ſuæ coronationis, decimo nono die menſis Junii, victus eſt rex Robertus cum ſuis, et in fugam converſus apud Methfen per Odomarum de Valencia, cuſtodem tunc Scotiæ ex parte regis Angliæ, et in villa de Perth, tunc benè murata, moram facientem cum magna potentia tam Anglorum quàm Scotorum, ad fidem et pacem regis Angliæ exiſtentium. In quo conflictu, licet prædictus rex multos de ſuis non perdidit, tamen propter mala principia quæ, vulgi opinione, infelici fine peraguntur *, plebeii conſternati tabeſcebant: quanquam contrarium ſentiat poëta, dicens;

Debile principium melior fortuna ſequetur.

Sui cœperunt tædiis aggravari, et pars victrix de data victoria multùm confortari. Unde uxores omnes eorum, qui regem ſunt ſecuti, voce præconis, ut maritos ſequantur, jubentur proſcribi. Propter quod multæ mulieres, tam ſolutæ quàm conjugatæ, ſub ſilvis latitantes, cum ſuis regi adhæſerunt, et in præſidio cum eo morabantur.

Eodem anno, cùm idem rex in finibus Atholiæ et Ergadiæ hoſtes fugiendo cum ſuis latitaret, tertio Idus Auguſti apud locum quendam, qui vocatur Dalry, iterum victus eſt et in fugam converſus. Sed nec ibi plures perdidit de ſuis: nihilominus tamen omnes timor invaſit, et univerſi ab invicem ſunt ſeparati et per varia loca diſperſi. Regina verò ad Sanctum Duthacum in Roſs confugit, ubi per Willelmum comitem ejuſdem capta, ad regem Angliæ eſt deducta, et in Anglia uſque ad bellum de Bannok in arcta cuſtodia detinetur captiva. Nigellus autem de Bruce, unus de fratribus ejuſdem regis, cum pluribus valentibus viris, dominabus etiam et domicellis, ad caſtrum de Kildromy confugiens, ibi cum ſua comitiva receptus eſt. Sed eodem anno Anglicis, per proditionem Scotorum, idem caſtrum traditur, et Nigellus cum aliis nobilibus utriuſque ſexûs apud Berwicum captivi ducuntur, et capite plectuntur. Thomas et Alexander de Bruce, fratres etiam prædicti regis, per aliam viam verſus Carrik properantes, eodem anno apud Lochrian capiuntur, et apud Carleolum decapitantur. Et ſic omnes, qui à rege receſſerunt, eodem anno aut vitâ privantur, aut capti carceribus mancipantur. Regem verò prædictum ſoli comes de Levenax, et Gilbertus de Haya de numero nobilium ſecuti ſunt, et in omni tribulatione ſibi comites individui facti ſunt. Et licet aliquando, cogente hoſtium perſecutione, ab ejus præſentia fuerunt diviſi, ab ejuſdem tamen fide et dilectione nunquam receſſerunt. Contigit autem cito poſt hæc, regem prædictum à ſuis ſeparari, et infinitas miſerias pati, et innumeris periculis conquaſſari; quandoque tribus, quandoque duobus adjunctus, et plerumque ſolus, omni auxilio humano remanſit deſtitutus. Nunc integram quindenam, abſque ciborum alimonia quacunque, præter herbas crudas et aquam tranſegit. Nunc attritis vetuſtate calciamentis, nudis pedibus inceſſit. Nunc ſolus in inſulis relictus;

* *Claudentur*, MSS. Cupr. et Perth.

nunc ſolus ab hoſtibus fugatus; nunc à ſervis ſuis deſpectus, in omni deſolatione permanſit. A notis ejectus deſeritur; ab Anglicis quaſi res perdita, vel furto ſubſtracta, per eccleſias inquiri jubetur. Et ſic omnibus, tam propinquis quàm remotis, factus eſt in ſibilum, fabulam et deriſum. Sed tibi, Domine! derelictus eſt pauper; exuli tu eris adjutor. In omnibus his non eſt effractus animus ejus, ſed ad liberandum de ſervitute gentem ſuam, adhuc manus ejus extenta. Speravit in Domino, et liberavit eum, et ex omnibus anguſtiis ejus eduxit eum.

CAP. XII.

Quòd nulla fortuna eſt mala apud ſapientem, et quòd labor improbus omnia vincit.

DIligentibus enim Deum omnia coöperantur in bonum, et hæc ſive ſint proſpera ſive adverſa. Propter quod SALOMON; "Non "contriſtabit juſtum, quicquid ei acciderit." Et ideo nulla fortuna mala eſt apud ſapientem, ſicut pulchrè declarat BOETIUS, IV. de Conſolatione, proſâ VII. dicens; "Quòd quilibet poteſt formare for-"tunam ſuam, ſicut voluerit. Si enim eſt aſpera, et ſuſtinet eam "patienter, facit eam meritoriam, et occaſionem merendi. Si eſt læta "et benè ea utitur, benè ſibi fit." Ideo dicit Philoſophia in Boëtio; "In veſtra enim ſita eſt manu qualem fortunam formare malitis: "omnis enim quæ videtur aſpera, aut exercet, aut corrigit, aut punit." Hæc eſt enim omnis adverſa fortuna, aut exercet perfectos, aut corrigit imperfectos, aut punit injuſtos. Et ideo ſignificanter ſcribit PAULUS ad Philippenſes; "In omnibus gratias agite."* Hanc planè doctrinam patienter didicit rex noſter Robertus; qui cum eodem potuit veraciter dicere, *Philip.* v. "Scio humiliari, ſcio et abundare, et penuriam "pati: ubique et in omnibus inſtitutus ſum, et ſatiari et eſurire; et "omnia poſſum in eo qui me confortat." Et quia ſcriptum eſt, *Labor improbus omnia vincit*; propterea poſtea in diebus ſuæ proſperitatis, familiaribus ſuis hujuſmodi dicere conſuevit:

Ni me Scotorum libertas priſca moveret,
Tot mala non paterer orbis ob imperium.

Cùm hæc adverſa fere per annum rex ſolus pateretur, tandem, Domino inſprante, per auxilium et potentiam Chriſtianæ de Inſulis, cujuſdam nobilis feminæ et ſibi benevolæ, adjutus, poſt multos et varios circuitus et infinitos labores, dolores et preſſuras, rediit ad comitatum de Carrik. Quò cùm pervenit, ſtatim unum de caſtris ſuis conquiſivit, habitatores interfecit, caſtrum deſtruxit, et arma ac alia ſpolia inter ſuos diviſit. Talibus ergo principiis ſolitis arridentioribus, poſt diuturna infortunia multùm exhilaratus, ſuos longè latéque diſperſos coädunavit; et cum congregatis montes pertranſiens, uſque Inverneſs pervenit: caſtrum ejuſdem manu forti cepit, et ipſum, occiſis cuſtodibus, ad terram proſtravit. Simili modo per omnia fecit de omnibus caſtris, ce-

* *Addunt MSS. Cupr. et Perth.* Ad iſtud facit quod dicit Chryſoſtomus; "Si venerint "mala, benedicite Deum, et diſſolventur. Si advenerint proſpera, benedicite Deum, et "perſeverabunt."

teriſque

teriſque fortaliciis in Aquilonalibus partibus conſtitutis, cum ſuis habitatoribus, donec uſque le Slenach cum ſuo exercitu perveniret. In his lector perpendere poteris dominum regem fuiſſe providum et prudentem, qui patienter exſpectabat tempus ſuæ viſitationis: nec potuit computari de illis duobus generibus hominum, qui impatientes prædicantur, videlicet impetuoſi et attædioſi. Capitoſos enim, præcipites et impetuoſos non præcedit ſapientia, ſed ſtultitia. Dicit enim SENECA, "quòd duo maximè conſilio contraria, feſtinatio ſcilicet et ira." Et ideo iracundi et impetuoſi nunquam dabunt conſilium ſapiens indigenti, quia ſapientia indiget deliberatione et quietè. Unde Seneca de quatuor virtutibus; "Prudentis proprium eſt examinare conſilia, et non citò "facili credulitate ad falſa prolabi." Unde tales non præcedit ſapientia, ſed aliquando ſubſequetur et ſerò. Secundo, attædioſos non præcedit ſapientia, quia negligentes ſunt in prævidendo et præordinando ante tempus: et ideo cùm tempus tranſierit, tunc erit nimis tardè; et ideo qui ſuprà; "Si prudens eſſe cupis, in futurum proſpectum in-"tende, et quæ poſſunt contingere animo tuo cuncta præpone. Nihil "tibi ſubitum ſit, ſed ſolum antè proſpicias: nam qui prudens eſt non "dicit, Non putavi hoc fieri; quia non dubitat, ſed exſpectat; non "ſuſpicatur, ſed cavet." Hæc mentaliter rex prævidit, et corporaliter obſervavit.

CAP. XIII.

De fuga apud Slenach, et morte Eadwardi tyranni.

"UT enim ait AUGUSTINUS, nemo frangitur adverſorum "moleſtiâ, qui proſperorum delectatione non capitur, ſive ca-"ptivatur." Nam nunquam patuit dicto regi Roberto, à tempore adoleſcentizantis ſuæ juventutis, proſperorum qualitatibus debriari, aut corporalis quietis titillationibus, vel luſorum levium ſimulacris indebitè occupari; quia aut fuit in continua fatigatione laboris cum patre et avo ſuo, in venando apud dictum regem Angliæ ob favorem ad regnum ſibi debitum obtinendum; aut certè, pro defenſione juſtitiæ partis ſuæ, quotidie omni niſu ad inſiſtendum. Quo fit ut animæquior redderetur ad certandum pro juſtitia uſque ad mortem. Unde accidit, ut Johannes Comyn comes de Buchan, anno Domini MCCCVII. cum multis nobilibus tam Anglicis quàm Scotis, audientes quòd rex Robertus cum ſuo exercitu eſſet apud le Slenach, proceſſerunt obviàm ei, parati ad prælium. Sed cùm viderent regem ex adverſo cum ſuis paratum ad pugnam, procedere deſtiterunt. Sicque die natalis Domini, pudore victi et confuſi redierunt: treugas poſtulabant, et eas rex clementer conceſſit. Et poſt treugas conceſſas ibidem diebus octo intrepidus permanſit: ubi magnam incurrebat infirmitatem, ita quòd in grabato vehebatur, quocunque eum contingeret removeri. De hac fuga dicitur:

M. ſemel et ter C. ſeptem tamen his ſuperadde,
Natalique die, pars Anglica victa pudore,
De Slenach rediit: treugas de rege petivit;
Quas rex conceſſit clementer, et inde receſſit.
Attamen intrepidus ibi perſtitit octo diebus.

Anno

Anno præcedente circa feſtum annunciationis noſtræ Dominæ, dom. Simon Fraſer, dominus Walterus Logan milites, et plures valentes armigeri, et mediocres vernaculi capti fuerunt per quoſdam perfidos Scotos tunc regi Angliæ adhærentes. Qui * Simon ductus eſt Londonias, et diverſis pœnis interemptus. Ceteri in Dunelmia, in præſentia Eadwardi de Carnarvan filii regis Angliæ, tunc principis Walliæ, ſuſpenduntur.

Parti regis Angliæ tunc præ ceteris et potentiores Scoti fuerunt dominus Johannes Comyn comes de Buchan,† Willelmus Comyn et Johannes de Moubray milites: qui, adjunctis ſibi Anglis, poſt hæc regem Robertum acriter invaſerunt, et in maximo periculo uſque ad obitum regis Angliæ conſtituerunt. Qui anno Dom. milleſimo trecenteſimo ſeptimo, in vigilia Sancti Johannis Baptiſtæ, de Lanercoſt, ubi tactus fuit infirmitate in expeditione ſua ad humiliandum regem noſtrum Robertum, et regnum Scotiæ finaliter, ut propoſuit, ſubjugandum, verſus Holmecultir tendens, pro aura puriora et ſanitate conſequenda, pridie ante feſtum tranſlationis S. Thomæ martyris, in vehiculo ſuo recumbens, apud Burgum Sabuli, ſine nota pœnitentiæ, miſerabiliter exſpiravit. In eadem itineratione infirmabatur ſecum quidam miles Anglicæ nationis, Willelmus Baniſter nomine, qui, eâdem nocte qua rex obiit, in exſtaſi raptus vidit dominum ſuum regem in ſpiritu, uncatum à magna multitudine dæmonum circumſeptum, eidem cum maximo cachinno inſultantium, et dicentium;

En rex Eadwardus, debacchans ut leopardus!
Olim dum vixit populum Domini maleſlixit.
Nobis viæ talis comes ibis, care ſodalis,
Quò condemneris, ut dæmonibus ſocieris.
Te ſequimur voto prorſus torpore remoto.

Cum hoc flagellis et ſcorpionibus cædentes eum abigebant. Cantemus aliquantulum, inquiunt, huic miſeræ animæ debitum mortis canticum; quia filia eſt mortis et cibus ignis inextinguibilis, amica tenebrarum et inimica lucis: dicentes, *En rex Eadwardus*, &c. ut ſuprà.

Ecce, miſera anima, populus quem elegiſti, cum quibus arſura es ſine fine, nutrix ſcandali, amatrix diſcordiæ, pacis æmula, caritatis inſcia. Quare nunc non ſuperbis? quare non lætaris? Ubi nunc eſt vanitas tua? ubi vana lætitia? Quid profuit tibi inanis gloria, brevis lætitia, mundi potentia, carnis voluptas, falſæ divitiæ, conqueſtus terræ, magna familia, militaris pompa, et mala concupiſcentia? Ubi jocus, ubi riſus, ubi jactantia, ubi arrogantia? De tanta lætitia, quanta triſtitia! poſt tantam voluptatem, tam gravis miſeria! poſt tantam exaltationem, tam magna ruina! poſt tantas victorias, tam immania tormenta! quàm cito ignominia fit ſuperbi gloria!

Cúmque hujuſmodi exprobrationibus et verberibus ſibi ſpiritus maligni inſultâſſent, aciem oculorum ſuorum ad me, inquit miles, trementem et exſanguem direxit, innuens, ut conjecturavi, me ſibi velle,

* Hic Simon nobilis, qui armiductor fuit in bello de Roſlyn ex parte Scotorum, ductus eſt, &c. *MSS. Cupr. et Perth.* † Qui et capitaneus fuit in dicto bello de Roſlyn, tunc unus cuſtodum regni ex parte Scotorum, *iidem.*

ſicut

ſicut ſolito, in bellis opem ferre. Sed, quia mecum neque vox neque ſenſus remanſit, terribilibus oculis intuitus eſt me; ita ut, dum vixero et illius recordavero, nunquam lætari potero. Cum hoc abſorptus eſt in momento in infernali puteo, voce lugubri ejulans et exclamans:

Heu! cur peccavi? fallor, quia non bene cavi.
Heu! cur peccavi? perit, et nihil eſt quod amavi.
Heu! cur peccavi? video, quia littus aravi,
Cum ſudore gravi, mihimet tormenta paravi.

Ad ſe igitur miles de exſtaſi reverſus, miſit pro regis cubiculario, ſuo caro cognato, petens ab eo, quomodo ſe habuit rex. Bene, ait juvenis, incipit convaleſcere: hæc ſibi propterea inſinuans, ne ſi ſibi infirmanti veritatem annunciaret, nimiam triſtitiam avunculo ſuo inferret. Non ſic, inquit miles, non ſic; quia mortuus eſt, duplici heu morte præventus! et non eſt qui ei opem ferat ex omnibus caris ſuis.

CAP. XIV.

Qualiter Willelmus Baniſter, territus viſione regis, deſpexit mundum.

MIſſum eſt interim pro regis filio Eadwardo, principe tunc Walliæ. Quo protinus veniente, exſequiiſque patriis ſepulturæ diſpoſitis, Londonias corpus perducitur, ubi nunc humatum requieſcit; extales tamen et inteſtina ſua in Holmo ſubterrantur. Hic in principio militiæ ſuæ bella movens, Anglicos diris flagellis verberavit, et ſuis nequitiis totum orbem perturbavit, et crudelitate commovit. Paſſagium Terræ Sanctæ ſuo dolo impedivit; Scotiam invaſit, et Scotos cum regno fraudulenter ſubegit; Walliam profligavit; Johannem de Balliolo regem, cum filio, carceri mancipavit; eccleſias ſtravit, prælatos vinculavit, et carcerali ſqualore quoſdam extinxit: populum occidit, et alia infinita mala perpetravit. Huic ſucceſſit filius ſuus de Carnarvan Eadwardus, ſecundus poſt conqueſtionem, aliàs quintus.

VERSUS DE MORTE PATRIS.

M. ſemel et ter C. ſeptem numerabis in orbe,
Martyre tranſlato Thomâ, ſine fine beato,
In Burgo Sabuli, quo finit marchia regni,
Eadwardus cecidit, qui Scotos malè cecîdit.
Viſcera cum cerebro cujus tumulantur in Holmo.
Iſte, movens bella, dedit Anglis dira flagella:
Colla ſuperborum pede conculcavit eorum.
Orbem corrupit, Terram Sanctamque fefellit:
Scotos invaſit, regnum cum fraude ſubegit.
Eccleſias ſtravit; prælatos carcere clauſit:
Occidit populum Chriſti, decimæ tulit aurum.
Cujus peccata, toto ſunt orbe notata,
Anglia deflebit, quando vaſtata jacebit.
Scotia plaude manu, pro funere regis avari;
Grates redde Deo, Roberto rege creato,

Quem vi virtutis caſtigat virga ſalutis:
Suis in orbe ſtatum faciet Deus eſſe beatum.

Hoc in anno, ſciz. MCCCVII. Anglici combuſſerunt monaſterium de Paſleto.

Dictus dominus Willelmus Baniſter de infirmitate convaleſcens, quanto priùs ferventiùs circa actus militares æſtuabat, tanto in virum alterum mutatus, vehementiùs animum ejus deſiderio militiæ ſpiritualis Chriſtus accendebat. Territus enim in tantum fuit horrificâ viſione dæmonum, calamitoſis exacerbationibus et flagellationibus in dominum ſuum regem frementium, quòd ruinoſum mundum, cum flore ejus, omnino deſpexit, et ad emendatioris converſationis ſolitariam vitam ſe contulit: qui, ut dicitur, poſtea tanquam propheta ventura prædixit, et præſentibus abſentia annunciare promeruit.

Hic rex Eadwardus dicitur decimus tertius ab illo Galfrido comite Andegaviæ, qui deſponſavit ſibi diabolam humanâ carne velatam. De quo ſuprà lib. IX. cap. V. Quaſi tergiflagellum dicitur, et cauda totius fæcis ſui dæmoniaci generis; ſicut à quodam fuit præſagiatum, quòd illud genus diabolicum uſque ad decimam-tertiam generationem nequaquam expiaretur. Simile legimus in Legenda Sancti Goderici heremitæ, qui, quendam juvenem laboribus aptum et ſibi aſtantem conſpiciens, ſibi tradidit foſſorium ad fodiendum hortum; qui, in brevi horula, unius ſeptimanæ laborem expleverat: et quia in eo nulla ſigna ſudoris perceperat, ſuſpicatus eſt dæmonium quod conduxit, et, virtute crucis dæmone effugato, terram illam per ſeptem annos incultam ſtatuens, quaſi ad purgationem dæmoniaci operis; et, completo ſeptennio, terram denuo excolere cœpit. Diabolus igitur hunc regem, dum allevaretur, dejecit; quem, tanquam ſummè potentem, depoſuit Dominus de ſede. Nam ſedens ſuper equum, qui libenter deſpitat et proſternit equitem, exponit ſe periculo, ſi non ſtatim deſcendat, quantumcumque equus videatur aliquando ſuaviter ambulare, et ſeſſorem ſuaviùs portare.

CAP. XV.

De deceptivo mundano aſſimilato equo.

HIC rex Eadwardus, cùm in honore eſſet, non intellexit; quia ſublimitas honoris ipſum excæcavit, et manu duxit quouſque in foveam ſe proſtravit. Nam honor mundi eſt quaſi equus elevans hominem à terra, et portans eum ſuaviter. Quia delectabile eſt homini per miniſteria hominum honorari, per adulationes, inclinationes, genuflectiones, et proſtrationes, et vocari Rabbi, magiſter et domine. Sed caveant ſibi honorati ſic quicunque, quia iſte equus ſuus valde eſt doloſus. Narratur de quodam hiſtrione, qui habuit quendam parvum equum, ſuper quem equitabat, et cum quo coram hominibus in aula ludebat. Et inter alios ludos quos equum ſuum docuerat, inſtruxit eum, quòd quandocunque ſibi diceret, *Flectamus genua*, ſibi equus obediret, et genua flecteret; quando autem diceret, *Levate*, ſurgeret. Contigit quòd miniſtrallus iſte accedens ad quoddam feſtum cujuſdam domini, equum ſuum cum equis aliorum hoſpitum collocavit in ſtabulo.

bulo. Cùm autem homines convivâſſent, hiſtrio in aula occupabatur circa ludicrum ſuum. Interim acceſſit quidam armiger ad ſtabulum, et videns equum mimi pinguem et rotundum, reliquit ibi jumentum ſuum macilentum, et aſcendit equum miniſtralli et receſſit. Cito poſt innotuit negotium hiſtrioni: qui, relictis omnibus, cucurrit et inſecutus eſt armigerum; qui percipiens quòd fere eum attigerat, temptavit quandam aquam pertranſire, quam pedeſter non potuit tranſvadare. Videns ergo mimus quòd erat in periculo amittendi equum, pro ipſo exiſtente in medio fluminis exclamavit fortiter, dicens, *Flectamus genua:* ſtatimque equus, auditâ voce domini ſui, flexit genua, armigerum ſubmerſit in aqua; et equus excuſſit ſe, et rediit ad dominum.

Moraliter miniſtrallus iſte, qui illudit ac decipit homines, eſt mundus; equus, cum quo maximè ludit, eſt homo temporalis: unde ponitur fallax equus ad ſalutem. Armiger qui eum furabatur eſt quilibet ambitioſus ad honores; qualis fuit iſte Eadwardus rex, qui non potuit contentari de Anglia, Wallia et Hibernia, quinetiam honorem aucuparetur ab Scotia. Caveat ergo ſibi talis, quia quandocunque placet mundo, jubente Domino, quando putat ſe in alto reſidere et ſuaviter equitare, et in maxima ſecuritate, dicit ſibi, Flectamus genua, et ſtatim privabit eum honore obtento. Unde Boetius loquens, in perſona Fortunæ, hominibus qui impatienter ſuſtinent, quando honoribus et dignitatibus privantur, ſecundo de Conſolatione, proſâ III. dicit ſic: " Hæc noſtra vis eſt, hoc ludo ludimus, rotam volubili orbe verſamus; " infima ſummis, ſumma infimis mutare gaudemus. Aſcende ſi placet, ſed eâ lege ne uti, cùm ludicri mei ratio poſcet, deſcendere, injuriam putes." Hæc ille. Scriptum eſt enim; Sedes ducum ſuperborum deſtruet Dominus. Hic etenim rex, ut præmiſimus, expugnavit Wallenſes, et fere totam dolo ſubegit per ſucciſionem cujuſdam nemoris, ex conſilio cujuſdam magnatis Walliæ Penbin nomine, ubi infra breve cepit, refecit ac conſtruxit triginta ſeptem caſtra munitiſſima. Multa etiam inibi alia proſtravit, ſed nunquam in pace gubernavit. Cujus in tempore commiſſa ſunt dira bella, videlicet de Spot ſive Dumbar contra Scotos, et pontis de Strivelyn contra Anglos, Variæ-capellæ contra Scotos, et Roſlyn contra Anglos.

CAP. XVI.

Mortuo tyranno, et filio ejus coronato, reviviſcere cæpit et proficere rex Robertus.

Sepulturæ, ut præmittitur, apud Weſtmonaſterium tradito corpore dicti Eadwardi de Langſchankis, aliàs tyranni nuncupati, filioque ſuo et herede Eadwardo de Carnarvan continuante patris errorem, ad Scotiam greſſus acceleravit; ubi citavit tam populares, quàm magnates et clerum Scotiæ apud Dumfres, ad fidelitatem et homagium ſibi exhibendum. Quorum quidam hoc fecerunt, quidam ſe retraxerunt. Interim mittuntur à novo rege Anglorum nuncii ad regem Francorum pro matrimonio cum filia ſua contrahendo, et ſpecialiter pro reditu Petri de Gaverſton. Qui rex Eadwardus, in regno Scotiæ adhuc exiſtens, nondum in regem coronatus, relictis certis ſuis officiariis, et qui

invaderent

invaderent regem Robertum, per Angliam feſtinavit Boloniam; cui in urbe Legionum, ſciz. Karleon, occurrit dictus Petrus de Gaverſton; quo ſecum aſſumpto, deſponſavit ſibi, apud Boloniam ſuper mare, Iſabellam, ſive Elizabeth, filiam regis Franciæ. Deinde reverteris ad Angliam, eodem anno coronati ſunt Londoniis ab epiſcopo Wintoniæ, duodecimo Kal. Martii. Et abhinc in tantum ſe dedit rex conſilio et voluntati prædicti Petri de Gaverſton, quòd quaſi major pars totius regni ſui in eum conſurgeret. Quod pro felici omine evenit regi Roberto; quia illa oriens inter Anglos diſſenſio fuit regis Roberti vera aſcenſio. Quique eo tempore latens, præ timore Anglorum, inter frutecta et dumeta, cùm ſibi à quoque diceretur primò quòd verè mortuus fuerat Eadwardus tyrannus, in altum reſolutus eſt riſum. Quod videntes pauci qui ſibi circumſteterant mirabantur, eo quòd non perceperunt eum ridere toto anno præterito. "Lætamini, inquit ſuis, et conridete "mecum. Dominus mihi adjutor eſt, et ampliùs non timebo quid "faciat mihi homo. Dominus mihi adjutor, et ego deſpiciam inimi- "cos meos. Bonum eſt confidere in Deo, &c. Omnes gentes cir- "cumdederunt me, et in nomine Domini, quia ultus ſum in eos. Cir- "cumdederunt me ſicut apes, et extinxerunt me ſicut ignis in ſpinis, "&c. Ut autem, inquit, commilitones mei, ſciatis quòd non rideo "de morte inimici, ſed de liberatione gentis et patriæ noſtræ. Scio "ſcriptum eſſe; Noli de mortuo inimico tuo gaudere, ſciens quoniam "omnes morimur, et in gaudium volumus venire." ECCLESIASTICI VIII.* Abhinc quanquam tunc rex fame, frigore et infirmitate depreſſus, convaleſcere tamen incepit de die in diem; et ſeipſo fortior effectus, in Dei adjutorio confiſus, rebelles domuit, inimicos Anglos de regno pepulit, obſiſtentes interfecit, fortalicia diruit, caſtraque ac turres infra ſex annos, ad numerum centenum et trigeſimum ſeptenum, propriis nominibus computata, proſtravit, et quaſi ſolo coæquavit.†

CAP. XVII.

De fuga apud Inverury, et aliis.

NOVO rege Angliæ creato, tirones et novi milites de ſubjectione regis Roberti nova vota emittunt pavoni. Congregatoque grandi exercitu, cui campiductores fuerunt Johannes Comyn comes de Bu-

**Addit MS. Cuprenſ.* Audivi enim naturales affirmantes quod naſcentium vox prima vagitus et fletus eſt: unde quilibet infans natus de muliere differt riſum et ſigna lætitiæ uſque quadrageſimum diem à nativitate. Solus autem Zoroaſtres eadem hora qua natus eſt in altum riſum reſolutus eſt. Quod quidem factum enumerat Solinus de mirabilibus mundi. Nec utique hoc natura bonum portendebat futurum; quia is Zoroaſtres primus fuit inventor artium magicarum. Sed quia ego homo cum riſibilis ſum, audiens quod ſemel in anno ridet Apollo, non miremini quia rideo, immo mirari debetis ſi non riſero, propter hoc quod ſcriptum eſt; Et tyranni ridiculum ejus erunt. †*Sequitur ibid.* Quia, ſicut communiter adhuc dicitur, niſi caſtra et turres exterminaſſet, regnum nequaquam in libertate gubernaſſet. Similiter et nunc turres et municipia multiplicantur ſuper numerum. Unde quanta mala exinde proveniunt, deflent coloni, ſamentantur religioſi, quia caſtra deſtruunt clauſtra, municipia, monaſteria, turres, urbes: caſtellani, oppidanos, fortalicia, burgos, caſtrenſes, burgenſes: quia, ut ſcribit Lucanus,

"Nulla fides pietaſque viris qui caſtra ſequuntur,
"Venaleſque manus, ibi fas ubi maxima merces."

chania,

chania, et Johannes de Moubray, cum Anglicis et ſuis Scotis Anglicatis quampluribus, inſecuti ſunt regem Robertum uſque Inverury in Marria, A. D. MCCCVIII. Quod ut rex audivit, et paucis, reſpectu partis adverſæ, ſibi coadunatis, gravi adhuc infirmitate detentus, de grabato quo feretraliter portabatur, quanquam non ſine diſcrimine corporali, aſſurrexit, et ſuos ut ſe armarent, ac equo ut eum imponerent, imperavit. Quod cùm factum eſſet, et ipſe cum ſua phalange, licet præ infirmitatis magnitudine, niſi duorum fultus auxilio, equo erectus non poterat inſedere, adverſus tamen inimicos alacri vultu ad locum uſque certaminis properavit. Cúmque pars adverſa vidiſſet eum cum ſuis paratum ad prœlium, ex ſola viſione perterriti, omnes in fugam converſi ſunt, et uſque Fivy per XII. leucas fugati. Finitâ autem fugâ, et hoſtibus proſtratis et diſperſis, comitatum de Buchan igne conſumpſit. De inimicis, quos voluit occidit, et quos vivere voluit Scotos, præcipuè ad ſe converſos, reſervavit, et eiſdem vitam et pacem gratioſè conceſſit.

Cepit inde tanta lætitia regem, ita ut cùm priùs, ſine juvamine alterius, ſe vix erigere quieverat, animi tunc jocunditate exhilaratus, per ſe equitare potuit, ac ſi ſubitam ſanitatem recepiſſet. Ad modum igitur Utherpendracon patris Arthuri regis Britonum, cùm Saxones deviciſſet, Octamque et Eoſam interfeciſſet, et reliquos effugâſſet, ſolutus eſt in riſum, ac hilari voce in hujuſmodi prorupit ſermonem: " Vocant me Ambrones regem ſemimortuum, quia infirmitate grava- " tus in feretro jacebam. ſic equidem eram. Malo tamen ſemimortuus " ipſos ſuperare, quàm ſanus et incolumis ſuperari ſequenti vitâ per- " functurus. Præſtantius eſt enim mori cum honore, quàm cum pu- " dore vivere." Et eſt notandum, quòd ſicut à principio ſuæ guerræ uſque ad diem præſentis conflictûs, in omni eventu belli infeliciſſimus fuit; ſic poſtea in omnibus ſuis præliis nullus fortunatior potuit inveniri. A die autem illo factus eſt rex proficiens et ſemper ſeipſo robuſtior, pars autem adverſa quotidie decreſcebat. De hac fuga habentur hujuſmodi metra:

Anno milleno trecenteno dabis octo,
In feſto Domini, quo ſcandit ſidera cæli,
Anglica pars viſo fugit pro rege Roberto.
Sed regis pedites currendo feruntur in hoſtes,
Buchaniæ comitem, Moubreque fugando Johannem,
Ex Inverury fuga, durat per loca Duri
Uſque Fyven, leucas fere continuò duodenas:
Quo rex cum populo fixit tentoria boſco.
Progrediens inde, Buchan conſumpſit in igne.
De populo ſtravit, quoſdam ſibi pacificavit.
Hoſtes diſperſit, ſic victor abinde receſſit.

Eodem anno, in feſto Sanctorum Petri et Pauli, Dovenaldus de Ilis, congregatâ pompoſâ multitudine peditum, tam Anglorum quàm Scotorum, uſque flumen de Dee acceſſit. Cui occurrens dom. Eadwardus de Bruce, frater regis, cum admodum paucis, prope flumen de Dee ipſum Dovenaldum, et omnes Galwidienſes ac ſuos, ibi devicit; et in

conflictu quendam militem, nomine Rotholandum, cum multis nobilibus Galwidiæ interfecit; ac dictum Dovenaldum, ducem eorum, fugientem comprehendit, et poſt hæc patriam * combuſſit. Unde verſus:

M. ſemel et C. ter, ſi junxeris V. ſemel I. ter,
In feſto Petri ſancti Paulique beati,
Eadwardus de Brois, et ab Yl veniens Dovenaldus,
Pompoſam gentem vicerunt Galwidienſem.
Nam prope Dé flumen Anglorum congregat agmen:
Committunt acies, vis lancea ſtravit equeſtres.
Turba ruit peditum, fugit quoque ductor eorum.
Turpiter magnanimus miles cadit enſe Rolandus,
Et plures alii, qui ſunt per nomina noti.
Tempore poſt pauco, Domino comitante ſuperno,
Inſula combuſta, ſemper Scotis inimica,
Redditur Eadwardo; capto Cano Dovenaldo.
Talis progreſſûs auctor ſit Trinus et unus.

Hoc anno capti ſunt Templarii et de hæreſi diffamati, ac carceribus ubique deputati, uſque ad concilium Viennenſe; et à tunc ſubito damnati et extincti.

CAP. XVIII.

De conflictu regis contra Ergadienſes.

EOdem anno, infra octavas aſſumptionis beatæ Mariæ virginis, rex Robertus Ergadienſes † devicit in medio Ergadiæ, et totam terram ſibi ſubegit. Ducem eorum, nomine Alexandrum de Ergadia, fugientem ad caſtrum de Dunſtafinch ‡, per aliquod tempus inibi obſedit: qui eidem regi caſtrum reddidit, ſed ſibi homagium facere recuſans, dato ſalvo conductu ſibi et omnibus ſecum recedere volentibus, in Angliam fugit, et ibidem debitum naturæ perſolvit. Unde verſus:

M. ſemel et C. ter, ſemel V. ſi junxeris I. ter,
Hebdomadâ ſumptæ quâ ſiunt feſta Mariæ,
Robertus gentem rex vicerat Ergadienſem.
Hæc gens in verbis, et in actibus alta ſuperbis,
Quæ nolit aut velit mandatis regis obedit.

Anno Domini MCCCIX. decimo ſeptimo Kalendas Auguſti, obiit dominus Jacobus ſeneſcallus Scotiæ, pater inclitiſſimi Walteri, generi regis Roberti Bruce.

An. Dom. MCCCX. præparavit ſe rex Angliæ Eadwardus, cum ſuo exercitu, ad debellandum regnum Scotiæ, et regem ejus ad exinaniendum. Cui proceres regni ſui lentè proſequentes in modico, contemplatione dicti Petri de Gaverſton, eidem conſilium vel auxilium præſtantes, uſque ad Renfrew pervenit; et modicum ibi proficiens, infecto negotio Angliam reverſus eſt. Quo anno, propter guerrarum diſcrimina, tanta erat panis inopia et victualium cariſtia in Scotia, quòd in

* *Inſulam* pro *patriam*, ed. H. † Al. *Argadienſes* et *Argadia*. ‡ Al. *Duſſeſthafinche*.

pleriſque

pleriſque locis, compellente famis neceſſitate, multi carnibus equorum et aliorum pecorum immundorum veſcebantur. An. Dom. MCCCXI. rex Robertus, hoſtibus omni loco quo venerat in fugam converſis, atque captis munitionibus et ad terram proſtratis, bis Angliam intravit, ipſam devaſtando, prædas innumeras abducendo, et ingentem ſtragem igne et ferro inferendo. Sicque, Dei virtute, gens Anglorum perfida, quæ multos injuſtè * cruciaverat, jam juſto Dei judicio diris ſubjicitur flagellis. Et, quæ non vix, ſed ſemper quaſi victrix exſtiterat, jam victa gemens ſuccumbit. Eodem anno concilium Viennenſe, ſub Clemente Papa, celebratur †. Anno ſequenti, viz. An. Dom. MCCCXII. octavo

* Spoliaverat atque cruciaverat, *MSS. Cupr. et Perth.* † *In MSS. iiſdem habentur capita ſequentia, quæ in reliquis MSS. noſtris præter Dumblanenſem deſiderantur.*

CAP. XVI. *De proditione Johannis de Menteth.*

CIRCA idem tempus rex noſter Robertus, multum corde fluctuans circa recuperationem caſtri ſui de Dunbretan, quod in cuſtodia habebat dominus Johannes de Menteth, qui tradidit nobilem Willelmum Wallace, ut præmittitur: qui illud nullo alio pacto potuit obtinere, niſi datâ ſibi remiſſione, una cum comitatu de Levenax ſibi et heredibus ſuis perpetuo poſſidendo. Quod cum quodam die rex comiti ejuſdem, ſuo fidentiſſimo amico et in omni ſua tribulatione participe individuo, expoſuiſſet, libenter annuit comes, ſuggerens regi quod nullo modo differret propoſitum, ſed reciperet caſtrum, et ſibi daret comitatum. Literis propterea et indenturis fulcitis juramento hinc inde confectis, Menteth in comitem accingitur; dies quo rex foret caſtrum recepturus aſſignatur. Et ecce ſibi per nemus de Culquhon equitanti, et ad Dunbretan tendenti, accurrit quidam carpentarius, Rolandus nomine, de propoſito Menteth conſcius, petens à rege, ipſius ſecretâ allocutione potiri. Quâ admiſſâ præmonuit regem qualiter ſe haberet in receptione caſtri; dicens, Johannem de Menteth ſibi velle caſtrum deliberare, ſed et inſidias ſibi paraviſſe per armatam manum Anglicorum, in penu, quod vulgariter dicitur *le Holl-cellar*, locatam et incluſam: et ideo conſuluit regi, ut, receptis ſingillatim cunctis domorum et officinarum caſtri clavibus, non prætermitteret petere clavem cellarii. Cujus quidem verbis conſularibus rex contentatus, et ad plenum inſtructus, inceptum iter proficiens ad caſtrum venit, et blandifice ac curialiter à Menteth rex claves recepit, et menſis aulicis regaliter coopertis, ſtatim ad prandium invitatur. Sed rex prudenter prandium diſtulit, donec ſibi redderetur clavis prædicti cellarii: quod audiens Menteth, mente conſternatus, dixit regi, non multum curare debere de ipſa clavi, quia carpentarius illam, ut ait, habebat ad ſilvam, confeſtim poſt prandium reverſurus. Perpendens propterea rex carpentarium vera prædixiſſe, adiit cellarium, et facto oſtio Anglicos armatos eduxit, et ipſos per ſe, ac ſeorſum Menteth, incarceravit. Et tandem ſeriem rei geſtæ per ordinem requirens, reperit dictum Menteth regi Anglorum promiſiſſe de ipſo rege noſtro voluiſſe cum ipſis Anglicis oblationem facere: quia ad hoc perficiendum notabilis bargia in amne de Dunbretan expectabat. Remunerato propterea carpentario de certis terris hereditarie poſſidendis, videlicet de villa et territorio de Edelwood cum pertinentiis, et reſtituto comitatu de Levenax fideli ſuo amico comiti ejuſdem, ſqualorem diri carceris dictus Menteth, uſque bellum de Bannokburn, non evaſit.

CAP. XVII. *De practica Johannis de Menteth.*

HIC etenim præfatus Johannes de Menteth multas habebat filias, ſpecioſas valde et mirabiliter formoſas, quæ propterea matrimonialiter conjunctæ erant primoribus et proceribus regni, quibus ante congreſſum belli de Bannok ſcripſit ſecreto ſerioſius ut pro ejuſdem deliberatione penes regem laborarent, informans eos de modo practicabili, videlicet, quod concorditer ſuas potentias congregarent virorum armorum, et multitudine ipſorum conſtipati adirent dominum regem, petentes eorum ſocerum vinculis abſolvi; alioquin prætendebant ſe velle ad regem Angliæ perverſuros: quamvis aliud, ut dicitur, corde retinebant. Propter quod rex, inſtante ſua expeditione ad bellum, male libenter ducebat tantis bellatoribus eo tunc fruſtrari, ſuorum conſultatione annuit ipſorum petitioni; conditionaliter tamen, et taliter, ut ipſe Menteth captivus libertati propterea donatus, in præcinctu aciei contra Anglos in vangardia procederet: ita ut ſi quoquam aliunde diverteret, generi ſui fidejuſſores devenerunt, ipſum à promiſſo reſilientem, tanquam inimicum et traditorem, uſque

ad

die menſis Januarii, capta eſt villa de Perth per eundem regem Robertum in manu forti; et perfida gens, tam Scotiæ quàm Angliæ, capitur, trahitur, ſuſpenditur, aut gladio necatur. Et ſic,

Perdita potavit de felle quod ante paravit.

Regis tamen clementia plebi pepercit, et veniam petenti conceſſit, muros cum foſſis deſtruxit, et cetera igne combuſſit. De cujus captione habentur hæc metra:

* *Villa Johannis pluribus annis Berta dabatur:*
Perth, quia perditur, et quia vincitur, illa vocatur.
Quam cavitas tenet humiditaſque trium fovearum,
Undique poſtes munit, et hoſtes ſternit earum;
Obice quarum, vique phalarum, dum potuerunt,
Urbis acerbi, valde ſuperbi, tunc renuerunt
Munera regis, quæ ſine legis jure petivit.
Hinc facilis, nunquam ſtabilis, ſors gratis abivit.
Atque Roberto favit aperto ſimplicitate,
Hæc humili ſummo regi ſimili pietate.
Ligna dolare, dolata parare, parata rogavit
Ferre clientes, atque ferentes rex animavit.
Nunc tenebrarum, nec latebrarum tempora, villæ
Caſtra petamus, nunc adeamus, dixerat ille.
Principe certo rege Roberto præcipiente,
Gens ſua ſcalas cepit et alas. Ecce repente
Villæ profundas tranſiit undas, antra lutoſa;
Rexque clientes ligna ferentes mox oneroſa
Ligna levabant, atque meabant, vincere cives;
Scalaque diruit, unde cohors ruit omine dives.
Rex iterato robore rato, dummodo ſcalas
Ferre ſubivit; gens repetivit clauſtra per alas.
Poſtea clatros fregerat atros ille Robertus,
Fitque cohorti principe forti limes apertus.
Per quoque pontes agmina fontes præterierunt;
Intromeantia ſigna levantia tunc tonuerunt.
Clauſtra tenentes atque tuentes et tenuerunt.
Sic ſuperati, ſic populati, tunc perierunt.
Qui ſuperabant et ſpoliabant permalè villam;
Jam ſuperati, jam ſpoliati ſuntque per illam.
Qui renuerunt, dum potuerunt, conditiones,
Hinc meruerunt, et habuerunt perditiones.

ad mortem proſequi et punire. Audiens igitur rex Angliæ ipſum Johannem de Menteth carceres evaſiſſe, et ipſum in campo contra eum arma ſumpſiſſe, attento quod ſibi prius homagium feciſſet, ad concurſum primi conflictus, ut præconceptum erat, erexit ipſius Johannis vexillum diſplicatum ex parte Anglorum; volens ex hoc ipſum allicere Scotos in campo deſerere, et cum ſuis omnibus ſibi tandem adhærere. Sed fruſtra; nam idem Johannes viriliter cum acie ſua Anglicis reſtitit, et ſibi exinde famam non modicam conquiſivit. Propter quod rex noſter multum mitigatus, favore ampliore ſe ſibi fecerat dignum.

* Verſus hi plerumque ſunt Adonici, et ea forma forſan eos impreſſos opportuit: at cum quidam eorum ſint plane heroici, cumque tres Adonici heroicum conſtituant, hoc monuiſſe forte ſufficiet.

Rex

Rex petit æs, villa renuit: favet hic, tumet illa.
Hic lucrando tacet, hæc nihilatà jacet.
Poſt galli cantus Willelmus ſic Elephantus
Perdidit indoctè decus, urbem, prædia, noctè,
Octavo Jani cives tumidique profani,
Anni milleni trecenteni duodeni,
Ingrati gratum perdiderantque ſtatum.

CAP. XIX.

De captione caſtrorum de Botha, Roxburgh et Edinburgh.

EOdem * anno caſtra de Buthe, de Dumfres et Dalſwynton, cum multis aliis fortaliciis manu forti regis capiuntur et ad ſolum proſternuntur: villa Dunelmenſis per Scotos pro magna parte comburitur. Eadwardus primogenitus regis Angliæ apud Windeſour naſcitur. Petrus de Gaverſton à comite Lancaſtriæ occiditur; et ſic proceres Angliæ duplici gaudio lætificantur, ſuo regi firmiùs ſolito adhærentes.

Anno Domini milleſimo trecenteſimo decimo tertio, nocte carnisprivii caſtrum de Roxburgh† per dominum de Douglas capitur: unde verſus; *M. ſemel et C. ter, ſi jungas X. ſimul I. ter,*
Martis et in nocte quæ carnes claudit ab ore,
In Roxeburgo caſtrum cepiſſe memento
De Douglas Jacobum, populum caſtrique ſubactum.

Eodem anno, xiiij. die Martii, caſtrum de Edinburgh per dominum Thomam Ranulphi comitem Moraviæ, ſubactis hoſtibus, feliciter capitur: unde verſus;

Martius hic menſis recolit quòd Moravienſis
Ecce comes Thomas, regiſque nepos, cito ſcalas
Præparat; et nocte cepit, Chriſto comitante,
Caſtrum Puellarum: licet Anglis hoc ſit amarum.
Hæc quartadecimâ menſis ſunt luce peracta
Per Scotos. Ergo reddatur gloria Chriſto.

Eſt notandum quòd rex omnia caſtra, ut conquiſivit, ad terram proſtravit. Similiter caſtra de Edinburgh et Roxburgh, præter Berwicum: et multa mala exinde provenerunt, utpote bellum de Halidona, cum aliis. Eodem anno rex inſulam Manniæ intravit, et ejus caſtra cepit, terram cum inſulanis ejus ſuæ ditioni victorioſè ſubjiciens ‡. At Ead-

* *In MSS. Cupr. et Perth. incipit caput hoc aliter, his verbis:* Hujus oppidi captio non tantum vi armata, ſed ſagacitati et peritiæ ſolius regis aſcripta fuit; qui abhinc ſuos belligeros, præcipuè probatos capitaneos, indies ad partes inſtruxit, de aſſiliationum impendiis et cautelis utilibus contra dolos et ſubtilitates Anglicorum, quorum verſutias experimentaliter intellexit et novit. Cujus inſtructione et viribus eodem anno, &c. † Marchimond *pro* Roxburgh, *MSS. Cupr. et Perth.* ‡ Et quia tunc temporè non ſolebant exercitus communiter pugnare niſi in equis, ad exercitandum ſuos navium vehiculo inſtruxit ad invadendum inſulas, ubi oportuit eos pedeſtres debellare. Unde et uſus hujuſmodi pugnandi multùm profuit noſtris ad victoriam in bello de Bannok, ut infra dicetur. Ad iſtud ſorte exemplum ſumpſit rex de Julio Cæſare, de quo ſcribit Frontinus, quòd Julius cum audiret milites ſuos equos paratos non habere, ipſe equum dimiſit, et pedes ad inimicorum aciem ivit, quem ſui ſecuti ſunt pedeſtres, et equeſtres faciliter devicit. Hæc ipſe. *Idem.*

wardus novus rex acriori irâ accenſus, audiens illuſtres actus regis Roberti, perpendenſque innumera mala et infinita damna ſibi et ſuis per eundem regem illata, in vindictam præmiſſorum nova bella parabat; exercitumque copioſum, tam armatorum quàm peditum, baliſtariorum quàm ſagittariorum, in arte pugnandi ſatis peritorum, ex omni parte regnorum Scotiæ, Angliæ, Franciæ et Allemanniæ, Walliæ et Hiberniæ, Flandriæ et Gaſconiæ, Boloniæ et Cornubiæ, Geldriæ et Bohemiæ, Hollandiæ, Zelandiæ et Brabantiæ, et de omni circùm regione et ſtipendiorum genere, ad numerum trecentûm millium pugnantium armatorum equitum, exceptis pedeſtribus, ſervientibus, et vulgo utriuſque ſexûs quaſi innumerabilibus, congregabat, ad vindicandum ſe de * inimicis Scotis, qui, tanquam ſecurus de ipſis et eorum regno triumphaturus, plebeios ſuos Angliæ in bigis, et curribus et quadrigis, cum porcis et altilibus, ac animalium armentis, inſtrumentis mechanicis, utenſilibus et ſuppellectilibus, tanquam nunquam Angliam reverſuros, exercitum ſuum à longè ſubſequi coëgit. Sic confiſus eſt rex Angliæ in potentia ſua militari; confiſus eſt rex Robertus ſolùm in adjutorio Dei ſingulari. Primus nimiæ præſumptioni inſtetit, alter ſufficienti timori ſubſtetit. Ad iſtud facit illud poëticum;

Speret qui metuit, morituros vivere vidi.

Scriptum eſt enim; " Confidentes in quadrigis, et in equitatu ſuo, et " in multitudine bellatorum aſpexiſti, et tenebræ fatigaverunt eos. Sic " fiant et iſti, Domine, qui confidunt in multitudine ſua, et in cur- " ribus ſuis, et in contis, et in ſagittis ſuis et lanceis gloriantur." JUDITH IX. Quia non in fortitudine equi voluntatem habebit, nec in tibiis viri beneplacitum erit ei: beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum. Speravit autem rex Robertus in Deo, et non eſt fraudatus à deſiderio ſuo. Speravit et Eadwardus in tumultuoſo exercitu ſuo; cujus catervâ circumvallatus, et in gloriâ humanæ potentiæ confiſus, Scotiam hoſtiliter intravit, et ipſam circumquaque devaſtans, uſque Bannokburn pervenit.

CAP. XX.

De victorioſiſſimo bello de Bannokburn, ubi Angli ſunt devicti.

REGI etenim Angliæ rex Scotiæ cum paucis intrepidè occurrens, non in multitudine populi, ſed in Domino Deo, ut præmiſimus, ſpem ponens, cum antedicto rege Angliæ duplici bello, tam in vigilia quàm feſto nativitatis Sancti Johannis Baptiſtæ, anno Dom. MCCCXIV. viriliter conflixit; et ipſum cum ſuis, auxiliante ipſo cujus eſt victoriam dare, in fugam convertit. Ubi comes Gloverniæ ſive Glouceſtriæ, et alii nobiles quamplures diverſi ſtatûs ſunt interfecti, quamplures aquis demerſi et foveis ſuffocati, quamplures etiam ſub diverſo mortis genere extincti: multi etiam et quamplures nobiles capti, quorum redempti-

* De rege Roberto et ſuis Scotis in bello de Strivelyn, per fratrem ſuum uterinum nobilem Eadwardum de Bruce, ſibi ad annum et capitaneum de Strivelyn aſſignato. De quibus et regno tanquam Scotiæ ſine metu triumphaturus, plebeios ſuos, Angligenas utriuſque ſexus, in bigis, carris, trahis, et curribus et quadrigis, cum porcis, &c. *MSS. Cupr. et Perth.*

one

one non ſolùm regina et alii captivi de Scotia ſunt liberati à carceribus Angliæ, verùm etiam ipſi Scoti à minimo uſque ad maximum, non tam ſpoliis, quàm redemptione captivorum, vehementer ſunt ditati. Inter quos etiam captus fuit ille gazealiticus Johannes de Britannia, qui tandem pro ſua liberatione obtulit libras non modicas et ingentes opes. Pro quo facta eſt hujuſmodi commutatio, viz. pro eo liberè reddita eſt regina, cum venerando ſene Roberto epiſcopo Glaſguenſi. Hoc bellum cœptum fuit inter Eadwardum de Bruce, fratrem regis, et Philippum de Moubray capitaneum caſtri Strivelyn de præmunitione unius anni, quod promiſit Philippus reſtituere Scotis, ſi non haberet certo die aſſignato recurſum ab Anglis. Modum mirabilem, et glorioſum genus vincendi in hoc bello, vide in libro dicti domini Roberti regis, quem compoſuit in lingua materna archidiaconus Abirdonenſis.

Hujuſmodi victoria Scotis ceſſit, ut creditur, in hoc bello diverſis ex cauſis: tum primò quia rex Angliæ injuſtum contra Scotos movit bellum, quia injuſta de cauſa et iniquo animo: tum quia Deum non timuit, nec in ipſo congreſſu eum præ oculis habuit: tum etiam quia parem ſuum regem Scotorum contempſit: tum quia potentiâ virtutis ſuæ, et in multitudine bellatorum præſumpſit: tum quia injuſtè terram alienam et in alieno ſolo innocuos invaſit: tum etiam propter innocentis ſanguinis effuſionem vindictam Dei expertus eſt, ſicut in ſequenti veridico relatu patebit manifeſtè; Quòd cùm prædictis* anno et die, nono ſcilicet Kal. Julii, vigiliâ Sancti Johannis Baptiſtæ, apud nobile monaſterium de Glaſſenbiry in Anglia, ejuſdem ſacriſta ſatis ſerò pro concinnandis luminaribus ad matutinas accendendis, in ſua officina proviſionem feciſſet, et, clauſis cunctis foribus tam monaſterii quàm officinæ ſuæ, cubatum ire decreviſſet; ex inſperato apparuerunt infra ambitum curiæ officinæ ſuæ duo valentes armigeri de caballis ſuis albis ſuaviter deſcendentes, et intuitu Sanctæ Trinitatis hoſpitalitatem ab eo quæritantes. Qui ſacriſta morum ipſorum gravitate, perſonarum dignitate, et verborum facunditate attentis, equiſque ad ſtabulum intromiſſis, et ad pabulum applicatis, ipſos adhuc, ut dicebant, jejunos refectione qualicunque tunc paratâ curialiter reficiebat. Quibus citiùs refecti, ſurrexerunt. Sed et ſacriſtâ, qui multùm in aſpectu eorum delectabatur, ad quieſcendum in cubili parato invitante, recuſaverunt; ſed ſibi multiplices pro refectione gratias reddiderunt; dicentes, quòd ipſâ eâdem nocte, ante ſolis orum, oporteret eos neceſſariò apud Bannokburn in Scotia cuidam certo bello, inter reges Scotiæ et Angliæ committendo, intereſſe, et pro parte Scotorum aſſiſtere ad inferendam vindictam pro injuſta morte domini Simonis de Monteforti comitis Laiceſtriæ et ſuorum ſequacium, à quinquaginta annis tranſactis adveniente pridie Nonas Auguſti, vigiliâ Sancti Oſwaldi, crudeliter apud bellum de Eviſhame illatâ. Et, hoc dicto, protinus à viſu audientis dilapſi ſunt, nec ultrà ibi apparuerunt. Monachus inde multùm ſtupefactus, rem tacitus perpendens, conſiderabat omnia verba hæc in corde

*Scribit enim Auguſtinus contra Fauſtum; Quod nocendi cupiditas, ulciſcendi crudelitas, implacatus et implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, et ſi qua ſunt ſimilia, hæc ſunt quæ invadentes plectunt, et quæ in bellis jure culpantur. De chronicis Angliæ atteſtatur, quod cum prædictis anno et die, &c. *MSS. Cupr. et Perth.*

ſuo

ſuo. In craſtino verò abbatem ſuum adiens, omnia quæ audivit et vidit retulit, et abbatem in ſtuporem flexit. Qui ab omnibus inquirens ubi Bannokburn foret, nec eſt repertus qui ſibi ſatisfaceret, quouſque perventum eſt ad quendam decrepitum ſenem Scotum, pro Anglico tamen priùs * reputatum, qui de corrodio abbatis ſuſtentatus, confeſſus eſt peroptimè ſe Bannokburn cognoviſſe; qui locus† eſt, inquit, juxta burgum regium de Strivelyn in Scotia, ad fines Britanniæ conſtitutus. Hæc ille. Dicitur enim ‡ quòd pons Srivelyn de Forth ſituatur inter Britanniam et Scotiam, utriuſque marginem apprehendens ⸸. Unde in circumferentia ſigilli communis burgi de Strivelyn hæc metra ſculpuntur:

Continet hoc in ſe pontem caſtrum Strivelenſe,
Hîc armis Bruti, hîc ſtant Scoti cruce tuti.

CAP. XXI.

De pompoſa proceſſu regis Angliæ ad Bannokburn.

PAratus igitur rex Angliæ, priuſquam progreſſum faceret ad bellum cum exercitibus ſuis, vocavit ad ſe omnes fere majores natu, omneſque duces ſuos, bellatores, tam Angliæ quàm Scotiæ Anglicatos, et habuit cum eis myſterium conſilii quâ morte plectendus eſſet ille Bruce regis rebellis **, et quomodo exſtirparet Scotos ſibi adverſantes, et memoriam eorum de terra tolleret; dixitque eis, propoſitum ſuum in eo eſſe, ut omnem terram Scotieanam ſuo perpetuè imperio ſujugaret. Quod dictum cùm placuiſſet omnibus, vocavit duces et magiſtratus, ad dinumerandum †† quot viros fortes ad expeditionem haberet, et numerati ſunt ter centena millia et quadraginta millia *† equitum, et fere tot millia peditum, præter carriagium: ſicut metrificavit tunc temporis dominus Bernardus abbas de Abirbroth, dicens;

Venerunt equitum ad millia ter quoque centum,
Et quadraginta peditum fere millia circa.

Iſtud, non dubium, diſplicuit Deo, ſicut in ſimili ſcriptum eſt, PARALIPOM. XXI. "Conſurrexit Sathan contra Iſraël, et concitavit David "regem ut numeraret populum; quod et fieri mandavit. Sed diſpli-"cuit ſermo principi militiæ ejus Joab, qui dixit regi; Augeat Domi-"nus populum ſuum centuplum quàm ſunt: nonne, domine mi rex, "omnes ſervi tui ſunt? quare hoc quærit dominus meus, quod in pec-"catum reputetur in Iſraël? Sed ſermo regis prævaluit; et numerato "populo Iſraël, diſplicuit Deo; et infra dies tres peſtilentiâ mortui "ſunt de Iſraël ſeptuaginta millia virorum; et ad magnam pœniten-"tiam regis David ceſſavit quaſſatio." Hæc ibi. Simile accidit populo hujus regis Angliæ, cujus vindictam inſinuat dictus Bernardus, ubi ſuprà,

*Pro Anglia apud ipſos, *MSS. Cup. et Per.* †Campus *pro* locus, *ibid.* ‡Fertur enim à veteribus, *ibid.* ⸸ *Al.* comprehendens. * Duces ſuos et ſatrapas bellatores, *MSS. Cupr. et Perth.* ** Rebellis, ut aſſeruit, qui auſus fuit caput erigere, et contra magnipotentiam ſuæ metuendæ majeſtatis inſurgere, et quomodo, &c. *ibid.* †† Ut per medium herellorum enumerarent, *ibid.* *† *Numerus hic omnem ſuperat fidem; error forſan latet in verſibus abbatis quo hallucinatus eſt Bowgrus.*

Et

Et tamen ex tanto populo validoque ſuperbo,
Ad patriam miſeri vix tunc rediere ſecenti.

Et quemadmodum ſcriptum eſt;

David peccavit, quia populum connumeravit.

Poni poteſt iſtud regibus et principibus non ad exemplum ruinæ, ſed ad ſpeculum cautelæ.

Proceſſit itaque rex Angliæ cum exercitibus pompoſè, cum his quæ eis ſufficerent copioſè. Boum quoque armenta, gregeſque ovium et porcorum, quorum non erat numerus, frumentum et hordeum, cum molendinis portatilibus ad victum exercitûs, et vinum in doliis atque cadiferreis parari conſtituit: aurum verò et argentum, vaſa aurea et argentea, et omnem pretioſam ſuppellectilem,* de ærario regis aſſumpſit. Profectuſque eſt ipſe cum ſatellitibus ſuis, curribus et quadrigis, carris et equitibus, fundabilariis et ſagittariis, albalaſtrariis et valetis, armis, cum omnibus etiam inſtrumentis ad caſtrorum obſidiones imaginativis, utpote petrariis et ligonibus, trabiculis et mangonellis† ſcalis et ingeniis, pavillionibus et canopeis, fundis et bombardis, ceteriſque bellicis machinis, litubus et tubis clangentibus, ut omnis regio quò pervenirent terrifico horrore pertimeſceret. Sic quaſi locuſtæ operuerunt ſuperficiem univerſæ terræ, quouſque ad Bannokburn ſit perventum. Quos cùm rex Scotiæ explorari feciſſet, nocte præcedente conflictum foveas fieri, infixis ſudibus acutis, et ceſpitibus viridibus imperceptibiliter coöperiri fecit‡; monetque ſuos ad confeſſionem, et miſſas devotè audire, et ſuos omnes de viatico corporis Chriſti communicari, et ſolùm in Deo ſpem ſuam ponere. Et, ut prædictus abbas Bernardus in metro ſuo innuit, ſic proſequitur, dicens;

Tunc ſummo mane celebrantur in ordine miſſæ,
Rege movente ſuo, dicenteque corde benigno;
O proceres et mi populè, quibus inſolet eſſe
Libertas magna, pro qua certamina multa
Paſſi ſunt reges Scotiæ, Domino morientes,
Cernite nunc omnes quot nos patiendo labores
Annis pro certo jam decertavimus octo,
Pro regni jure, pro libertatis honore.
Perdidimus fratres et amicos atque parentes:
Veſtri cognati captivi ſunt, et amici;
Nunc et prælati cum clero carcere clauſi.
Mater et eccleſia nullo manet ordine tuta.
Nobilitas terræ tranſivit ſanguine guerræ:
Armati proceres, quos coram cernitis omnes,
Nos, regnum, gentem delere per impietatem
Jam decreverunt; nec nos ſubſiſtere credunt.
Curribus eſt et equis ipſorum gloria; nobis
Eſt nomen Domini ſpes et victoria belli.

*Non ſolùm ad thalamum et reginam, ſed ad capellam de ærario et garderopa regis, *MSS. Cupr. et Perth.* †Mangonalibus, fuſtibus, tribuchetis, arietibus, ligonibus, trabiculis, ſcalis, &c. *ibid.* ‡Quæ inimicis ſuperbis ruinæ maximæ præſtitit ſupplementum, *addunt iidem.*

Felix iſta dies; natus Baptiſta Johannes,
Sanctus et Andreas, ac fuſo ſanguine Thomas;
Cum ſanctis Scotiæ, patriæ pro gentis honore
Pugnabunt hodie, Chriſto Domino præeunte.
Hoc duce vincetis, finem guerræ facietis;
Si pro peccatis veſtris de corde fleatis.
Omnes offenſas regalis noſtra poteſtas
In nos commiſſas pronunciat eſſe remiſſas,
Illis qui patrium defendunt nunc bene regnum.
Hæc ait: et populus, regis verbis animatus,
Promittit promptè bellum de corde ſubire.

His dictis, tubiſque ductilibus perſtrepentibus, oppanſiſque in aurea aurora vexillis bellicis, venerabilis pater dominus Mauritius tunc abbas de Inſula Miſſarum, [poſtea Dumblanenſis epiſcopus] qui confeſſionem regis illo die audivit, et miſſam in eminenti loco Scotis celebravit, quandam brevem et efficacem de libertate et juris ſui defenſione protulit præfatiunculam: cúmque finem dicendi ex abundantia cordis zelanter feciſſet, tanto jocundo murmure tacito infremuit exercitus, ut ipſos ſubitâ et incredibili audaciâ repletos autumares. Nudipes ergo, eccleſiaſticis indutus, dictus abbas cruciferarius, tanquam campiductor præcedit, et ante præcinctum belli omnes genua flectere et Deum ſuppliciter exorare docuit. Quod videntes Anglici, vanâ lætitiâ exhilarati, clamare cœperunt; Ecce omnes iſti Scoti tremulento corde ſe nobis dediderunt! Ad quos unus ſenior miles Angligena, Ingeramus Umfraville, ſaniore intellectu concepto, reſpondit dicens; Verum dicitis quòd ſe reddunt, non nobis, ſed Deo. " Ne igitur vanè, precor, major con-
" cipiatur alacritas animi, quàm * conſideratio materiæ fuerit conſe-
" quenda." Cum hoc alacres Scoti ſe erigunt ‡, inimicos impetunt, et Scotis, quibus laborioſiora pro juſtitia ſuæ partis exſtiterant certamina, glorioſè † ut aſſolet ceſſit victoria. Interfecti ſunt ex parte Anglorum, præter ducem Gloverniæ, ducenti milites, et aliorum quaſi innumerabilium. Ex parte Scotorum ceciderunt milites duo, viz. Willelmus de Veteri-porte et Walterus de Roſs.

CAP. XXII.

De nobili metriſta, et ejuſdem metro.

TAntum igitur rex Angliæ ſe et ſuos reddidit de Scotis victorioſos, ut, inter cetera ſuo propoſito congruentia, famoſiorem metriſtam in univerſo regno Angliæ, viz. quendam fratrem Carmelitam, ſecum adduxit, ut de triumpho ſuo, de Scotis adipiſcendo, ad ipſorum dedecus, metra compingeret, et ad memoriale ſempiternum Scotis ſic per eum, ut putabat, devincendis relinquenda. O ſuperba præſumptio, et præſumptuoſa ſuperbia, quæ Anglos quos erexiſti continuò depreſſiſti, et quos nuper exaltaſti extemplò humiliaſti! Hi in curribus, et hi in equis; nos autem in nomine Domini invocabimus. Ipſi obligati ſunt

*Quam cauſa effectus fuerit ſubſequendus, *MSS. Cupr. et Perth.* ‡Signaculo crucis ſe munientes, *ibid.* †Glorioſius quàm aſſolet, *ibid.*

et

et ceciderunt; nos autem ſurreximus et erecti ſumus. Victoriâ denique feliciter Scotis aſcriptâ, adductus eſt ad regem Robertum prædictus metriſta, et pro redemptione ſua compulſus eſt, abſque ambiguitate, iſta ſequentia metra componere, quæ utique, pro bonitate ipſorum, non ſunt ſub modio ſilenda, ſed ſuper candelabrum prætendenda.

METRA DE ILLUSTRI BELLO DE BANNOKBURN.

De planctu cudo metrum cum carmine nudo:
Riſum retrudo, dum tali themate ludo.
Rector cæleſtis, adhibens ſolamina mœſtis,
Verax eſt teſtis; qui proſpera ferre poteſt his,*
Quos vincit reſtis, pro ſindone ſordida veſtis.
Ploro ſub his geſtis, perimit quos torrida peſtis.
Bella parata fleo, lamentans ſub canopeo,
Sub quo rege reo, neſcio, teſte Deo.
Eſt regnum duplex, et utrumque cupit dominari;
Sed neutrum ſupplex vult à reliquo ſuperari.
Dum ſe ſic jactant cum Baccho nocte jocando,
Scotia, te mactant, verbis vanis reprobando.
Dormitant, ſtertunt, quos irrita ſomnia mutant,
Fortes ſe putant, patriæ confinia vertunt.
Explicat exercitus ſplendentia ſigna per arva:
Jam ſunt diſperſi, nimis eſt virtus ſua parva.
Fulminat ad bella præco, clamans dira novella:
Fellea ſunt mella, tantâ durante procellâ.
Nunc armatorum diſponunt geſta virorum,
Ne gens Anglorum vires enervat eorum.
Tu fer vexillum, quo Scoti terrificentur,
Agmina poſt illum belli pro more ſequentur.
Arcitenens arcus tendas, nec ſis modo parcus,
Illic tranſmittas hoſtes perimendo ſagittas:
Iſthac tu tela vibres, quaſi fulgur, anhela
Non te protela, mortem feriendo revela.
Obviet hic illis cum fundis atque lapillis,
Pandens veſana, faciendo concava plana;
Et loca tu ſiſte†, tendantur ut arte baliſtæ.
Examen triſte populus denunciat iſte.
Haſtæ tolluntur, patriæ ſatrapes rapiuntur:
Sic diſponuntur, quòd multi multa loquuntur.
Format et informat rex Scotus prælia dira,
Sunt equites, pedites, O quàm congreſſio mira!
Clamat rex, animat Scotorum nobiliores,
Citat et invitat ad bella viros potiores:
Cernit, diſcernit acies pro marte paratas,
Tales mortales gentes cenſet ſuperatas.
Fatur, ſolatur turbas populi venientis,
Riſit, deriſit Anglorum fœdera gentis.

Rex Scotorum animat ſuos ad pugnam.

* *Al.* quia † *Al.* ſiſte.

Fortis

Fortis dux mortis digitos ad bella docebat,
Servis protervis, nulli deferre jubebat.
Lætus fit cœtus, ſcitis rumoribus iſtis,
Stabit, pugnabit, ſic fiet Anglia triſtis.
Rex fortes unit, et cunctis dat ſua jura,
Quos armis munit, prædicens bella futura.
Imbre ſagittali minuatur ab inguine ſanguis,
Turbine lethali ſtimulet jaculator ut anguis.
Haſta teres fodiat proceres ſpargendo cruorem,
Miſſilibus cum pernicibus renovando dolorem.
Timba ſecuri pectora cruri ſcindere curet;*
Tela vibrabit, ſic ſuperabit, ſi bene duret.
Mucro latet, nil poſſe patet pro marte valere.
Sors præterit quibus omen erit ſupplenda replere.

De foſſis et caveis quibus ceſpitabant equeſtres.

Machina plena malis pedibus formatur equinis,
Concava cum palis, ne pergant abſque ruinis.
Plebs foveas fodit, ut per eas labantur equeſtres,
Et pereant ſi quos videant tranſire pedeſtres.
Advena turba vocatur, Scotica gens numeratur,
Prima phalanx ſociatur, regia vis comitatur.
Scandere nullus eorum terga valebit equorum;
Fient ſic aliorum plures domini dominorum.
Exploratores mittunt hinc inde potentes,
Multos rumores ſunt inter ſe referentes.
Dira dies ſolis† pandit primordia molis,
Angligenæ prolis, hinc exit ab ore ſuo lis.
Arida terra gerit Strivelini prælia prima,
Splendida turba ferit, ſed tandem tendit ad ima.
Eſt dolor immenſus, augente dolore dolorem,
Eſt furor accenſus, ſtimulante furore furorem.
Eſt clamor creſcens, feriente priore priorem;
Eſt valor areſcens‡, fruſtrante valore valorem:
Eſt calor ardeſcens, urente calore calorem;
Eſt gens demeſcens, reprobante minore minorem.
Eſt ſtupor auditus, geminante ſtupore ſtuporem.
Eſt populus tritus, perdente tenore tenorem.
Surgit rugitus, fundente cruore cruorem,
Nunc timor eſt ſcitus, metuente timore timorem.
*Atra** dies lunæ peſtem renovat nocituram,*
Quam vi fortunæ facit Anglis Scotia duram.
Anglicolæ, quaſi cœlicoliæ, ſplendore niteſcunt,
Magnanimi, tanquam minimi, ſub nube quieſcunt.
Exſpectat, ſpectat gens Anglica quos nece plectat
Admotos Scotos ab eis non longe remotos.
Plebs plangit, clangit; ſed quam congreſſio tangit,
Nunc plangit, frangit vires quas ictibus angit.
Magnifici modici Scotorum ſunt inimici;
Munifici medici poterit victoria dici.

* *Al.* tumba.
‡ *Al.* accreſcens.
† *i. e.* dies xxiij. Junii, nam et eo et ſequenti die pugnatum eſt.
** *Al.* arcta.

Inſultus

Inſultus ſtultus prætenditur ordine cultus,
Singultus multus erumpit ab aggere vultus.
Deſcendens, frendens, pedibus gens Scotica tendens,
Defendens, vendens ſua prodit dira rependens.
Hic rapit, hic capit, hic terit, hic ferit: ecce dolores!
Vox tonat, æs ſonat, hic ruit, hic luit, arcta modo res.
Hic ſecat, hic necat, hic docet, hic nocet, iſte fugatur,
Hic latet, hic patet, hic premit, hic gemit, hic ſuperatur,
Hic fremit, hic tremit, hic pavet, hic cavet, iſte ligatur,
Hic legit, hic tegit, hic metit, hic petit, hic ſpoliatur:
Creſcit inedia, corpora, prædia diripiuntur,
Heu! mulieres, miles et heres inficiuntur.

Nomina magnatum occiſorum Angliæ.

Clare comes, venerande fomes, Glovernice cultor,
Heu! moreris, ſub ſtrage peris, ſic ſit Deus ultor.
Trux Cliffordenſis mucrone retunderis enſis,
Ictibus immenſis ruis hoſtibus undique denſis.
Miles Marſcallus Willelmus, in agmine fortis,
Scotorum callus tibi pandit vulnera mortis.
Audax Edmunde Mauley probitate virilis,
*Te gens hoſtilis ſuperat feritatis * abunde.*
Belliger inſignis, Tibetoyt, quaſi fervidus ignis
Enſibus et lignis cadis, inſtat mors tua ſignis.
Nobilis Argenten, pugil inclite, dulcis Ægidi,
Vix ſcieram mentem, cum te ſuccumbere vidi.
Quid fruar ambage? de tanta quid cano ſtrage?
Vix poterit tragœdia pandere ſchiſmata plagæ.
Nomina bellantum mea mens neſcit numerare,
Quot, quæ, vel quantum mors novit ibi violare.
Multi mactantur, multi jaculis terebrantur,
Multi merguntur, multi vivi capiuntur.
Boiis † ſtringuntur, et munera multa petuntur,
Jam ſunt ditati per eos et magnificati,
Qui primò ſtrati fuerant velut apporiati,
Per gyrum finis loca ſunt vallata rapinis;
Verba repleta minis replicantur et aucta ruinis.
Neſcio quid dicam, quam non ſevi meto ſpicam.
Linquo doli tricam, pacem colo juris amicam.
Qui curat plura, ſcribendi ſit ſibi cura:
Eſt mea mens dura, rudis eſt vox, ima litura.

Sum Carmelita, BASTON *cognomine dictus,*
Qui doleo vita, in tali ſtrage relictus.
Si quid deliqui, ſi quæ recitanda reliqui,
Hæc addant hi qui non ſunt ſermonis iniqui.

* *Al.* pietatis. † *Al.* Brolis.

CAP. XXIII.

De quodam metro belli de Bannok.

M. Semel et C. ter, ſimul X. I. jungito quater,
Nato Baptiſtâ, nova gratia contigit iſta,
Quòd rex Scotorum, peditum cum parte ſuorum,
Anglos proſtravit, equites cum rege fugavit.
Rivulus eſt ſuper hoc teſtis cognomine Bannok,
In quo ſubmerſa jacuerunt corpora verſa:
Quo rex Anglorum, numero fidendo ſuorum,
Armatis populis equitum ter millibus centis,
Et peditum turmis circundatus numeroſis,
Scotos aggreditur, et eos delere molitur,
Recurſum facere caſtro cupiens Strivelinæ.
Te, Strivelina, commendant prælia bina:
Gens vi divinâ cadit Anglica, teſte ruinâ.
Turba ruit procerum, cadit hîc utroque dierum
Ad magnum numerum. Fit ibi diſperſio rerum.
Gens cadit Anglorum, fugit et rex triſtis eorum.
Stat rex Scotorum, fervens in amore ſuorum:
Hic relevat jura, quæ jam fuerant peritura;
Pervigili curâ tollit rex noxia plura.
Anniſus totos, quos Anglia pluribus annis
Concipit in Scotos, lux obruit una Johannis.
Nam rex Anglorum, molitus nomen eorum
Funditùs auferre, luit in ſe prælia guerræ.
Arma movet, concepta fovet, perit in pariendo;
Aggreditur dum non fugitur, fugit ipſe latendo.
Dedecus aſſequitur, aggreſſor quando fugatur.
Cui bene conſulitur, quòd vel ſic ſe tueatur,
Cum paucis fugit in campo rex, enſe relicto;
Nec populo patet ulla fugæ via, principe victo.
Turba ſuperba ducum, morbum perpeſſa caducum,
Si tamen evadit, eques antè, pedes modò vadit.
Aſpiceres illic proceres alioſque potentes
Diſperſos, illos merſos, hos enſe ruentes.
Si forſan vivi fugiunt alii fugitivi,
Rupibus et rimis latitant, aut vallibus imis,
Dum captivantur. Proſternitur atque fugatur.
Forth ſepelit multos armis et equis bene cultos,
Quos probat indultos alienis ultio ſtultos.
Quos tibi ſerviles reputabas, Anglice miles,
His dum tu viles, opus eſt fatearis heriles.
Sic levat eliſos Dominus dans robora parvis
In ſe confiſos, altos proſternit in arvis.
Anglia quæ plenis promebas cantica venis
Sume ſub his pœnis, Jeremiæ conſona trenis.
Omnibus exoſa, dum viribus imperioſa,

Omnibus

Omnibus eſſe ſitis, luis hîc incommoda litis.
Expertos Scotos metuens, tibi jam bene notos,
A modò ne temere contemnas, diſce cavere.
Excutit è pannis Anglos lux alma Johannis
Sancti Baptiſtæ, pro quo tibi gloria Chriſte.
Bannok habet limus quorum nec nomina ſcimus:
Quando domi deſunt, perpendit gens ſua quæ ſunt.
Palma triumphalis, inimicis exitialis,
Scotis dum ceſſit, his laus ſaluberrima creſcit.
Anglica militia bis victa, fugata, perempta,
Per loca Forthina fugientum facta ruina.
Divitiæ captæ, currus, res undique raptæ,
Materiam flendi dat Anglis atque gemendi.
Sic gens Scotorum laudat Dominum dominorum.
Inter ſaxoſum fontem caſtrumque nodoſum,
Corruit Anglorum gens perfida, fraude ſuorum.
O Deus immenſe! quàm juſto percutis enſe,
Colla ſuperborum calcans! et vota tuorum
Supplens ſupplicium precibus placatus eorum!
Scotorum cœtus vigeat, virtute repletus:
Et rex ſit lætus, vertens in gaudia fletus,
Anglis proſtratis, ſubmerſis atque fugatis,
Et captivatis. Sit laus Regi pietatis.

Notandum eſt, quòd rex Robertus duxit primò in uxorem, quando fuit comes de Carrik, Iſabellam ſororem Garthenai comitis de Mar, de qua genuit Marjoriam ſponſam Walteri Stewart. Quâ mortuâ duxit Elizabeth, filiam domini Haymeri de Burkis comitis de Hulſter, de qua genuit regem David ſecundum. Hæc ultima regina conſepulta eſt regi Roberto, in choro de Dunfermelyn. Regnavit XXIII. annis; et regni ſui VIII. devicit regem Angliæ apud Bannok; et eundem apud Biland effugavit anno regni ſui XVI. Et, poſt expulſionem Johannis de Balliolo, regnum Scotiæ in maxima confluctuatione et perturbatione adverſabatur, non ſolùm Anglorum potentiâ, ſed per bella inteſtina, per decem annos.

Regina etiam Elizabeth dedit Matildem, ſcilicet nuptam Thomæ Iſak; qui genuit ex ea duas filias, Johannam ſcilicet nuptam Johanni domino de Lorn, (qui procreavit ex ea filios et filias) et Catherinam, mortuam apud Strivelyn. Altera filia reginæ Elizabeth Margareta, nupta fuit comiti de Suthirland, ex quibus proceſſit Johannes comes ejuſdem, qui moritur obſes in Anglia pro avunculo ſuo rege David: qui, ſi vixiſſet, debuit juxta talliam ſucceſſiſſe David regi, * tanquam de ſeniore filia genitus.

* Deſideratur hæc pericope in codd. Cupr. et Perth. et hæc verba *tanquam de ſeniore filia genitus* deſunt in cod. D. G. M. nec equidem ullo ſano ſenſu intelligi poſſunt: ſed quia nonnulli ſcriptores recentiores ex verbis iſtis multa commenti ſunt, nos ea, ut in MS. Col. Edinb. habentur, hic exhibemus.

De prophetia Wallensium hujus belli habentur hæc metra:

Dum fuerint anni completi mille ducenti
Et decies deni post partum virginis almæ,
Bis sex et seni resecabunt æquora remi.
Tunc cadit Anglorum gens perfida, fraude suorum,
Inter saxosum castrum vicumque nodosum.

De prophetia Hiberniensium hujus belli.

Quinto bis sexto post annos mille trecentos,
Scotus serenus rex Anglos vincet egenos.
Robur, militia, dominatio, forma, sophia,
Cessat, turbatur, cadit, et perit, infatuatur.
Nomen, majestas, facundia, fama, potestas,
Durat, cacatur, tacet, et clamat, superatur.
Angli, Scotorum nati, gens Valligenarum
Tristantur, gaudent, vellent gaudere nec audent.

**

CAP. XXIV.

De tallia regis Roberti.

PRoceribus utique Scotiæ et ejusdem incolis de spoliis et redemptione Anglorum, ultra quàm credi potest, ditatis, regnoque pacato, et justitiâ prævalente, rex nondum natos vel heredes masculos de corpore suo habens, ad providendum tuitioni regni, ne, ipso mortuo, contentione primates, ut solito, fluctuarent, parliamentum statuit apud Ayre, ubi certam talliam pro successione regni, de consensu statuum, ordinavit, cujus tenor sequitur in hæc verba:

** *In codd. Cupr. et Perth. hic inseruntur sequentia:* Notandum est, ut à veteribus didicimus, quod rex Robertus totius hujus artis bellicæ fuit auctor et inventor, tam in fabricando foveas in pugna pedestri, quam in cautela qua prædocuit verletos et garciones, quando viderent exercitus commisceri, quod cum confictis vexillis de linteamentibus et peplis, præcedentibus tubis corneis, procederent de vicino nemore super equos carriagii. Quibus ab Anglicis visis, putabant eos fuisse exercitum immanniorem in duplo quam exercitum pugnantem; qui Anglos ita stupidos et hærentes reddidit, ut vecordes omnino redderentur. Omnia hujusmodi prævidit, tractans cum consilio senilium expertorum militum et emeritorum veteranorum, sciens, prout scribit Tullius, quod non viribus, non velocitatibus aut celeritate corporum res magnæ geruntur, sed consilio antiquorum et experimentali scientia; quibus non orbari, sed etiam prosperari solet victoria belli. Habuit equidem rex noster principaliter duo quæ hujusmodi artis doctor præ ceteris debet habere, viz. sapientiam et experientiam. Sapientiam debet habere, quia, ut dicit philosophus, quinto Metaphysicæ, *Sapientis est omnia cognoscere*; ita hujus artis doctor debet omnes circumstantias belli cognoscere: nam qui erraverit in uno puncto, perdet totum; quia in illo puncto possit consistere victoria et perditio, et post conflictum non valet pœnitudo.

Secundo, debet habere perfectam experientiam: nulla enim ars potest doceri nisi ab experto. Unde medicus ignorans morbum non curat ægrotum, sed vulnerat. Exemplum habemus de Alexandro magno, qui, quando antiqui milites, qui fuerant cum patre suo, volebant ab eo discedere, dicentes se ulterius præliorum angustias ferre non posse, ipse respondit; "Magis eligam senum gravitatem, quam juvenum confidentiam." Senes autem faciunt cum consilio titubantes recte incedere, et experientia eos efficit plerumque victores. Proceribus itaque, &c.

In

In nomine Sanctæ et Individuæ Trinitatis Patris, Filii et Spiritûs Sancti, Amen. Anno ab incarnatione Domini milleſimo trecenteſimo decimo quinto, dominicâ proximâ ante feſtum Apoſtolorum Philippi et Jacobi, congregati apud Ayre, in eccleſia parochiali ejuſdem loci, epiſcopi, abbates, priores, archidiaconi, decani, et ceteri eccleſiarum prælati; comites, barones, milites, et ceteri de communitate regni Scotiæ, tam clerici quàm laici, ad tractandum, deliberandum, et ordinandum ſuper ſtatu, defenſione, et perpetua ſecuritate regni Scotiæ, unanimiter concordaverunt et ordinaverunt in forma quæ ſequitur; viz. Quòd ipſi omnes et ſinguli, tam clerici quàm laici, magnifico principi et domino ſuo liegio D. Roberto Dei gratiâ regi Scottorum illuſtri nunc regnanti, et heredibus ſuis maſculis de corpore ſuo legitimè procreandis, tanquam regi ſuo et domino liegio contra omnes mortales parebunt in omnibus fideliter et aſſiſtent. Item ordinaverunt, de conſenſu dicti domini regis, et Marjoriæ filiæ ſuæ, die præſentis ordinationis heredis ſuæ apparentis, quòd ſi contingat, quod abſit, prædictum dominum regem ſine herede maſculo de corpore ſuo procreato ſuperſtite et permanente, diem claudere extremum, nobilis vir dominus Eadwardus de Bruce, dicti domini regis germanus, tanquam vir ſtrenuus, et in actibus bellicis, pro defenſione juris et libertatis regni Scotiæ, quamplurimum expertus, et heredes ſui maſculi de corpore ſuo legitimè procreandi, ipſi domino regi in regno ipſo ſuccedant: quibus omnes ſuprà dicti, tam clerici quàm laici, tanquam regi ſuo et domino, ſucceſſivè parebunt in omnibus, prout ſuperiùs de perſona domini regis et heredum ſuorum eſt expreſſum. Item ordinaverunt, de conſenſu dicti domini regis et dicti D. Eadwardi fratris ſui, quòd deficientibus, quod abſit, dicto D. Eadwardo et heredibus ſuis maſculis, de corpore ſuo legitimè deſcendentibus, prædicti regni Scotiæ ſucceſſio ad prædictam Marjoriam; vel, ipſâ deficiente, ad propinquiorem heredem de corpore domini regis Roberti linealiter deſcendentem, ſine contradictione cujuſcunque, revertatur: dum tamen de conſenſu domini regis, vel ipſo deficiente, quod abſit, de conſenſu majoris partis communitatis regni, dicta Marjoria matrimonialiter fuerit copulata.

Item ordinaverunt, quòd ſi prædictus dominus rex decedat, relicto herede maſculo minore, vel dictus D. Eadwardus germanus ſuus, in caſu de ipſo loquente, ſimili modo decedat, nobilis vir dominus Thomas Randolphi, comes Moraviæ, ipſius heredis et regni cuſtodiam habebit, quouſque communitati regni, vel majori parti, viſum fuerit ipſum heredem ad ſui regni regimen poſſe ſufficere. Ordinaverunt inſuper, quòd ſi dicta Marjoria in viduitate decedat, herede relicto minore, in caſu de ipſa ſuperiùs expreſſo, ipſius heredis et regni cuſtodiam habebit dictus comes, ſicut de heredibus domini regis et germani ſui in ſuis caſibus eſt expreſſum, ſi idem comes ad hoc ſuum tunc præbuerit aſſenſum. Si verò dicta Marjoria, nullo herede relicto de corpore ſuo, aut nullo herede de corpore domini regis Roberti ſuperſtite, in fata decedat, quod abſit, prædictus comes regni cuſtodiam habebit, quouſque prælatos, comites, barones, et alios de communitate regni, ad ordinandum et diſcutiendum ſuper legitima ſucceſſione et regni gubernatione, commodè potuerit convocare, ſi idem comes, ut præmittitur,

ad hoc voluerit consentire. Quas quidem ordinationes, et earum quamlibet, dominus rex, D. Eadwardus germanus suus, Marjoria dicti domini regis filia, et comes Moraviæ prædicti, in suis casibus, ac prælati, comites, barones, et ceteri de communitate, tam clerici quàm laici, juramentis præstitis corporalibus, fideliter et inconcusse servare promiserunt, et se jurisdictioni episcoporum et prælatorum regni Scotiæ submiserunt, ut ipsos et eorum successores, per omnimodam censuram ecclesiasticam possint compellere ad observationem omnium præmissorum. Et in hujus rei testimonium et evidentiam, tam dominus rex, dominus Eadwardus germanus suus, Marjoria filia dicti domini regis, et comes Moraviæ supradicti, quam prælati, comites, barones, et communitatis majores sigilla sua, unà cum sigillis conventualium ecclesiarum et monasteriorum regni Scotiæ huic ordinationi apposuerunt. Act. et script. anno, die et loco supradictis.

Post mortem verò fratris sui Eadwardi de Bruce regis Hiberniæ, innovavit rex Robertus talliam suam: cujus copiam vide libro XIII. post caput xiij.

CAP. XXV.

Eadwardus de Bruce frater regis eligitur in regem Hiberniæ, et de episcopo Dunkeldensi.

EOdem anno D. Eadwardus de Bruce, frater domini regis, intravit Hiberniam manu potenti, et ibidem ab Hibernienſibus unanimi consensu eligitur rex totius Hiberniæ: ubi etiam, infra breve tempus, destruxit totam Ultoniam Anglicis occupatam, ipsos ubique interficiens. Cujus actus bellicos et eventus validos liber de Bruce, quem composuit Barbarius, declarat luculenter. Cui usque ad australes partes Hiberniæ occurrit anno sequenti frater ejus Scotorum rex Robertus, succursum et auxilium impensurus. Sed in eadem expeditione multi fame perierunt; reliqui verò * carnibus equorum usi sunt. Audiens rex Angliæ, quòd rex Scotiæ transtulit se ad Hiberniam, congruum tempus nactum se fuisse putavit ad subigendum sibi quàm facilè regnum Scotiæ. Et congregatis diversis Anglorum exercitibus, quibus valentiores præfecit armiductores: Intrantes igitur viciſſim per legiones Scotiam, per D. Jacobum de Douglas, custodem tunc Marchiarum, cum maximo dedecore sunt rejecti. Qui, quibusdam Anglorum phalangis fugatis, quibusdam feliciter, non tamen sine grandi pugna, devictis, sic se custos et habuit et defendit, quòd in tribus acrioribus præliis tres capitaneos nobiles Angliæ, viz. Eadmundum de Kylaw Vasconem, capitaneum de Berwik, et Robertum Nevil milites, et alium, propriis manibus interfecit. Et sic, laus Deo, per terram in absentia regis Scotiæ modicam læsionem illo anno sustinuit regnum. Auditis igitur rumoribus de probitate domini de Douglas, Anglici per terram ampliùs invadere securum non arbitrantes, collectâ quâdam classe, posuerunt se ad mare, et applicantes in aquam de Forth, terram petierunt clanculò apud Donybressil †, ubi juxta maritima plebeios sæviſſimâ inquietatione afficere

* Reliqui vero de popularibus carnibus equorum vescebantur. *MSS. Cupr. et Perth.*

† Aridam petierunt apud terram canonicorum Sancti Columbæ de Donybressel, *ibid.*

cœperunt,

cœperunt, ſed breviſſimum gaudium exinde reportarunt. Quibus ſupervenit vicecomes de Fyfe cum turma quingentorum armatorum. Sed percipiens Anglos inconſternatè in rurales debacchare, retortis habenis, fugæ conſuluit *, et, ipſis omnino inviſis, retroceſſit. Eodem tempore Willelmus de Sancto-claro epiſcopus Dunkeldenſis, perhendinans apud manerium ſuum de Ochtertule, audivit Anglos terram apud Donybreſſil petiviſſe, quàm citiùs ſe armavit, et aſcenſo nobili equo cum ſexaginta ſuis ad prælium doctis, ad præmiſſum locum intrepidè feſtinavit. Qui ſtatim vicecomiti et ſuo quingentento cœtui obviavit, eique dixit; Cur tam feſtinanter revertitis, et adverſariis noſtris non occurritis? Quia, inquit vicecomes, plures nobis ſunt Angli et multo fortiores, et cum quibus pugnare nequimus; ideo fugiendum cenſuimus. Certè, inquit epiſcopus, dignum foret dominum regem calcaria veſtra deaurata à talis præſcindi demandare. Sequimini me, et in nomine Domini † in eos ulti erimus. Hoc dicto, et chiminili ſuo à ſe rejecto, diram lanceam manu arripit, equum calcaribus urget, nec vicecomiti dixit, I prior, I; ſed ſequere, et veni. Ipſum itaque tam viriliter præcedentem omnes ſunt ſecuti, et cum hoſtibus congreſſi, ad pauca, victoriâ meritis, verbis, et verberibus hujus incliti præſulis, ſunt potiti. Interfectis in campo de Anglis quingentis et ultra, præter eos qui nimiâ feſtinatione ad naves cucurrerunt; qui unam de bargiis præcipiti multitudine obligantes, et ad ſe pondere depreſſos attrahentes, ſe cum illa dimerſerunt. Rex verò Robertus ſtatim poſt hoc de Hibernia reverſus eſt, fratre ſuo rege Hiberniæ Eadwardo ibidem occumbente; qui abhinc epiſcopum Dunkeldenſem in maximo honore et dilectione habebat, et ipſum ſuum epiſcopum ſemper nominabat.

Anno ſequenti, i. e. Dom. milleſimo trecenteſimo decimo quinto ‡, natus eſt Robertus Stewart filius Walteri, nepos regis, et rex futurus.

CAP. XXVI.

Litera miſſa domino Papæ per Hibernienſes.

ANNO Domini milleſimo trecenteſimo decimo ſeptimo, cardinales ſpoliati ſunt in Anglia per Robertum de Middilton; qui cito propterea capitur, et Londoniis equis trahitur. An. D. MCCCXVIII. Thomas Ranulphi comes Moraviæ deſtruxit partes boreales Angliæ uſque Weddirby, et tenuit capitulum capellanorum apud Midton juxta Burghbrig. Eodem anno ſcripſerunt omnes reguli Hiberniæ domino noſtro Papæ unam literam pungitivam, tyrannidem et falſitatem Anglorum continentem, in hæc verba:

SANCTISSIMO in Chriſto patri domino Johanni, Dei gratiâ ſummo pontifici, ſui devoti filii Dovenaldus Oneyl rex Ultoniæ, ac totius Hiberniæ hereditario jure verus heres; necnon et ejuſdem terræ reguli et

* Anglicis ad obviandum inconſternate feſtinavit, *MSS. Cup. et Perth.* † In nomine Domini, S. Columba patrocinante, cujus terram deſtruunt, ſuper eos, &c. *ibidem.*

‡ Id eſt anno ab Incarnatione, juxta computationem eccleſiæ Scoticanæ tunc temporis, at ſecundum ſupputationem Romanam natus eſt Robertus A. D. 1316. poſtridie Kal. Martii, feria tertia, feſto quod vocant carnis-privii. Unde liquet talliam, quæ præcedente capite traditur, perparvo tempore ante nuptias inter patrem et matrem ejus celebratas inſtitutam fuiſſe.

magnates,

magnates, ac populus Hiberniacus, cum ſui recommendatione humili, devota pedum oſcula beatorum. Ne ex mordaci et viperea Anglorum detractione, et iniquâ minuſque verâ ſuggeſtione contra nos, noſtri juriſque defenſores, veſter, quod abſit, animus aliquatenus concitetur, et res incognita atque ficta ipſum accendere debeat ad vindictam aliquam, tanquam veritate plena; de ortu noſtro et ſtatu, ſi tamen ſtatus dici debeat; ac etiam de injuriis crudelibus nobis noſtriſque progenitoribus, per nonnullos reges Angliæ, eorumque miniſtros iniquos, et barones Anglicos in Hibernia natos, inhumaniter illatis, comminatis et continuatis adhuc, in inſinuatione præſentium ingenti cum clamore ſanctis veſtris auribus intimamus; ut ex hoc valeatis defendere et videre cujus partis clamorem veritas comitetur. Quâ diligenter et ſufficienter inſtructâ, ſecundùm quod rei popoſcerit qualitas, judicii veſtri diſtrictio partis culpam feriat ſeu corrigat delinquentis.

Noverit igitur ſanctiſſima paternitas veſtra, quòd à tempore quo antiqui patres noſtri, ſciz. tres filii Mileſii, aliàs Micelii Hiſpani, cum triginta navium claſſe à Cantabria, civitate Hiſpaniæ, in ripa Hiberi fluminis ſita, unde denominationem accipimus quam habemus, in Hiberniam, tunc omni carentem incolâ, divinitùs devenerunt, tres mille quingenti et ampliùs fluxerant anni; et ex ipſis, ſine admixtione ſanguinis alieni, totius Hiberniæ monarchiam ceperunt reges centum triginta ſex uſque Legarium regem, à quo ego Dovenaldus prædictus in linea recta carnalem traxi originem: et in cujus diebus S. Patricius, præcipuus Apoſtolus noſter et patronus, à Cæleſtino Papa, prædeceſſore veſtro, Spiritu S. inſpirante, ad nos, Dominicæ incarnationis anno quadringenteſimo triceſimo quinto, miſſus, patres noſtros efficaciſſimè docuit Catholicæ fidei veritatem. Et poſt prædicationem et fidei ſuſceptionem, ſub humili Romanæ eccleſiæ obedientia, reges de eodem ſanguine, ſine interpoſitione ſanguinis alieni, in fide Chriſti excellenter edocti, et caritatis operibus pleni, nullum in temporalibus recognoſcentes ſuperiorem, reges ſexaginta unus uſque ad milleſimum centeſimum ſeptuageſimum annum Domini ibidem continuè regnaverunt. Et hi ſunt non Anglici, nec alterius nationis aliqui, qui eccleſiam Hiberniæ terris, largis poſſeſſionibus, ac pluribus libertatibus excellenter dotârunt; licet modernis temporibus, per Anglicos illis, ut plurimum, terris et libertatibus damnabiliter ſit privata. Et cùm tanto tempore dicti reges, contra diverſarum regionum tyrannos et reges, conceſſam à Deo ſibi hereditatem propriis viribus ſtrenuè defendiſſent, innatam libertatem ſemper tenentes illæſam; tandem Adrianus Papa, prædeceſſor veſter, non tantum origine, quantum affectione et conditione, Anglicus, A. D. milleſimo centeſimo ſeptuageſimo, ad falſam et plenam iniquitate ſuggeſtionem Henrici regis Angliæ, ſub quo, et fortaſſis per quem, Sanctus Thomas Cantuarienſis eodem anno, pro juſtitia et defenſione eccleſiæ, mortem ſuſtinuit, ſicut ſcitis, dominium regni noſtri ſub quadam certa verborum forma eidem, quem potius ob dictam culpam proprio debuit privâſſe regno, de facto contulit indebitè, ordine juris omiſſo omnino, Anglicanâ affectione, proh dolor! excæcante tanti pontificis cuitionem.

CAP.

CAP. XXVII.

De eodem.

SIcque nos privans honore regio, noſtri abſque culpa, et ſine rationabili cauſa, crudelioribus omnium beſtiarum dentibus tradidit lacerandos. Et qui ex nobis, doloſarum vulpium et guloſorum luporum excoriati dentes mortiferos infeliciter ſemivivi evaſerant, doloroſæ ſervitutis violenter deſcenderunt in abyſſum. Ab illo enim tempore quo Anglici, occaſione collationis prædictæ, ſub quadam exteriori ſanctitatis ac religionis ſpecie, regni noſtri fines nequiter intraverunt, totis viribus, omnique perfidâ, quâ poterant, arte, gentem noſtram delere penitùs et exſtirpare radicitùs ſunt conati. Et, per turpes ac fraudulentas aſtutias, in tantum contra nos prævaluerunt, quòd ejectis nobis violenter ſine ſuperioris auctoritate, de ſpatioſis habitationibus noſtris et hereditate paterna, montana, ſilveſtria ac paludoſa loca et inutilia, etiam petrarum cavernas, pro ſalvanda vita nos petere, et longo tempore, adinſtar beſtiarum, in eiſdem habitare, coëgerunt. Sed et in talibus locis nos inceſſanter inquietant, et, quantum poſſunt, nituntur nos ejicere de eiſdem, et omnem locum noſtræ habitationis ſibi indebitè uſurpare, ex profundæ cæcitatis inſania mendaciter aſſerentes, nullum locum habitationis liberum nobis in Hibernia deberi, ſed ſibiipſis dictam terram totaliter et totam de jure deberi. Unde, propter hæc et multa alia ſimilia, inter nos et illos implacabiles inimicitiæ et guerræ perpetuæ ſunt exortæ. Ex quibus ſecutæ ſunt occiſiones mutuæ, deprædationes aſſiduæ, rapinæ continuæ, fraudes et perfidiæ deteſtabiles et nimis crebræ, Sed, proh dolor! ex defectu capitis, omnis correctio nobis deficit et debita emenda. Ex hoc clerus Hiberniacus et populus multis jam annis periclitabatur nimis graviter et horrendè, non ſolùm in rebus caducis et corporalibus, quinimmo ex eodem defectu maximum eis eminet periculum animarum, et hoc plus ſolito. Pro firma enim veritate tenemus, quòd occaſione prædictæ ſuggeſtionis falſæ, et donationis inde ſecutæ, pluſquam quinquaginta millia hominum à tempore quo facta eſt uſque in præſens de utraque natione, præter conſumptos fame et afflictos carcere, gladio ceciderunt. Hæc pauca de generali progenitorum noſtrorum origine, et miſerabili in quo Romanus pontifex ſtatu nos poſuit, ſufficiant iſtâ vice.

Sciatis, pater ſanctiſſime, quòd Henricus rex Angliæ, cui Hiberniam ingredi, modo quo prædicitur, fuit indultum, necnon et quatuor reges ſucceſſores ejuſdem, metas conceſſionis ſibi factæ per bullam papalem, ſub certis articulis ex ipſa bullæ ſerie evidenter apparet, ſimpliciter ſunt tranſgreſſi.

CAP. XXVIII.

De eodem.

PRomiſit enim dictus Henricus, prout in dicta bulla continetur, quòd eccleſiæ Hibernicæ terminos dilataret, ejuſque jura illibata et integra conſervaret, populum legibus ſubderet, ac bonis moribus

informaret, virtutes insereret, et plantaria vitiorum exstirparet, et de singulis domibus unius denarii annuatim beato Petro Apostolo solveret pensionem. Hanc siquidem promissionem tam ipse quàm prædicti sui successores, eorumque ministri iniqui et subdoli Anglici, de Hibernia in nullo tenentes, et à concessionis forma penitùs recedentes, studiosè et ex intentione horum omnium præmissorum oppositа opere compleverunt. Nam ecclesiæ termini in tantum per ipsos sunt restricti, syncopati et detruncati, quòd nonnullæ cathedrales ecclesiæ medietate et ultra terrarum et possessionum suarum violenter sunt spoliatæ, omni fere ecclesiasticâ libertate per eosdem omnino solutâ. Per ministros enim regis Angliæ in Hibernia citantur, arrestantur, capiuntur, et incarcerantur indifferenter episcopi et prælati. Et cùm hujusmodi crebras et graves patiuntur injurias, tanto servili timore sunt oppressi, quòd eas sanctitati vestræ nullatenus audent intimare: et quia ipsi improbè tacent, et nos silere nolumus in hac parte. Item populum Hibernicum, quem bonis moribus informare, ac legibus subdere ex condicto promiserant, taliter informant, quòd sancta et columbina ejus simplicitas, ex eorum cohabitatione et exemplo reprobo, in serpentinam calliditatem mirabiliter est mutata. Legibus etiam scriptis, quibus ut plurimum priùs regebatur, omnique aliâ, nisi à qua avelli non poterat, lege privârunt; pro gentis nostræ exterminatione leges pessimas statuentes, nimis reprobas et iniquas, quarum aliquæ exempli causâ hic sunt insertæ. In curia enim regis Angliæ in Hibernia istæ leges inviolabiliter observantur, viz. "Quòd omni homini non Hibernico, licet super quacunque in-"differenter actione convenire Hibernicum quemcunque: sed Hiber-"nicus quilibet, sive clericus sit sive laicus, solis prælatis exceptis, ab "omni repellitur actione eo ipso." Item, sicut plerumque accidere solet, quando aliquis Anglicus perfidè et dolosè interficit hominem Hibernicum, quantumcunque nobilem et innocentem, sive clericum sive laicum, sive regularem sive secularem, etiam si prælatus Hibernicus interfectus fuerit, nulla correctio vel emenda fit in dicta curia de tali nefario occisore; quinimmo quanto melior est occisus, et majorem inter suos obtinet locum, tanto plus occidens honoratur et præmiatur ab Anglicis, non solùm popularibus, sed etiam religiosis et episcopis Anglicis, et maximè ab illis quibus incumbit ex officio de hujusmodi malefactoribus justam correctionem facere et debitam emendam. Item omnis mulier Hibernica, sive nobilis sive alia, quæ nubit Anglico cuicunque, post decessum mariti tertiâ parte terrarum ac possessionum viri sui, eo ipso quòd Hibernica est, omnino privatur. Item Anglici, ubi possunt Hibernicum violenter opprimere, nullo modo permittunt, quòd in ultimis voluntatibus Hibernici, de suis rebus disponat, aut testamentum condat quoquomodo; immò omnia bona ipsius appropriant sibiipsis, privantes ecclesiam jure suo, et sanguinem ab antiquo liberum facientes auctoritate propriâ violenter servilem.

CAP.

CAP. XXIX.

De eodem.

PER commune inſuper conſilium iſtius regis Angliæ, necnon et per quoſdam epiſcopos Anglicos, inter quos principalis exſtitit vir parvæ prudentiæ, et nullius ſcientiæ, archiepiſcopus Ardmachanus, quoddam iniquum ſtatutum in civitate S. Keynici in Hibernia nuper fuit factum, ſub hac informi forma: "Concordatum eſt, quòd inhi-" beatur omnibus religioſis qui manent in terra pacis inter Anglicos, " quòd non recipiant in ordine ſuo, nec religione ſua, niſi illos qui ſunt " de natione Anglorum. Et ſi aliter fecerint, dominus rex capiet ad " eos, tanquam ad illos qui ſunt præcepti ſui contemptores, et eorum " fundatores et advocati capient ad eos, ſicut ad illos qui ſunt inobedi-" entes et contrariantes iſti ordinationi factæ commune per conſilium " totius terræ Hiberniæ inter Anglicos." Et antequam hoc ſtatutum factum fuiſſit, et poſt, fratres prædicatores et Minores, monachi et canonici, ceterique Anglici ipſum obſervabant ſatis ſtrictè, perſonarum maximè* acceptores: monachorum tamen et canonicorum monaſteria, in quibus moderno tempore Hibernici refutantur, per ipſos, ut communiter, fuerunt fundata.

Item, ubi virtutes inſerere, ac plantaria vitiorum debuerant exſtirpare, vitiis infuſis per ipſos inſertis, virtutes radicitùs amputârunt. Anglici enim noſtram inhabitantes terram, qui ſe vocant mediæ nationis, ſic ſunt ab Anglicorum de Anglia ceterarumque nationum moribus alieni, quòd non mediæ, ſed extremæ perfidiæ natio propriiſſimè poſſint appellari. Ab antiquo enim fuit illis hæc reproba et abuſiva conſuetudo, quæ apud ipſos nondum definit, ſed quotidie magis invaleſcit et roboratur; videlicet, quando invitant ad convivium aliquos nobiles nationis noſtræ, inter ipſas epulas, vel dormitionis tempore, invitatorum hoſpitum, nil mali ſuſpicantium, ſine miſericordia effuderunt ſanguinem, ſuum deteſtabile convivium hoc modo terminantes. Quo taliter facto, interfectorum amputata capita, eorum inimicis pro pecunia vendiderunt: ſicut fecit Petrus Brunychehame baro, proditor nominatus, et nimis ſolemnis, Mauritio de S.† compatrino ſuo et Calnach fratri ſuo, viris valde ingenuis et valde apud nos nominatis, invitans ipſos ad convivium in feſto Sanctiſſimæ Trinitatis; ipſo die, refectione completâ, ſtatim cùm ſurrexerunt de menſa, cum viginti quatuor hominibus‡ de ſequela ſua, crudeliter jugulavit, ipſorum capita carè vendens eorum inimicis. Et cùm pro iſto ſcelere regi Angliæ, patri ſciz. iſtius regis, accuſatus fuiſſet, nullam de tam nefando proditore fecit correctionem. Item dominus Thomas de Clare, comitis Gloverniæ frater, vocans ad domum ſuam præclariſſimum virum Brianum Rufum principem Totomoniæ, ſuum compatrinum, cùm, in majoris confœderationis et amicitiæ ſignum, de eadem hoſtia conſecrata in duas diviſa, partes nequiter communicavit; ipſum denique, de conſilio nefandæ gentis prædictæ, ſubitò de menſa et convivio arreptum, in caudis trahi fecit equorum; amputato quoque capite, truncum corpus per pedes ſuſpendi fecit in ligno.

* Maxime vel magni, *edit. H.* † Mauricio de O. *MS. Col. E.* ‡ Senioribus, *ib.*

CAP.

CAP. XXX.

De eodem.

GAlfridus etiam de Penthoiris, nationis ejuſdem, Mauritium regem Lageniæ, et Arthurum patrem ejus, viros nimis nobiles et potentes, poſt convivium eis factum, in domo ſua, in eadem nocte dormientes in lectis occidit. Item Johannes filius Thomæ comes Hudar, caput cujuſdam nobilis Hibernici compatrui ſui, per alios, non per ipſum, caſualiter interfecti, poſt triduum interfectionis, turpis venditionis cauſâ, caput fecerat amputari. Et ſimiliter idem Johannes comes Johannem, filium prædicti Calnach nominatiſſimi viri, ſpecioſum adoleſcentulum ac à fonte baptiſmatis, à quo ipſum levavit, continuè ſecum nutritum, poſt fratris ſui deteſtabilem ut prædicitur mortem, detrudens tetrum in carcerem, poſt paucos dies innocentem non innocenter jugulari fecit ibidem.

Hæc pauca omnibus notoria, de innumeris illius gentis abuſionibus, exempli gratiâ ſufficiant iſtâ vice. Et licet hujuſmodi facta omnibus Chriſtianis abominabilia et deteſtabilia videantur, illis tamen de natione ſæpedicta, ſicut duro nimis quotidie experimento ſentimus, honorabilia ac laude digna apparent, cùm facientes ea nunquam quo digni ſunt reportant ſupplicium, ſed laudis præmium, quod non merentur, abſurdè nimis accumulatur eiſdem. Dogmatizant enim hæreticè, non ſolùm illorum laici et ſeculares, ſed etiam quidam religioſi ipſorum, quod non magis eſt peccatum interficere hominem Hibernicum, quàm unum canem aut quodlibet aliud animal brutum. Et in hujuſmodi appoſitionis hæreticæ aſſertionem, quidam illorum monachi affirmant intrepidè, quòd, ſi contingeret ipſos, ſicut ſæpe contingit, quòd hominem Hiberniacum interficerent, ob hoc non deſiſterent à celebratione etiam uno die. Et ſic indubitanter monachi Ciſtertienſis ordinis de Granardo Ardmacanenſis dioceſios, necnon et monachi de Inſula, ejuſdem ordinis, Dunenſis dioceſios, quod verbis prædicant inverecundo opere complent. Nam Hibernicos publicè armati invadunt et occidunt, et nihilominus ſuas celebrant miſſas, Et ſimiliter frater Simon de ordine Minorum, Conorenſis epiſcopi frater germanus, iſtius hæreſis præcipuus eſt dogmatizator: qui anno proximè præterito, in curia nobilis domini domini Eadwardi de Bruce comitis de Carrik, ex maligni cordis abundantia, filere non valens, in præſentia dicti domini, prout idem teſtatur, in hujuſmodi prædicationis verba impudenter prorupit; videlicet, "Quod non eſt peccatum hominem Hibernicum interficere: et ſi "ipſemet iſtud committeret, non minus ob hoc miſſam celebraret." Et ex iſta hæreſi prava in alium incidentes errorem, omnes indifferenter, tam ſeculares quàm regulares, pertinaciter aſſerunt ſibi licitum fore vi et armis, nobis auferre de terris et poſſeſſionibus omnifariis quicquid poſſunt; nullam ſuper hoc, etiam in mortis articulo, ſibi conſcientiam facientes. Omnemque terram, quam in Hibernia occupant, uſurpativè occupant iſto modo: et cujuſcunque conditionis vel ſtatûs fuerit qui huic errori ſe opponeret, vel eis oppoſitum prædicaret, inimicus regis Angliæ et regni, et tanquam reus mortis et bannitus per regis conſilium pronunciaretur

pronunciaretur ex ipſo. Iſti namque ſunt qui nos à regibus Angliæ, ne terras noſtras de jure nobis debitas voluntariè de ipſis teneremus in capite, in ipſorum regis et regni damnum non modicum, cauteloſè et fallaciter elongaverunt, inter illos et nos, terrarum noſtrarum cupiditate vehementer allecti, perpetuas diſcordias ſeminantes.

CAP. XXXI.

De eodem.

HOC quippe ipſis maximè proprium eſſe comprobatur: ex quibus crebræ naſcuntur fraudes et perfidiæ: non ſolùm inter remotos ſanguine, ſed etiam inter fratres et propinquos, tales diſcordias nequiter ſeminare non deſiſtunt. Cúmque in conditionibus et lingua ſunt nobis aliiſque multùm diſſimiliores in factis, quàm à nobis ſcripto vel verbo deſcribi poſſint, de pace habenda cum eis nobis ſpes tollitur omnis. Tanta enim eorum eſt ſuperbia et dominandi nobis exceſſiva libido, tantuſque excutiendi eorum importabile ſervitutis jugum, recuperandi hereditatem noſtram, contra jura ab eiſdem nequiter occupatam, debitus et naturalis affectus, quòd, ſicut nec fuit hactenus, nec unquam de cetero inter nos et illos ſincera concordia eſſe vel fieri poterit in hac vita. Quandam enim naturalem inimicitiam habemus invicem, ex mutua maligna et continuata patrum, fratrum et nepotum, aliorumque propinquorum et amicorum nece ſubortam, quòd ad reciprocam amicitiam noſtro ac filiorum noſtrorum ævo inclinationem habere nequibimus. Item, quòd Romana curia de ſingulis domibus Hiberniæ unum denarium annuatim, ſicut promiſſum fuerat, non recepit, vos latere non debet, cùm omnibus ſit manifeſtum. Iſto igitur modo, et non alio, vel non aliter articulos ſupradictæ bullæ eccleſiæ Hiberniacæ et genti reges Angliæ et eorum ſubditi obſervârunt. Cùm igitur per literas plurium nobilium nationis noſtræ hujuſmodi injuriæ et abominationes dictæ gentis, conſilio regis iſtius, necnon et ipſi regi, per dominum Johannem de Hotome nunc, ut intelleximus, epiſcopum Elienſem, lucidè et apertè pro habendo remedio intimatæ fuiſſent duobus jam fortè annis elapſis; necnon et oblatum per nos comiter fuiſſet eidem, quòd noſtram terram, ſolùm nobis de jure debitam, de ipſo immediatè teneremus omni abſque reniſu, ad majorem ipſius utilitatem, et noſtram quietem, juxta conditiones et articulos in bulla Adriani, cujus tranſcriptum ex abundanti vobis tranſmittimus, poſitos et contentos, aut amicabilem inter nos et dictos adverſarios noſtros compoſitionem faceret, terram noſtram, nobis propriam, pro evitanda immoderata ſanguinis effuſione, de conſenſu partium ipſo rationabiliter dividente, extunc nullum reſponſum ab ipſo, vel ejus conſilio, recepimus in hac parte. Nullus igitur miretur, ſi noſtram conemur ſalvare vitam, et, contra crudeles tyrannos et uſurpatores noſtri juris, libertatis noſtræ jura defendimus, ut valemus: præcipuè ex quo dictus rex, qui dominum Hiberniæ tunc ſe vocabat, necnon et dicti regis anteceſſores ſui reges, in facienda et exhibenda inſtitutione nobis et pluribus noſtris, totaliter defecerunt in hac parte.

Unde, ſi hac ratione ipſum regem et dictos noſtros inimicos, in Hibernia commorantes, impugnare cogimur, non illicitum facimus, quinimmo valde meremur: nec ex hoc perjurii aut infidelitatis argui poſſumus aut debemus; cùm nec nos nec patres noſtri, ſibi aut patribus ſuis homagium unquam fecerimus, aut aliquid aliud fidelitatis juramentum. Ideoque omni abſque conſcientiæ remorſu, quamdiu vita aderit, ipſos impugnabimus pro noſtri juris defenſione: nullatenus ceſſaturi ab ipſorum impugnatione et offenſa, donec ipſi, ex defectu potentiæ, ab injuſta noſtra læſione quieſcant, et juſtiſſimus Judex condignâ ultione ſe evidenter vindicet de eorum ſuperbia et aliis nequiſſimis factis: quod firmâ fide credimus cito venturum.

CAP. XXXII.

De eodem.

PRæterea articulos hîc poſitos, et injurias recitatas, duodecim epiſcoporum ad minus, necnon et aliorum plurium prælatorum teſtimonio legitimè probato pro loco et tempore, et, quod nobis de jure debetur per viam juris defendere, prompti ſumus et parati. Nec ſicut Anglici, qui tempore ſuæ proſperitatis et potentiæ nulli debitæ ordinationi unquam, aut juri ſtare volebant. Quæ ſi nunc ſibi adeſſent, ſub Romanæ curiæ alis minimè confugiſſent, quin potiùs omnes in circuitu nationes ſolitâ tyrannide vehementer afficerent, divinâ, atque Romanæ curiæ, quam unam dicimus ordinationem, poteſtate contemptâ: unde, ſi dicta curia ſuper factis eorum ad plenum foret edocta, de ſuo ab eadem fomento nequitiæ ſuæ immeritò parum eſſent contenti. Propter igitur prædictas injurias et infinitas alias, quæ ab humano ingenio leviter comprehendi non poſſunt, necnon et propter reges Angliæ et iniquorum miniſtrorum eorundem et continuam perfidiam Anglicorum mediæ nationis, qui gentem noſtram, juxta Romanæ curiæ ordinationem, juſtè ac modeſtè regere debuerant, nequiter exterminare ſtudebant: et pro excutiendo duro et importabili ipſorum ſervitutis jugo, et recuperanda, quam ad tempus per eoſdem perdidimus, libertate innata, mortalem guerram habere cogimur cum prædictis; præeligentes neceſſitate coacti, pro juris noſtri defenſione diſcrimini bellico viriliter nos opponere, quàm illorum atroces injurias ulteriùs muliebriter ſuſtinere. Et, ut noſtrum propoſitum celeriùs et congruentiùs obtinere valeamus in hac parte, Eadwardum de Bruce, illuſtrem comitem de Carrik, fratrem germanum domini Roberti Dei gratiâ illuſtriſſimi regis Scotorum, ac de nobilioribus progenitoribus noſtris ortum, vocamus in auxilium noſtrum et juvamen. Et, cùm liberum ſit unicuique juri ſuo renunciare, et ipſum in alterum transferre, totum jus quod in dicto regno ad nos, tanquam ad ipſius veros heredes, pertinere dinoſcitur, eidem dedimus et conceſſimus per literas noſtras patentes; et ad faciendum inibi judicium, juſtitiam et æquitatem, quæ, ex defectu principis ibidem, penitùs defecerunt, ipſum regem ac dominum noſtrum conſtituimus, ac præfecimus in regno noſtro unanimiter ſupradicto; qui, noſtro ac communi hominum judicio, eſt vir pius et prudens, humilis et pudicus, multùm ſobrius, et in omnibus compoſitus et modeſtus,

deſtus, ac potens viribus, laudetur Altiſſimus, de ſervitutis domo nos potenter eripere, divino auxilio et noſtrâ juſtitiâ mediante, et valde voluntarius unicuique reddere quod ſibi de jure debetur; et maximè eccleſiæ Hiberniacæ poſſeſſiones et libertates, quibus damnabiliter exſtiterat ſpoliata, in integrum reſtituere omnino eſt paratus, et majores libertates eidem intendit concedere, quàm unquam aliàs habere conſuevit. Placeat igitur ſanctiſſimæ paternitati veſtræ, juſtitiæ ac pacis communis intuitu, factum noſtrum, quantum ad dictum dominum noſtrum regem, miſericorditer approbare: prohibentes regi Angliæ ac prædictis noſtris adverſariis, ne de cetero nos moleſtent, aut ſaltem de ipſis, cum favore congruo, nobis velitis facere debitum juſtitiæ complementum. Sciat etiam paternitas veſtra reverenda, quòd præter reges minoris Scotiæ, qui omnes de noſtra majori Scotia ſanguinis originem ſumpſerunt, linguam noſtram et conditiones quodammodo retinentes, reges de ſanguine noſtro centum nonaginta ſeptem in tota Hiberniæ inſula regnaverunt. &c.

CAP. XXXIII.

Copia bullæ Adriani Papæ miſſæ regi Angliæ Henrico ſecundo; cujus occaſione conquiſivit Hiberniam.

ADRIANUS epiſcopus, ſervus ſervorum Dei; cariſſimo in Chriſto filio noſtro Henrico regi Angliæ illuſtri, ſalutem et Apoſtolicam benedictionem. Laudabiliter et ſatis fructuoſè de glorioſo nomine propagando in terris, et æternæ felicitatis præmio cumulando in cœlis, tua magnificentia cogitat; dum, ad dilatandos eccleſiæ terminos, et declarandam indoctis et rudibus populis Chriſtianæ fidei veritatem, et vitiorum plantas de agro dominico exſtirpandas, ſicut catholicus princeps intendis: et ad id convenientiùs exſequendum, conſilium Apoſtolicæ ſedis exigis et favorem. In quo facto, quanto altiori conſilio et majori diſcretione procedis, tanto in eo feliciorem progreſſum te confidimus habiturum: eo quòd ad finem bonum et exitum ſemper ſolent attingere quæ ex ardore fidei et religionis amore principium acceperunt. Sane Hiberniam, et omnes inſulas quibus Sol juſtitiæ illuxit, et quæ documentum fidei acceperunt, ad jus beati Petri Apoſtoli ac ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ, quod tua nobilitas recognoſcit, non eſt dubium pertinere; et tanto eis libentiùs fidei plantationem, et germen gratum Deo, inſerimus, quanto à nobis in extremo examine diſtrictiùs proſpicimus exigendum. Significâſti nobis ſiquidem, in Chriſto fili cariſſime, te Hiberniæ inſulam, ad ſubdendum populum illum legibus, et vitiorum plantaria exſtirpanda, velle intrare; et de ſingulis domibus annuam unius denarii beato Petro velle ſolvere penſionem; et jura eccleſiarum illius terræ illibata et integra conſervare. Nos autem tam pium et laudabile deſiderium tuum favore congruo proſequentes, et petitioni tuæ benignum impendentes aſſenſum, gratum et acceptum habemus, ut, pro dilatandis eccleſiæ terminis, vitiorum reſtringendo decurſu, pro corrigendis moribus et virtutibus inſerendis, pro Chriſtianæ religionis augmento, inſulam Hiberniæ ingrediaris; et, quæ ad honorem Dei et ſalutem illius terræ fuerint, exſequaris, et illius terræ populus te honorificè recipiat, et

ſicut

ſicut dominum revereatur: jure nimirum eccleſiarum illibato et integro permanente, et ſalvo beato Petro et ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ de ſingulis domibus penſione. Si ergo, quod concepiſti animo effectuque duxeris proſequente complendum, ſtudeas gentem illam bonis moribus informare, et agas, tam per te quàm per alios, quos ad hoc verbo et vitâ idoneos eſſe perſpexeris, ut decoretur ibi eccleſia, plantetur et creſcat fidei Chriſtianæ religio, et, quæ ad honorem Dei et ſalutem pertinent animarum, taliter ordinentur, ut à Deo ſempiternæ mercedis cumulum conſequi merearis in cœlis, et glorioſum nomen valeas in terris obtinere. Dat. &c.

Præmiſſa de Hibernicis huic operi notanter inſerui, ut advertere diſcant Scoti, nunquam ſe ſubdi velle Anglorum tyrannidi vel magiſterio inſufferabili.*

CAP. XXXIV.

De qualitate Hiberniæ et contentorum in ea.

JOHANNES DE HIBERNIA. Gleba præpingui, uberique frugum proventu, felix terra eſt et fœcunda Hibernia. Frugibus arva, pecore montes, nemoroſa feris abundant; paſcuis tamen quàm frugibus, gramine quàm grano fœcundior eſt inſula. Multam fruges in herba, plurimam in culmis, minorem in granis ſpem promittunt: tritici namque grana contracta ſunt huic et minuta, et vix alicujus vanni beneficio purganda. Abundè ſatis et campi veſtiuntur, farciuntur et horrea; ſola verò granaria deſtituuntur. Quod ver gignit et parturit, æſtas nutrit et provehit, vix in meſſe pluvialis aquoſitas colligi permittit: Æolicis namque flatibus et pluvialibus innundationibus, præ aliis terris, hæc exuberat. Collateralis verò Zephyro ab auſtrali parte frequentior et procelloſior aliis Corus hîc regnat. Lacus quoque plurimos et pulcherrimos, piſcoſos et grandes, præ aliis terris, quas vidimus, quaſi ſpeciale quid, hæc terra fert: quæ et mediamnes aliquantulum elevatos et valde amœnos inter ſe continet; ubi ſecuritatis loca et refugii, propriaque domicilia, et, præterquam navigio, inacceſſibilia, dominatores terræ metare ſolent. Marinis piſcibus per omnia latera ſatis abundant maritima: flumina verò lacuſque ſuis ſibique innatis fœcunda ſunt piſcibus; et præcipuè generibus tribus, ſalmonibus viz. et trutis, anguilliſque lutoſis. Murænis etiam oculoſis ad divitum catinos abundat; ſed deſunt eis illi aliarum regionum et dulcis aquæ generoſi piſces, lucii viz. et perticæ, rochiæ, gradiones et gubiones: deſunt et minutæ lochiæ, capitones et verones, et ferè omnes qui non ex marinis fluctibus ſemitivam originem trahunt. Accipitres itaque falcones et niſos, quibus, ad nobilium delicias, animoſa pectora roſtraque recurva et acuta, pedes unguibus armatos aptoſque prædæ, natura dedit, præ aliis regionibus hæc copioſè producit. Aquilarum quoque non minorem ibi copiam, quàm alibi milvorum, videas. In tanta verò numeroſitate grues

* *In MS. Cupr. hic inſeruntur verba ſequentia:* Quiâ multum diſplicenter referendum eſt de tam excellenti ſolo, quod debeat ſic ſubdi Anglorum truculento imperio: de cujus proprietate ſic ſcribit Johannes de Hibernia, &c.

ibi

ibi ingruunt, ut in uno grege centum, et circiter hunc numerum, frequenter invenias. Sunt et aves ibi multæ quæ bernaces vocantur, quas mirum in modum, contra quaſi naturam, natura producit; aucis quidem paluſtribus ſimiles, ſed minores. Ex lignis namque abjectivis per æquora devolutis, primò quaſi gummi naſcuntur; dehinc tanquam ab alga ligno cohærente, conchilibus teſtis ad liberiorem formationem incluſæ, per roſtra dependent, et ſic quouſque proceſſu temporis firmam plumarum veſtituram indutæ, vel in aquis decidunt, vel in aëris libertatem volatu ſe transferunt, ex ſucco ligneo marinoque, occulta nimis admirandaque ratione ſeminii, alimenta ſimulque incrementa ſuſcipiunt. Vidi etiam et ego conſcriptor hujus libri, qui me priùs ſcriptorem intitulavi, ad differentiam ſcribæ, cum oculis meis ſemel in * S. Andrea plus quàm mille minuta hujuſmodi avium corpora, in littore maris ab una protela et grandi alga dependentia, teſtis incluſa et jam formata. Conſimile vidi, et multi mecum ſemel in Æmonia inſula, non tamen tanto numero ſicut priùs.

CAP. XXXV.

De feris, et earum naturis.

FErarumque, quas occidentales pariunt regiones, cunctas fere ſpecies continet Hibernia. Habet enim cervos præ nimia pinguedine minùs fugere prævalentes: quantoque minores quantitate, tanto præcellentiùs efferuntur capitis et cornuum dignitate. Sunt et lepores multi, ſed minuti, cuniculis quidem tam ſui modicitate, quàm delicatâ piloſitate, conſimiles. Ut autem breviter complectar, omnium animalium, ferarum et avium corpora hîc, quàm alibi, ſuo in genere minora reperies, ſolis hominibus ſuam retinentibus majeſtatem. Inter omnia vermium genera ſolis non nocivis Hibernia gaudet. Venenoſis omnibus caret ſerpentibus et colubris; caret bufonibus et ranis; caret tortuis et ſcorpionibus; caret aſpidibus et draconibus: habet tamen araneas et ſanguiſugas; habet lacertas, ſed has prorſus innocuas. Quidam verò, favorabili ſatis figmento, conjecturant Sanctos Patricium, Columbam et Brigidam peſtiferis cunctis inſulam purgâſſe. Nec mihi mirandum videtur, quòd vermium iſtorum, ſicut et piſcium, avium et ferarum quarundam, naturalem defectum patitur: Sed hoc ſtupore dignum occurrit, quòd in Hiberniam venenoſum aliunde advectum nunquam ibi vivum contineri vel potuit vel poteſt. Legitur namque in antiquis terræ iſtius Sanctorum ſcriptis, quòd aliquoties experiendi gratiâ ſerpentes in ollis æneis delati ſunt; ſed, quàm citò medium maris Hibernici tranſmearverant, exanimes et mortui reperti ſunt. Toxicum quoque ſimiliter, ſi allatum fuerit, mediis in fluctibus innatâ malitiâ benignior aura privavit. Scrutatores tamen oceani mercators afferentes audivimus, quòd

* *Lib. Cupr. ſic:* Hujus voluminis congeſtor ſemel in S. Andrea, in principio fundationis univerſitatis ejuſdem, plus quam, ut ita dicam, et judicio meo pro tunc apparuit, mille minuta hujus avium corpora formata, ſine tamen vitali ſpiramine, ad longitudinem humani pollicis, in una protela et grandi alga dependentia, teſticuſis incluſa ſubtiliter, et ab ipſâ natura effigiata. Conſimile quid vidi et multi mecum in inſula Æmonia algæ adhærentia, ſed minutiora avium corpora, non tamem tanto numero ut prius.

cùm naves in portu Hibernico aliquamdiu exoneraverint, bufones, caſu illatos, in fundo navium invenerunt; quos dum vivos in terram projeciſſent, ſtatim verſo ventre, videntibus et admirantibus multis, medii crepuerunt et interierunt.

Conſtat igitur, quòd ſive ex aëris nova quidem et inaudita, benigniſſima tamen, clementia, ſive ex terræ ipſius vi quadam occulta et venenis inimica, nec animal venenoſum hîc ſubſiſtere poteſt; et venenum quodlibet, aliunde advectum, omnem malignitatis efficaciam prorſus amittit. In tantum ſiquidem terra hæc inimica veneno eſt, ut ſi aliarum regionum ſeu viridaria, ſeu quælibet alia loca, pulvere ipſius aſpergantur, venenoſos abinde vermes procul exterminant. Corrigiæ ſive coria animalium hujus patriæ conſimiliter venenoſis obſtant. Terra terrarum omnium temperatiſſima. Non cancri calor exæſtuans compellit ad umbras; non ad focos capricorni rigor urgenter invitat. Nives hîc rarò, et tunc modico tempore durare videbis. Ex omni tamen vento, non minùs Subſolano Favonioque et Zephyro, quàm Circio et Boreali, ex omni quidem modicè, ex nullo immoderatè, brumeſcit. Sicut æſtivo, ſic et hyemali tempore herboſa vireſcunt paſcua; unde nec ad pabula fœna ſecari, nec armentis unquam ſtabula parari ſolent. Veris amœnitate temperieque tempora fere cuncta tepeſcunt. Aëris quoque clementia tanta eſt, ut nec nebula inficiens, nec ſpiritus hîc peſtilens, nec aura corrumpens. Medicorum operâ parum indiget inſula: morbidos enim homines, præter moribundos, pauços invenies. Inter ſanitatem continuam mortemque ſupremam nihil fere medium. Nemo unquam indigenarum hîc natus terram, aëremque ſalubrem non egreſſus, ullâ trium generum ſpecie febricitavit: ſolâ vexantur acutâ, eâque perrarò. Hîc quidem tenor rebus naturaliter inerat: ſed, mundo ſeneſcente, et tanquam in decrepitæ ætatis ſenium jam vergente, et ad finem tendente, cunctarum fere natura rerum corrupta et in deterius eſt mutata.

CAP. XXXVI.

De eodem.

TAnta ſiquidem pluviarum hîc jam inundat ubertas, tanta nebularum et imbrium incumbit imparitas, ut vix tres dies, vel æſtivos, continuâ ſerenitate clareſcere videas. Nulla tamen aëris turbulentia, nulla temporis intemperies vel ſanos et hilares hîc contriſtat, vel etiam delicati capitis cerebrum turbat. Terræ motus hîc nunquam, vix ſemel in anno tonitruum audies. Non hîc tonitrua terrent, non fulmina feriunt, non cataractæ obruunt, non terræ motus abſorbet: non leo rapit, non pardus lacerat, non urſa devorat, non tygris abſumit; nec cibariorum xenia, etiam ab hoſtibus confecta, ulla veneni ſuſpicio reddit infeſta. Non novercæ privignis, non matronæ, quantumlibet offenſæ, maritus toxicata pocula reformidat.

Eſt lacus in Momonia boreali duas continens inſulas, unam majorem et alteram minorem. Major eccleſiam habet antiquæ religionis, minor verò capellam, cui pauci cœlibes, quos cœlicolas vel Keledeos ſive Colideos vocant, devotè deſerviunt. In majorem nunquam femina, vel feminei

feminei ſexûs animal aliquod intrare potuit, quin ſtatim moreretur. In minore verò inſula nemo unquam mortuus fuit, vel morte naturali mori potuit; unde et viventium inſula vocatur. Morbo tamen lethali graviſſimè interdum vexantur, et uſque ad extremam exhalationem miſerabiliter afficiuntur. Cúmque nihil amplius ſpei, nihil jam vitæ vitalis ſupereſſe præſentiunt, cúmque, invaleſcente invaletudine, tam finaliter afflicti fuerint, ut morte mori malint, quàm vitam deducere mortis, in majorem demum inſulam ſe naviculâ deferri faciunt, qui ſtatim ut terram attingunt ſpiritum reddunt.

Eſt fons in Momonia, cujus aquis ſi quis abluitur, ſtatim canus efficitur. Vidi hominem cujus pars barbæ lymphis ejus lota canis incanduerat, alterâ parte in ſui natura fuſcâ manente. Eſt è contra fons in Lagenia, quo ſi quis abluitur, non caneſcet amplius. *Sunt hæc Johannis de Hibernia.* Sunt et alia quàm admiranda Hiberniæ mirabilia, de quibus iſta ſufficiant. Nunc ad annalia revertamus.

CAP. XXXVII.

De captione Berwici, et bello de Dundalk.

ANNO Domini milleſimo trecenteſimo decimo octavo, Thomas Ranulphi comes Moraviæ deſtruxit partes boreales Angliæ. Anno eodem, quinto Kal. Aprilis, capta eſt villa Berwici per Scotos, quæ fuit in manibus Anglicorum per vigini annos.

Anno eodem, decimo quarto die Octobris, commiſſum eſt bellum de Dundalk in Hibernia, ubi occubuit nobilis rex Hiberniæ Eadwardus, frater germanus domini Roberti Scotorum regis incliti, et plures nobiles de Scotia cum eo. Cauſa hujus guerræ hæc eſt: Iſte Eadwardus erat homo alti cordis, non valens cohabitare cum fratre ſuo rege Scotiæ, tanquam regnum iſtud non foret utrique ſufficiens. Quia inſuper fuit ita bellicoſus et fortunatus in congreſſibus contra Anglos, quòd reges et Hibernienſes magnates elegerunt eum in regem ſuum, ad præliandum bella ſua, et ad exterminandum inimicos ſuos Anglicos de Hibernia. Quod utique humano judicio feciſſet, ſi non aliquantulum præceps et impetuoſus fuiſſet: quod patuit die mortis ſuæ: Cujus frater rex Scotiæ Robertus cum grandi potentia ſibi adventâſſet, ſi in craſtinum exſpectâſſet. In hoc verificatur SALOMONIS ſententia, quæ dicit, quòd *qui feſtinus eſt pedibus offendit.* Et ideo GREGORIUS in Moralibus: " Fortitudo deſtruitur, niſi per conſilium fulciatur: quia " quo plus ſe poſſe conſpicit, eo virtus, ſine rationis moderamine, " deteriùs in præceps ruit."

Anno eodem, tertio Nonas Julii, dedicata eſt magna eccleſia Sancti Andreæ Apoſtoli in Scotia, per dominum Willelmum de Lambirton epiſcopum ejuſdem. In cujus dedicatione pro divini cultûs augmentatione, dominus Robertus rex, in præſentia ſeptem epiſcoporum, decem et quinque abbatum, et omnium fere regni nobilium, tam comitum quàm baronum, perſonaliter conſtitutus, ob inſignem victoriam Scotis per beatum Andream, protectorem regni, apud Bannokburn exhibitam, centum marcas Sterlingorum de cofris ſuis ſingulis annis obtulit percipiendas.

percipiendas. Pro quibus centum marcis, eidem ecclesiæ postea advocationem ecclesiæ de Fordoun, cum omni ejusdem emolumento in le Merniis, in perpetuum concessit. Quam donationem dictus Willelmus episcopus Sancti Andreæ ratificavit, et in proprios usus canonicorum perpetuis temporibus confirmavit. Eodem die et eâdem ratione, idem Willelmus episcopus in proprios usus canonicorum ecclesias de Derveſy et Abircrumby eisdem canonicis contulit et concessit. Similiter eodem die et eâdem ratione, dominus Duncanus comes de Fyfe contulit eis, cum consensu regis et confirmatione episcopi, in proprios usus ecclesiam de Kilgour.

De captione Berwici habentur hæc metra:

M. semel et C. ter, semel X. semel V. dabis I. ter,
Capto Berwico, sit laus et gloria Christo.

Anno præcedenti obiit Marjoria, filia regis Roberti, mater Roberti Stewart regis senioris.

Anno Domini millesimo trecentesimo decimo nono, Eadwardus II. post conquestum Angliæ, in die inventionis Sanctæ Crucis obsessit villam Berwici, sed nihil proficiens citò cum magna confusione recessit. Anno eodem, comes Moraviæ combussit boreales partes Angliæ usque Wedirby, et fixit tentoria sua apud Burghbrig in fine mensis Augusti.*

* *Addit liber Cuprensis*; Et invasus, feliciter manu plena reversus est. Iste etenim comes Moraviæ magnæ circumspectionis erat in gubernatione exercitus. Nam quamquam fortunatissimus erat in congressibus, et in spoliis ab inimicis diripiendis, nunquam tamen post victoriam vel prædæ direptionem passus est suos, donec omnes in securitate proprii soli collocarentur, effrænate evagare; sed omnes globatim et ordinate cum magna tutela et advertentia procedere, et non se spargere sicut multi improvidi capitanei consueverunt; qui, statim habita victoria resolvuntur in dissolutionem et ineptam lætitiam. Refert Frontinus, quod quidam dux nomine Venodius victus à Parthis, et cum suis dedecorosius fugatus illo sero in abditis latitavit, et per exploratores de nocte cognovit Parthos propter successum victoriæ vane collætantes in castris, eos inopinate cum paucis secum relictis aggreditur, et tali securitate reperiens eos resolutos et non se custodientes obtinuit et devicit.

EXPLICIT LIBER DUODECIMUS.

Incipiunt

Incipiunt tituli capitulorum libri decimi tertii.

De nigro parliamento, et proditione Willelmi de Sowlis et complicum ejus. CAPITULUM I.
Quomodo proceres Scotiæ ſcribunt domino Papæ, conquerentes ſuper rege Angliæ. CAP. II.
De eodem. CAP. III.
De morte Thomæ de Lancaſtria, et de tranſitu utriuſque regis hinc inde guerrando. CAP. IV.
Quomodo mittitur ad Franciam pro innovatione ligæ, et de nativitate regis David. CAP. V.
De ſpiritu Guidonis: CAP. VI.
Cum tribus capitulis ſequentibus *De eodem.*
De ſpiritibus hominibus apparentibus poſt mortem; et quòd periculoſum eſt homini ſe dæmonibus commendare. CAP. X.
Exemplum terribile ad idem. CAP. XI.
Quomodo regina Angliæ conduxit ſtipendarios, et incarceravit maritum ſuum regem. CAP. XII.
De deſponſatione regis David, et morte patris ſui Roberti Bruce invictiſſimi. CAP. XIII.
De ſecunda tallia ejuſdem, quæ debuit ſituari in XII. *libro poſt primam, cap.* 24. CAP. XIV.
De epitaphio Roberti de Bruce regis. CAP. XV.
Quomodo Haraldus præconizavit eundem. CAP. XVI.
De eodem. CAP. XVII.
Quomodo Thomas Ranulphi effectus eſt cuſtos Scotiæ, et juſtitiam undique exercuit. CAP. XVIII.
De bono judice et malo, et de proditione Anglorum, mortem dicti judicis excogitantium. CAP. XIX.
De itineratione nobilis Jacobi Douglas ad Terram Sanctam, et de adultero Twinam Lawriſon. CAP. XX.
De morte dicti domini Jacobi, et de epitaphio ejuſdem, et coronatione regis David. CAP. XXI.
De extinctione Thomæ Ranulphi comitis Moraviæ, et de bello de Duplyn. CAP. XXII.
Adhuc de eodem bello, in duobus capitulis ſeqq. CAP. XXIII. et XXIV.
De tranſitu regis David ad Gallias. CAP. XXV.
De falſitate Eadwardi de Windeſour, et natura Anglorum. CAP. XXVI.
De obſidione Berwici, et bello de Halidoun. CAP. XXVII.
De redditione Berwici regi Angliæ. CAP. XXVIII.
De literis miſſis à domino Papa et rege Francorum regi Angliæ, pro pace et treugis Scotiæ. CAP. XXIX.
De obſidione caſtri de Lochlevin. CAP. XXX.
De promotione comitis de Atholia. CAP. XXXI.
De Roberto Stewart et Brandanis de Bothe, vicecomitem de Lile interficientibus. CAP. XXXII.
De felicibus ſucceſſibus Roberti Stewart, et Johannis comitis Moraviæ cuſtodis Scotiæ. CAP. XXXIII.

De consilio tento apud Derveſy, et miraculo S. Columbæ. CAP. XXXIV.
De conflictu inter Gillerenos et Scotos apud Borowmor, et captione cuſtodis. CAP. XXXV.
De conflictu apud Kilblene, et interfectione David comitis Atholiæ. CAP. XXXVI.
Quomodo Andreas de Moravia obſeſſit caſtra, et de miraculo Sancti Columbæ. CAP. XXXVII.
Qualiter rex Angliæ caſtra Scotiæ reædificavit, et fratrem ſuum occidit in eccleſia. CAP. XXXVIII.
Quomodo Andreas de Moravia caſtra cepit et proſtravit. CAP. XXXIX.
De obſidione caſtri de Dunbar. CAP. XL.
Adhuc de eodem, et de deſtructione Laudoniæ. CAP. XLI.
De jupardia Roberti de Prendergeſt. CAP. XLII.
De morte Andreæ Murraf cuſtodis Scotiæ. CAP. XLIII.
De pertinaci importunitate domini Willelmi de Douglas. CAP. XLIV.
De obſidione villæ de Perth per Robertum Stewart cuſtodem Scotiæ. CAP. XLV.
Item de eodem. CAP. XLVI.
De captione caſtri de Edinburgh per dominos Willelmum et Willelmum Douglas et Bullok. CAP. XLVII.
De nobili Alexandro Ramſay, et labore ejus pro libertate regni. CAP. XLVIII.
De reditu regis David è Francia. CAP. XLIX.
De interfectione Alexandri de Ramſay. CAP. L.
De peſtilentia gallinarum et aliis. CAP. LI.

LIBER XIII.

CAP. I.

De nigro parliamento, et proditione domini Willelmi de Sowlis et complicum ejus.

ROBERTUS rex Scotiæ in principio menſis Auguſti, anno Domini milleſimo trecenteſimo viceſimo, tenuit parliamentum ſuum apud Sconam; ubi dominus Willelmus de Sowlis et comitiſſa de Strathern convicti de crimine læſæ majeſtatis, et confeſſi, conſpirando contra regem, ſententiam perpetui carceris acceperunt. Dominus David de Brechin, qui, in expeditione Terræ Sanctæ dimicans Paganos, apud Chriſtianos, qui eum noverunt, dicebatur flos militiæ; qui propterea de prædicta conſpiratione, ſolùm ob taciturnitatem, et quia non revelavit regi proditionem conſpirantium convincitur, per infraſcriptos, et ſuprà cùm ſibi propoſitum eorum innotuit, et omnino eis diſſentivit, et quia oppidò compulerunt eum juramentum præſtare de ſilendo; unà cum dominis Gilberto de Malerb et Johanne de Logy militibus, ac Richardo Broun armigero, de prædicta conſpiratione convicti, equis tracti, noviſſimè capite ſunt puniti. Domini Euſtachius de Maxwel, Walterus de Berclay vicomes de Abirdonia, et Patricius de Grahame milites, Hamelinus de Troupe, et Euſtachius de Retreven

ven * armigeri, de eodem crimine accuſati ſunt, ſed rei nequaquam inventi. Contigit autem eodem tempore, quòd Rogero de Moubray nexu carnis ſoluto, ejus corpus ibidem fuit deportatum, de conſpiratione convictum, ad equorum tractionem, patibuli ſuſpenſionem, et capitis detruncationem condematum. Sed rex uſus clementiâ, et pietate commotus, divino ceſſit judicio, et corpus defuncti ſine vilificatione quacunque eccleſiaſticæ tradi ſepulturæ mandavit. Eodem anno, xvij. die Martii, legati domini Papæ venerunt ad regem Scotiæ apud Berwicum, perſuadentes eidem ut mitiùs ageret et parceret Anglorum deſtructioni et deſtitutioni, quouſque ſummus pontifex pleniùs informaretur de juſtitia partis regis Anglorum ad jus vel clameum regni Scotorum. Quos benignè rex recepit, et ſatis curialiter, ut decebat regem, tractabat. Quod percipientes magnates regni, fecerunt convocationem ſuam apud monaſterium de Abirbrothoc, et unanimi conſenſu ſcripſerunt ſummo pontifici, cum feſtinatione prævenientes legatos, hujuſmodi ſub tenore† :

CAP. II.

De generoſæ probitatis progenie Scotorum ſcribunt domino Papæ ſuper rege Angliæ conquerentes.

SANCTISSIMO patri in Chriſto ac domino, domino Johanni, divinâ providentiâ ſacroſanctæ Romanæ et univerſalis eccleſiæ ſummo pontifici; filii ſui humiles et devoti, DUNCANUS comes de Fyfe, THOMAS RANULPHI comes Moraviæ, dominus Manniæ et vallis Anandiæ, PATRICIUS DE DUMBAR comes Marchiæ, MALISIUS comes de Stratheryne, MALCOLMUS comes de Levenax, WILLELMUS comes de Roſs, MAGNUS comes Cathaniæ et Orcadiæ, et WILLELMUS comes Suthirlandiæ, WALTERUS ſeneſcallus Scotiæ, WILLELMUS DE SOWLIS buttelarius Scotiæ, JACOBUS dominus de Douglas, ROGERUS DE MOUBRAY, DAVID dominus de Brechyn, DAVID DE GRAHAM, INGELRAMUS DE UMFRAVILLE, JOHANNES DE MENETETH cuſtos comitatûs de Meneteth, ALEXANDER FRASER, GILBERTUS DE HAYA conſtabularius Scotiæ, ROBERTUS DE KETH mareſcallus Scotiæ, HENRICUS DE SANCTO-CLARO‡ panetarius Scotiæ, JOHANNES DE GRAHAM, DAVID DE LINDESAY, WILLELMUS OLIPHAUNT, PATRICIUS DE GRAHAM, JOHANNES DE FENTONA, WILLELMUS DE ABIRNITHY, DAVID DE WEMYS, WILLELMUS DE MONTE-FIXO, FERGUSIUS DE ARDROSSANE, EUSTACHIUS DE MAXWELL, WILLELMUS DE RAMESAY, WILLELMUS DE MONTE-ALTO, ALANUS DE MORAVIA, DOVENALDUS CAMBELL, JOHANNES CAMBRUN, REGINALDUS LE CHEN, ALEXANDER DE SETON, ANDREAS DE LESCELYN, et ALEXANDER DE STRATON, ceterique barones et libere-tenentes, ac tota communitas regni Scotiæ, omnimodam reverentiam filialem cum devotis pedum oſculis beatorum. Scimus, ſanctiſſime pater et domine, et ex antiquorum geſtis et libris colligimus, quòd inter ceteras

* *Al.* Retreve, *nunc* Rattray. † *Addunt libb. Cup. et Per.* Iſtud tamen fecerunt ante nigrum parliamentum per quinque menſes et ultra. ‡ Officii titulus deeſt in autogr.

nationes

nationes egregias noſtra, ſciz. Scottorum, natio multis præconiis fuerit inſignita: quæ majori Scythia * per mare Tyrrhenum et Columnas Herculis tranſiens, et in Hiſpania inter ferociſſimos per multa temporum curricula reſidens, à nullis, quantumcunque barbaris, poterat alicubi gentibus ſubjugari. Indeque veniens, poſt mille et ducentos annos à tranſitu populi Iſraëlitici, ſibi ſedes in Occidente, quas nunc obtinet, expulſis Britonibus, et Pictis omnino deletis, licet per Norwagienſes, Dacos, et Anglicos ſæpiùs impugnata fuerit, multis ſibi victoriis et laboribus quamplurimis acquiſivit; ipſaſque ab omni ſervitute liberas, ut priſcorum teſtantur hiſtoriæ, ſemper tenuit. In quorum regno centum et treſdecim reges de ipſorum regali proſapia, nullo alienigenâ interveniente, regnaverunt. Quorum nobilitates et merita, licet ex aliis non clarerent, ſatis patenter effulgent ex eo, quòd Rex regum et Dominus Jeſus Chriſtus, poſt paſſionem et reſurrectionem ſuam, ipſos, in ultimis terræ finibus conſtitutos, quaſi primos ad ſuam fidem ſanctiſſimam convocavit: nec eos per quemlibet in dicta fide confirmari voluit, ſed per ſuum primum Apoſtolum vocatione, quamvis ordine ſecundum vel tertium, ſcilicet Andream, mitiſſimum beati Petri germanum, quem ſemper ipſis præeſſe voluit ut patronum.

CAP. III.

De eodem.

HÆC autem ſanctiſſimi patres et prædeceſſores veſtri ſollicitâ mente penſantes, ipſum regnum et populum, ut beati Petri germani peculium, multis favoribus et privilegiis quamplurimis munierunt: ita quòd gens noſtra ſub ipſorum protectione libera hactenus deguit et quieta, donec ille princeps magnificus rex Anglorum Eadwardus, pater iſtius qui nunc eſt, regnum noſtrum acephalum, populumque nullius mali aut doli conſcium, nec bellis aut inſultibus tunc aſſuetum, ſub amici et confœderati ſpecie inimicabiliter infeſtavit. Cujus injurias, cædes et violentias, prædationes, incendia, prælatorum incarcerationes, monaſteriorum combuſtiones, religioſorum ſpoliationes et occiſiones, alia quoque enormia quæ in dicto populo exercuit, nulli parcens ætati aut ſexui, religioni aut ordini, nullus ſcriberet, nec ad plenum intelligeret, niſi quem experientia informaret. A quibus malis innumeris, ipſo juvante qui poſt vulnera medetur et ſanat, liberati ſumus per ſtrenuiſſimum principem, regem et dominum noſtrum, D. ROBERTUM, qui, pro populo et hereditate ſuis de manibus inimicorum liberandis, quaſi alter Macchabæus aut Joſue, labores et tædia, inedias et pericula læto ſuſtinuit animo: quem etiam Divina diſpoſitio, et juxta leges et conſuetudines noſtras, quas uſque ad mortem ſuſtinere volumus, juris ſucceſſio et DEBITUS noſtrorum omnium conſenſus et aſſenſus noſtrum fecerunt principem atque regem. Cui, tanquam illi per quem ſalus in populo noſtro facta eſt, pro noſtra libertate tuenda, tam jure quàm meritis tenemur, et volumus in omnibus adhærere. Quem ſi ab inceptis deſiſteret, et regi Anglorum aut Anglicis nos aut regnum no-

* De Græciæ finibus et Ægypti, *MSS. plerique, at non autographum.*

ſtrum

ſtrum volens ſubjicere, tanquam inimicum noſtrum, et ſui noſtrique juris ſubverſorem, ſtatim expellere niteremur, et alium regem noſtrum, qui ad defenſionem noſtram ſufficeret, faceremus: quia QUAMDIU CENTUM VIVI REMANSERINT, NUNQUAM ANGLORUM DOMINIO ALIQUATENUS VOLUMUS SUBJUGARI. Non enim propter gloriam, divitias aut honores pugnamus, ſed propter libertatem ſolummodo, *quam nemo bonus, niſi ſimul cum vita, amittit.* Hinc eſt, reverende pater et domine, quòd ſanctitatem veſtram omni precum inſtantiâ, genuflexis cordibus exoramus, quatenus ſincero corde menteque piâ recenſentes, quòd, apud eum cujus vices in terris geritis, non ſit pondus et pondus, nec diſtinctio Judæi et Græci, Scoti aut Anglici, tribulationes et anguſtias nobis et eccleſiæ Dei illatas ab Anglicis, paternis oculis intuentes, regem Anglorum, cui ſufficere debet quod poſſidet, cùm olim Anglia ſeptem aut pluribus ſolebat ſufficere regibus, monere et exhortari dignemini, ut nos Scotos in exili degentes Scotia, ultra quam habitatio non eſt, nihilque niſi noſtrum cupientes, in pace dimittat. Cui, pro noſtra procuranda quiete, quicquid poſſumus, ad ſtatum noſtrum reſpectu habito, facere volumus cum effectu. Veſtra enim intereſt, ſancte pater, hoc facere, qui Paganorum feritatem, Chriſtianorum culpis exigentibus, in Chriſtianos ſævientem aſpicitis, et Chriſtianorum terminos arctari indies; quantumque veſtræ ſanctitatis memoria derogat, ſi, quod abſit, eccleſia in aliqua ſui parte veſtris temporibus patiatur eclipſim aut ſcandalum, vos videritis. Excitet igitur Chriſtianos principes, qui non cauſam ut cauſam ponentes, ſe fingunt in ſubſidium Terræ Sanctæ, propter guerras quas habent cum proximis, ire non poſſe. Cujus impedimenti cauſa eſt verior, quòd in minoribus proximis debellandis utilitas propior, et reſiſtentia debilior æſtimatur. Sed quàm læto corde dictus dominus rex noſter et nos, ſi rex Anglorum nos in pace dimitteret, illuc iremus, qui nihil ignorat ſatis novit: quod Chriſti vicario totique Chriſtianitati oſtendimus et teſtamur. Quibus ſi ſanctitas veſtra, Anglorum relatibus nimis credula, fidem ſinceram non adhibeat, aut ipſis in noſtram confuſionem favere non deſinat, corporum excidia, animarum exitia, et cetera quæ ſequentur incommoda, quæ ipſi in nobis et nos in ipſis fecerimus, vobis ab Altiſſimo credimus imputanda; Ex quo ſumus et erimus, in his quæ tenemur, tanquam obedientiæ filii vobis, tanquam ipſius vicario, parati in omnibus complacere, ipſique, tanquam Summo Regi et Judici, cauſam noſtram tuendam committimus, cogitatum noſtrum jactantes in ipſo, ſperanteſque firmiter quòd in nobis virtutem faciet et ad nihilum rediget hoſtes noſtros. Sanctitatem ac ſanitatem veſtram conſervet Altiſſimus eccleſiæ ſuæ ſanctæ per tempora diuturna. Dat. apud monaſterium de Abirbrothoc in Scotia, ſexto die Aprilis, anno gratiæ milleſimo treœnteſimo viceſimo, anno verò regni regis noſtri ſupradicti quinto decimo.

Notandum eſt, quòd hæc litera miſſa fuit ante nigrum parliamentum, et eodem anno ut ſuprà.

CAP. IV.

De morte Thomæ de Lancaſtria, et de tranſitu regis Scotiæ in Anglia et Angliæ in Scotia.

ANNO Domini milleſimo trecenteſimo viceſimo primo, dominus Thomas Lancaſtriæ comes apud Burghbrig, per Andream de Hertclay capitur, regi Angliæ traditur, et apud Pontemfractum, xvj. die Januarii capite punitur, atque ibidem ſepultus requieſcit: ad cujus ſepulchrum plurima, ut fertur, fiunt miracula. In captione dicti comitis Lancaſtriæ comes Herfordiæ interfectus eſt, et plures alii nobiles Angliæ antedicto comiti benevoli et amici, cauſâ ipſius, morte turpiſſimâ condemnati ſunt. Eodem anno hiems graviſſima erat, quæ homines afflixit et cuncta fere animalia extinxit. Eodem etiam anno comes Moraviæ partes boreales Angliæ et epiſcopatum Dunelmenſem in principio famis, flammâ et gladio deſtruxit. An. Dom. milleſimo trecenteſimo viceſimo ſecundo, Robertus rex Scotiæ cum manu robuſta, primo die menſis Julii, Angliam eſt ingreſſus, eamque uſque Stanmor, cum comitatu Lancaſtriæ, pro majore parte devaſtans. Poſt cujus regreſſum, Eadwardus rex Angliæ intravit Scotiam cum magno exercitu equitum et peditum, ac navium multitudine copioſa, duodecimo die menſis Auguſti, et uſque villam de Edinburgh pervenit, quærens conflictum habere et congreſſum belli cum rege prædicto Scotiæ. Sed rex Scotiæ pro tunc belli congreſſum prudenter declinans, omnia animalia et cetera victualia quibus veſci licet, ab ipſius exercitu callidè removit. Qui poſt quindecim dies, urgente famis inediâ, et quia, propter maris intemperiem, de navibus non potuerunt Angli habere neceſſaria, ad propria rediit confuſus. Unde, præter propria carriagia, ad edendum non quæſierunt præter unum claudum taurum, qui cum ceteris armentis amoveri non poterat: propter hujus conqueſtum perdiderunt militem cum ſuis. Unde quidam miles Angliæ, comes viz. de Waren, dicebat, quòd illius tauri caro erat nimis cara. Quo tunc apud carbonarias de Tranent etiam accidit, quòd quidam claudus ruſticus carbonarius cum uncinata ſude attraxit ad ſe militem, qui multâ redemptione ditavit ruſtici pauperiem. Spoliatis tamen tunc in reditu Anglorum et prædatis monaſteriis Sanctæ Crucis de Edinburgh et de Melros, atque ad magnam deſolationem perductis. In ipſo namque monaſterio de Melros dominus Willelmus de Peblis, ejuſdem monaſterii Prior, unus etiam monachus tunc infirmus, et duo converſi cæci effecti, in dormitorio eorundem ab eiſdem Anglis ſunt interfecti, et plures monachi lethaliter vulnerati. Corpus Dominicum ſuper magnum altare fuit projectum, ablatâ pixide argenteâ in qua erat repoſitum. Monaſterium de Driburgh igne penitùs conſumptum eſt et in pulverem redactum. Ac alia pia loca quamplurima per prædicti regis violentiam ignis flamma conſumpſit: quod, Deo retribuente, eiſdem in proſperum non ceſſit. Nam eodem anno, primo die menſis Octobris, rex Robertus Angliam hoſtiliter ingreſſus, ipſam uſque Eboracum, ſpoliatis monaſteriis, oppidis et villis quamplurimis igni ſuccenſis, penitùs devaſtavit.

vaſtavit. Cui rex Angliæ Eadwardus II. apud Biland occurrens, cum magna potentia tam ſtipendiariorum de Francia et aliis plurimis locis mercede conductorum, quàm ipſius regni indigenarum, in medio regni ſui, non ſine magna ſtrage ſuorum et confuſione non modica, apud locum prænominatum in fugam converſus eſt. De cujus exercitu Johannes de Britannia, Henricus de Gourly, et alii nobiles non pauci ad monaſterium Rievallis fugientes, ibidem capti ſunt, et infinitâ poſtmodum pecuniâ redempti: ſicque rex Scotiæ cum ſuis lætâ potiti victoriâ, ingenti cum gaudio et honore ad propria redierunt. Eodem anno, primo die menſis Octobris, Andreas de Herclay * capitur, et de proditione convictus capite punitur.

CAP. V.

Rex Scotiæ mittit nuncios ad Franciam, pro renovatione ligæ, et ad Romanam curiam; et naſcitur rex David.

ANNO Domini milleſimo trecenteſimo viceſimo tertio, mittuntur ambaſſatores per regem Scotiæ Robertum, ad tractandum et renovandum amicitias et confœderationes antiquas inter reges Franciæ et Scotiæ priùs initas, et perpetuo robore reformandas, pro ſe et ſuis ſucceſſoribus perpetuis temporibus duraturas; ac etiam pro unitate et concordia habenda cum Romana eccleſia, quæ, ad ſuggeſtionem adverſariorum, contra regem et regnum aliqualiter fuit mota. Quibus omnibus feliciter expeditis, tam in Romana curia, quàm in Francia, ipſi nuncii ad propria proſperè ſunt reverſi.

Eodem anno natus eſt in Dunfermelyn David rex futurus; cujus nativitas intulit gaudium univerſo regno. Unde verſus:

Milleque trecentos viginti tres dabis annos,
Martius et lucem quintam menſis dabit in ſe;
Hoc anno Domini dat Scotis gratia Chriſti
In Dumfermelina, quo proles eſt data bina,
Felicem David, quem Robertus generavit
Rex. Hic firmavit dubios et corda levavit.
Ergò gaudete, Scoti, nullumque timete:
Tuti videte, ſpem firmam ſemper habete.
Nam conſternata manet Anglia, ſpe viduata,
Plangendo fata, pro prole pia modò nata.
Vita ſibi grata detur, rogo, famaque lata.

De ejuſdem nativitate, ſecundùm Bernardum abbatem de Abirbrothoc, verſus:

M. ſemel et C. ter, bis X. ſi junxeris I ter,
In quinta menſis Martî novus affuit enſis;
Natus in orbe David, qui Scotos lætificavit.
Rex noſter Scotus Robertus, robore notus,
Ante ſuam mortem genuit ſimilem ſibi ſortem.
Filius hic regis, poſt patrem, lumina legis
Diriget, augebit, populum probitate fovebit.

* Berclay, *edit.* H. Erclay, *alii codd.*

Iſte

Iſte manu fortis Anglorum ludet in hortis;
Vel faciat pacem Deus inter regna tenacem.

Etiam de ipſius nativitate per quendam monachum de Abirbrothoc:

M. ſemel et C. ter, X. bis, ſed et I. adhibe ter,
In Martis trino Nonas, præſtante ſuperno
Rege, puer natus fuit atque David nominatus;
Quem prece devotâ poſcebat concio tota
Regni Scotorum, princeps ut poſſet eorum
Poſt patrem fieri, regnum populumque tueri.
Præfatum David rex Robertus generavit:
Cujus habet nomen, det ei Deus illius omen.

Hoc anno Anglici petunt treugas à rege Scotiæ, et, ob novi hujus partûs congratulationem, conceduntur ad annum duraturæ.

CAP. VI.

De ſpiritu Guidonis.

SCribit frater Johannes Goby domino Johanni XXII. ſummo pontifici, ſub atteſtatione ſigilli communis civitatis Aleſci, quoddam quod ſequitur mirabile, prope curiam Romanam: de quo ſtupor magnus exortus eſt in partibus, miratur eccleſia, dominus Papa et cardinales, de quodam ſpiritu cujuſdam boni hominis qui deceſſerat: cujus ſpiritus frequenter auditus eſt, et non tantùm in ſecreto, ſed præſentibus tam religioſis, quàm laicis, in multitudine copioſa; et non tantùm ſemel, vel bis, ſed etiam pluries, quia toties venit ad locum ubi manere conſuevit. Ideo factæ ſunt ſibi interrogationes per viros religioſos et fide dignos. Et quomodo, inquit, reſpondit et copiam reſponſionis ipſius, veſtræ ſanctitati tranſmitto. Ad ſecretiora verò quæ de myſteriis fidei ſunt, eſt interdicta ſibi poteſtas ut debet reſpondere, &c. Semper conſervet vos Chriſtus ad regimen eccleſiæ ſuæ, &c. Sequitur:

An. D. MCCCXXIII. in feſto natalis Domini, ego frater Johannes Goby ordinis Prædicatorum Prior, in conventu de Aleſco in provincia Provinciæ, rogatus per meliores homines de Aleſco, ut irem ad domum Guidonis de Corvo: in qua quidem domo per octo dies integros, à die defunctionis ſuæ, quædam vox fuerat audita per multos et meliores homines de Aleſco. Licet invitus iverim, tamen ut probarem an eſſet fictitium, an illuſio dæmonis, illuc ivi, aſſumptis mecum tribus fratribus de conventu, ſcil. Johanne Genofoſſi lectore philoſopho, fratre Deodato Durante, et fratre G. Radin. Et præter iſtos iverunt mecum plus quàm centum ſeculares, ſcilicet dominus de Aleſco, Willelmus de Cadoena, G. Carcoſi, et ceteri, et multi alii quos ex nomine non agnoſcebam. Cúmque veniſſemus ad dictum hoſpitium, ad majorem evitationem fictitii, ſcrutati fuimus diligentiſſimè totum hoſpitium, et etiam tegulas; et non ſolùm illud, ſet etiam omnia hoſpitia convicina. Et in omnibus hoſpitiis perſcrutatis poſuimus meliores homines de villa cuſtodes, probos et bonos viros, et ejecimus omnes inhabitantes. In duobus verò locis dicti hoſpitii magis periculoſis pro fictionibus, poſuimus

mus meliores homines de villa, ſcilicet ſuper ſolarium ſituatum ſupra cameram, ubi audiebatur vox prædicta, necnon et juxta medium aſſerum. Et ne forſitan uxor dicti defuncti poſſet nobis aliquam fraudem facere, ordinavimus quòd una bona et antiqua mulier jaceret in uno lecto cum prædicta uxore defuncti. Clauſis verò januis, ego interrogavi uxorem, in quo lecto vox illa magis audiebatur: quæ reſpondit, quòd, ſecundùm æſtimationem ſuam, in lecto quo mortuus fuerat. Et tunc ego cum tribus ſociis meis, quibus ſua lanterna accenſa, ſedimus ſuper lectum dicti mortui. Verùm tamen ego continuè multùm timens quòd eſſet illuſio dæmonis, acceperam, quando receſſeram de conventu, ſic ſecretè quòd nullus ſciebat, niſi ego ſolus, corpus Chriſti, et cum devotione quâ poteram mecum portavi, et hoc ſocii mei neſciebant.

CAP. VII.

De eodem.

CUM verò dixiſſemus novem lectiones mortuorum cum letania; in fine dictæ letaniæ, quædam res inviſibilis tranſivit ante nos. Incepit ire verſus lectum uxoris, et faciebat ſonum ac ſi ſcopa ducta eſſet per ſolum. Tunc adhuc durante illo ſono et ſtante coram nobis, prædicta uxor mirabili modo incepit concuti et timere, ac etiam altâ voce clamare, *Ecce! ecce!* noſque aliquantulum perterriti tacuimus: ſed magiſter P. de Gurgeria introduxit uxorem, ut peteret quid eſſet. Illâ verò interrogante, an eſſet Guido de Corvo defunctus, ſtatim quædam vox debilis quaſi deſerta reſpondit, tanquam in cameræ medio, quòd ſic. Et tunc ego, timore depoſito, cum ſociis meis acceſſi ad locum, in quo, ſecundùm æſtimationem meam, vox illa loquebatur, et audivimus eam, ita quòd clarè percepimus eam eſſe in medio noſtri. Ego autem, muniens me ſigno crucis, interrogavi eam ſi cognoſceret me: qui reſpondit, quòd ſic. Tunc frater Johannes Gonoſoſſi, ſocius meus, interrogavit eum ſi ipſum cognoſcebat: reſpondit, quòd non. Et cito factus eſt concurſus magnus omnium circa nos. Et, cunctis aſtantibus et audientibus, conjuravi eum ſic: Adjuro te creaturam Dei, per potentiam ejus infinitam, per ejus ſapientiam ineffabilem, per ejus bonitatem immenſam, ac per virtutes omnes Sanctiſſimæ Trinitatis quibus omnia recreavit, per myſterium ſanctæ Incarnationis, per meritum ſuæ Paſſionis benedictiſſimæ, per victorioſam et glorioſam ejus Reſurrectionem, et per omnes ordines ſanctorum Angelorum, ac per omne illud quod ex Divina virtute poteſt te plus aſtringere, conjuro te et aſtringo te, ut non recedas de iſto loco, quouſque veraciter et ſine omni falſitate reſponderis mihi de omnibus hiis, de quibus volo interrogare. Qui reſpondit, Bene, faciam. Et tunc ego interrogavi eum, an eſſet bonus ſpiritus, vel malus. Qui reſpondit, quòd bonus ſpiritus erat. Item conjurando nunc ut in omnibus ſequentibus quæſtionibus, quantum poteram interrogare, an eſſet ſpiritus qui ſine defectu finaliter haberet beatitudinem et attingeret ad ſalvationem. Reſpondit, quòd ſic. Item interrogavi eum quid eſſet: et reſpondit, Quidam ſpiritus qui faciebat et recipiebat eum purgatorium ſuum. Frater, Quare ibi plus quàm in

alio loco? Reſpondit, quòd ibi commiſerat peccatum. Frater, Quod fuerat illud peccatum? Reſpondit, quòd offenſa ſuæ matris. Frater, Si peccatum offenſionis parentum erat magnum apud Deum? Reſpondit, maximum: et mirabilis offenſa Dei erat. Frater, Si pateretur pœnam ſuam in communi purgatorio, vel particulari? Reſpondit, quòd in particulari, ſcilicet in illo hoſpitio, in quo, pro ſupradicto peccato, debebat morari duobus annis, niſi ſibi ſuffragia et beneficia ſubvenirent. Frater, Quæ beneficia plus ſubveniebunt? Reſpondit, quòd miſſæ, et poſt, inter alias orationes, ſeptem pſalmi pœnitentiales. Frater, Quam pœnam pateretur? Reſpondit, Flammæ. Frater, Quomodo ſpiritus incorporeus poterat pati flammam corpoream? Reſpondit, quòd homo fiebat per potentiam et voluntatem Dei.

CAP. VIII.

De eodem.

INterrogavit eum Frater, An bonus Angelus vel Diabolus duxiſſet eum ad locum ſuæ pœnæ? Reſpondit, quòd bonus. Frater, An illâ die eſſent facta aliqua ſuffragia pro eo? Reſpondit, quòd ſic. Frater, Qui erant illi qui ſibi bona fecerant? Reſpondit, Tu et alii ſacerdotes qui pro me celebrabant. Frater, Dicas mihi, de quo celebravi? Reſpondit, De Spiritu Sancto. Tunc ego in iſta reſponſione non perfectè ipſum intelligens, dixi, Mentiris: nam licet in miſſa mea duas orationes dixerim, tamen principale officium fuit de mortuis. Verùm tamen illi qui aſtabant dixerunt, quòd mortuus bene reſponderat, quòd virtute Spiritùs Sancti, cujus in miſſa memoriam feceram, ſua pœna multùm fuerat alienata, quamvis ego hoc perfectè non intellexerim primâ facie. Frater, Quot miſſæ poterant eum juvare, et de pœna illa expedire? Reſpondit, Centum. Frater, Si indulgentiæ per me acquiſitæ poterant ſibi proficere, ſi ego me eis exſpoliarem et eum induerem? Reſpondit, quòd ſic. Et tunc ego exſpoliavi me, quantum poteram, de omnibus indulgentiis conquiſitis per unum annum, et dedi ſibi. Frater, Si in punctu mortis erat horribilis concurſus dæmonum? Reſpondit, quòd ſic. Frater, Si dæmones haberent fidem de Trinitate? Reſpondit, quòd habebant credulitatem. Frater, Si peccata confeſſa replicabantur in morte! Reſpondit, quòd ſic, illa de quibus ſatisfactum non erat. Frater, An immediatè poſt mortem haberet ſcientiam de rebus naturalibus? Reſpondit, quòd ſic. Et tunc ego dixi; Quare ergo, ex quo tu habes talem ſcientiam, non loqueris mihi literaliter? Reſpondit, Non poſſum. Cui ego, Quare non potes? Reſpondit, quòd voluntas Dei non eſt. Et ſtatim ſubjunxit, Rogo vos ut dimittatis me, et me ampliùs non vexetis. Ego verò, adhuc dubitans quòd eſſet malus ſpiritus, qui vexaretur ex præſentia corporis Chriſti, quod mecum portabam, conjuravi eum ſic; Adhuc conjuro te per virtutem illius qui te creavit, et ſub cujus dominio eſt omnis ſpiritus, ut dicas mihi, ſi ego porto vel habeo aliquam virtutem, ſeu aliquod bonum ſuper me: reſpondit, Ita, corpus Chriſti. De quo omnes mirabantur. Et extunc omnes conjurationes quas ſibi feci, feci in virtute corporis Chriſti,

Chriſti, quod præſentialiter tenebam. Item interrogavi eum, in virtute corporis Chriſti, quid ejus corpus ageret contra dæmones? Reſpondit, quòd ſummè terrebat eos. Frater, Quare non veniebat ad religioſos, vel ad alias perſonas quæ eum poſſunt juvare, plus quàm uxor ſua? Reſpondit, quòd non poterat, quia Deus nolebat. Frater, Quare veniebas plus ad uxorem tuam quàm ad aliam perſonam? Reſpondit, quòd plus eam diligebat. Frater, Quare tunc eam ſic terrebas et dimittebas eam ſic deſolatam, cùm illa eſſet conditio mali ſpiritûs? Reſpondit, Ego non poſſum ſibi nocere. Ipſa autem ſcit cauſam deſolationis ſuæ. Frater, Si ex tempore quo mortuus fueras, ſciebas aliquem eſſe damnatum vel ſalvatum? Reſpondit, quòd de hoc non permittebatur loqui à Deo. Frater, Quid plus juvabat in punctu mortis? Reſpondit, quòd meritum paſſionis Chriſti et virginis Mariæ et aliorum Sanctorum. Frater, An ſentis alleviationem aliquam ex præſentia corporis Chriſti? Reſpondit, quòd ſic, et dæmonis afflictionem. Et tunc ego dixi; In virtute ergo corporis Chriſti præſentis, præcipio tibi ut ſequaris me et Chriſtum benedictum, cujus virtute liberaberis à pœna purgatorii. Reſpondit, Libenter. Et ego incepi eum inquirere, an fuiſſet in vita ante mortem confeſſus et perfectè contritus, et aliqua alia de virtute confeſſionis, et quare meliùs ipſe quàm alius apparebat. Et cùm reſpondere inciperet, ego volens probare an ſequeretur corpus Chriſti, incepi ire verſus portam, et ipſe ſequebatur.

CAP. IX.

De eodem.

ET quia aliter non poteram tranſire niſi coram lecto uxoris, ipſa advertens quòd ſibi ſpiritus appropinquabat, inde fuit ita ſubitò perterrita, quòd ibi cecidit quaſi mortua. Et ſic omnes propter eam impediti non potuimus intelligere quid ad præmiſſa reſponderet. Cum hoc mulier cœpit ſtridere dentibus ſuis, et ad modum mulieris furibundæ altiſſimè clamare: ad quam cucurrerunt omnes ad videndum exitum hujus caſûs. Tunc Prior ad ſpiritum; In virtute paſſionis Chriſti, quæro à te cauſam hujus perturbationis uxoris tuæ? Reſpondit, Ipſamet ſcit, cauſam pete ab ea: quæ ad petita nihil reſpondit. Poſt hoc omnibus ſilentibus, cœpit mulier palpitare membra ſua, et voce magnâ dicere, Domine Jeſu Chriſte adjuva me in iſto labore quo graviter ſum vexata. Quod audiens Prior, interrogavit à ſpiritu cauſam. Reſpondit, Interroga, inquit, eam, ſi ſcire vis. Ad quam Prior; O bona mulier, indica mihi hujus triſtitiæ tuæ cauſam. Tunc ipſa, quaſi in extaſi facta, nihil reſpondebat ei. Tunc Prior, cum impetu animi ſui, dixit ad ſpiritum; Adjuro te, creatura Dei, per virtutem vulnerum et corporis Jeſu Chriſti, et per lac et lacrimas matris ejus, ut nunc mihi dicas hujus rei veritatem. Reſpondit, quòd pro quodam enormi peccato, quod hîc commiſimus, de quo ambo ſumus confeſſi, ſed illa adhuc non ſatisfecit: ideo modò ſatisfaciat. Ad quem Prior, Indica mihi in Dei nomine, ut per me alii conjugati poterint præmuniri, ne faciant idem vel ſimile. Reſpondit, quòd hoc non vult Deus, quòd idem peccatum deveniat ad aures hominum, quod ab aure Dei deletur

per

per confeſſionem: nam Deus oblitus eſt illud quoad culpam, ſed non quoad pœnam; ideo mihi et ſibi nunc dat pœnam. Tamen dicas, Prior, conjugatis et prædica ſemper, ut meliùs inter ſe teneant regulas matrimonii: ſunt enim diverſi caſus in quibus peccant conjugati; et niſi meliùs ſe abſtineant, Deus capiet inde gravem vindictam. Hæc enim fuit cauſa principalis, quare Deus miſit me loqui tibi, ut hæc omnia ad cautelam forent aliorum. Et extunc de nocte illa nil plus audivimus. Poſtmodum verò in vigilia Epiphaniæ, ad majorem certitudinem de prædictis habendam, ivi iterum illuc, et duxi mecum tres fratres, et in præſentia horum qui intererant diximus officium defunctorum. Quo dicto, pertranſivit quædam res inviſibiliter coram nobis, conſimilem ſonum faciendo quem in prima apparitione fecerat. At uxor defuncti muniens ſe ſigno crucis, portanſque ſecum evangelium Sancti Johannis, ac dicto *Verbum caro factum eſt*, licet multùm timeret, tamen ad informationem noſtram dixit ei; Conjuro te per beatiſſimam paſſionem Domini noſtri Jeſu Chriſti, in cujus cuſtodiam pono animam meam et corpus meum, ut in aliquo non noceas mihi, ſed dicas ſi tu es ſpiritus Guidonis de Corvo quondam mariti mei. Reſpondit, quòd ſic. Tunc Prior conjuravit ſpiritum, ſi credebat filium Dei veram carnem humanam accepiſſe pro redemptione humani generis, remanente integrâ inviolatâque virginitate glorioſæ virginis. Reſpondit, quòd ſic. Poſt hujuſmodi multos dialogos, et commendationem beneficiorum ſanctæ matris eccleſiæ exhibitorum animabus purgandis, et qualiter de die ille ſpiritus patiebatur in purgatorio, et in nocte in illo particulari loco. Et tandem ejuſdem animâ recommiſſâ ab omnibus imperſcrutabili miſericordiæ Dei, lætiùs quodammodo licentiam petens, tanquam ſibilus auræ levis inſufflavit omnes et evanuit. Et qui iſta viderunt teſtimonium perhibuerunt. Quibus Romana eccleſia aſſentivit, affirmans, quòd ſancta et ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccato ſolvantur.

CAP. X.

De ſpiritibus poſt mortem apparentibus, et quòd periculoſum eſt homini ſe dæmonibus commendare.

PRimò igitur miretur, nec in dubium vertat, quoniam ex permiſſione Dei poſt mortem ſpiritus hominum diverſimodè apparent, ſicut GREGORIUS in quarto Dialogorum manifeſtè inſinuat: ſed vulgus et aggreſtes homines ſæpe ſunt illuſi maligni ſpiritûs machinamento, qui eis interdum apparent, fingentes ſe eſſe ſpiritus carorum ſuorum. Et ideo maxima cautela adhibenda eſt hujuſmodi fantaſticis apparitionibus, quæ ſunt de reliquiis infidelium, gentilium et poëtarum. Hæc huic operi inſero, pro eo quòd MACROBIUS, ad probandum animas è cœlo lapſas, inducit auctoritatem reſponſi Delphici, ſcilicet, GNOTHI SEAUTON*. Et hanc eſſe hominis agnitionem ſui dicit, ſi exordia prima reſpexerit, ut ex conſcientia ſuæ nobilis originis virtutes induat, quibus eò, unde deſcenderat, reaſcendat. Eodem loco accipienda eſt Virgilii auctoritas de heroibus, quos apud inferos relegavit, quos dicit

* *Nothos olithos*, MS.

noſcere

noſcere ſolem ſuum et ſidera: qui etiam res leviores, quas vivi exercuerant, eos poſt mortem exercere teſtatur. Hæc autem opinio falſitatis inde, ni fallor, ſumpſit exordium, ſicut ait HELMANDUS; quòd animæ defunctorum, peccatorum ſuorum pœnas luentes, multis apparere ſolent in eo habitu in quo priùs vixerant, i. e. ruſtici in ruſticano, milites in militari, ſicut vulgus aſſerere ſolet de familia Helliquini, de qua Henricus Aurelianenſis epiſcopus referre ſolebat rem valde mirabilem, quam ipſe audierat ab ipſo qui viderat, ſcilicet à Johanne Aurelianenſis eccleſiæ canonico. Burchardus, inquit, archidiaconus, cognomento de Pinſaco, iturus erat Romam. Rogavit enim me, dictum Johannem, ut quendam clericum, Natalem nomine, domûs meæ œchonomum et ſocium darem, quia cautulus erat in rei familiaris cuſtodia, bonus diſpenſator, prudens et fidelis, quod rariſſimè in diſpenſatoribus invenitur. Volebat ergo idem Burchardus hunc habere ſocium itineris ſui; non tam ideo quòd eum diligeret, quàm quia pecuniæ ſuæ, ut avariſſimus, timeret. Ego autem tam nobili perſonæ, et archidiacono modò, non potui hoc negare. Præcepi ergo Natali clerico meo, ut cum eo iret, et ei, tanquam mihi, in omnibus obediret. Quod ille tanquam invitus annuit, timens mores Burchardi, cujus avaritiam non ignorabat. Inieramus autem ego et Natalis fœdus quoddam ſecretiſſimum, quòd uter ex nobis priùs moreretur intra xxx. dies, ſi poſſet, ad ſocium ſuum rediret, nihil ei in apparitione ſua terroris incutiens, ſed blandè commonefaciens et de ſtatu ſuo certificans. Cùm autem jam prope Romam eſſent, accidit quodam die, ut præfatus Burchardus cum Natali clerico rationem poneret de quotidianis expenſis, et de magna ſumma minutulè ſingulos nummos et obulos exigeret, qui in quos uſus abiſſent. Natalis autem, qui tam minutas rationes reddere mihi non conſueverat, quippe cui ego, tanquam mihi, credebam, iratus adverſus virum nobilem ſordidiſſimæ providentiæ, cùm in reddenda ratione deficeret, quod auditu quoque horrendum eſt, dæmonibus ſe commendavit. Eodem autem die, cùm quandam aquam tranſvaderent, Natalis ſubmerſus eſt. Sequenti verò nocte proximâ, cùm in lecto meo quieſcerem vigilans, et coram me lumen fulgeret in lampade, quia ſemper nocte conſuevi tenebras horreſcere, ecce Natalis clericus meus aſtitit, cappâ indutus plumali, ſicut mihi videbatur, pulcherimâ coloris plumbei. Ego autem nihil omnino territus, et eum optimè recognoſcens, cœpi, quaſi gratulans, de tam maturo ejus reditu Tranſalpino, ad eum dicere; Natalis, bene veneris: nunquid jam rediit archidiaconus? Non, inquit, domine, ſed ego ſolus redii juxta conſtitutum; mortuus enim ſum. Nolite ergo timere; ego nullum timorem vobis inferam: ſed precor ut ſuccurratis mihi; ego enim in magnis tormentis ſum. Cur, inquam? ſatis enim honeſtè vixiſti apud me. Domine, inquit, verum eſt: bene quidem mihi eſſet niſi hodie, ſubitâ præventus irâ, me dæmonibus commendâſſem. Rogo autem vos ut quoſcunque potueritis moneatis, ut hoc nunquam faciant: qui enim ſe commendat dæmonibus, dat eis poteſtatem ſuper ſe, ſicut et ego miſerrimus feci. Unde poteſtatem habuerunt, ut me ſtatim ſubmergerent; et propter hoc ſolùm torqueor. Nam benè confeſſus eram de omnibus peccatis meis, et in nullum rececideram. Tunc ego; Quomodo tam pulchram cappam habes, ſi

tormentis es? Domine, inquit, hæc cappa, quæ tam pulchra vobis videtur, ponderosior et gravior est mihi quàm turris Pinarienſis, ſi mihi ſuperpoſita eſſet. Pulchritudo autem iſta ſpes eſt veniæ quam habeo, propter confeſſionem quam feci, ſi tamen mihi ſuccurratur. Cui ait; Certè, inquam, ego tibi ſuccurram quantumcunque potero: ſed obſecro ut dicas mihi ſi es deputatus in illa militia quam dico Helliquini. Et ille; Non domine: illa militia non vadit, ſed nuper ire deſiit, quia pœnitentiam ſuam peregit: corruptè autem dictus eſt à vulgo Eliquinus, pro Karliquinus. Fuit enim Carolus quintus, qui peccatorum ſuorum longam egit pœnitentiam, et nuper tandem per interceſſionem beati Dionyſii liberatus eſt. Sed rogo vos ut miſereamini mei. Et hæc dicens, cum fletu evanuit.

CAP. XI.

Aliud exemplum ad idem.

HÆC idcirco dixi, ut per hoc eluceſcat unde ſumpſit initium Virgilianus error, de animabus defunctorum, quas heroas appellat, dicens habere eandem curam eorum equorum et curruum et armorum poſt mortem, quam habuerant dum vivebant. De qua re certiſſimum referrebat exemplum Hellebaudus, Henrici quondam archiepiſcopi Rhemenſis cubicularius. Dicebat enim: Dominus meus archiepiſcopus mittebat me apud Attrebatum. Dum autem, circa meridiem, apud quoddam nemus appropinquaſſem, ego et famulus meus, qui me præcedebat, celeriùs equitans ut mihi pararet hoſpitium, audivit ille tumultum magnum in nemore, quaſi multiplices et varios equorum fremitus, armorum ſonitus, et velut voces multitudinis impetu proruentis in bellum. Expavefactus ergo ipſe, et equus ejus continuò regreſſus eſt ad me. A quo cùm quærerem quare reverteretur, reſpondit, Equus meus non fuſte nec calcaribus cogi poteſt ut procedat. Ego etiam ipſe adeo territus ſum, ut omnino procedere non audeam: mira enim vidi et audivi. Nemus enim iſtud defunctorum animabus et dæmonibus plenum eſt. Audivi autem eos clamare, et dicere; Jam habemus præpoſitum de Area: in proximo autem habebimus archiepiſcopum Rhemenſem. Ad quod ego reſpondi; Signum crucis noſtris frontibus imprimamus, et ſecurè procedamus. Cùm ergo proceſſiſſem et ad nemus perveniſſem, jam umbræ præceſſerant, et tum voces quaſdam confuſas audivi, et fragores armorum et equorum fremitus; ſed nec umbras videre, nec voces intelligere potui. Cùm autem rediſſemus, jam archiepiſcopum invenimus in extremis, nec poſt has voces diebus quindecim ſupervixit. Unde conjicitur eum ab illis ſpiritibus raptum, à quibus auditum fuerat rapiendum. Hinc apparet quales equi ſunt illi ſuper quos aliquando videntur equitare; ſunt enim dæmones ſe in equos transformantes, quorum ſeſſores ſunt animæ miſerrimæ peccatis oneratæ, tanquam armis quibuſdam et clipeis onuſtatæ, ſed revera propriis ſceleribus in formis talibus onuſtatæ, juxta illud propheticum; "Deſcenderunt in infernum cum "armis ſuis: id eſt, cùm membris ſuis quæ fecerunt arma iniqui-"tatis peccato, nolentes ea facere arma juſtitiæ Deo." Certum eſt autem equum eſſe animal ſuperbum et contumax, contentionis et belli

belli cupidum, ferventem ad coïtum, et in libidine præpotentem. Dæmones igitur, in equos transformati, ſignant ſeſſores ſuos ſe hujuſmodi ſceleribus oblectâſſe. Talis erat equus ſuper quem aſcendit infelix ille Maſticonenſis ſacrilegus, raptor decimarum, et ſpoliator perſonarum eccleſiaſticarum: de quo refert abbas Cluniacenſis, quòd cùm quâdam die ſolenni in proprio palatio cum ſuis ſederet ſatellitibus, bibens vinum in jocunditate de vaſis eccleſiæ exſpoliatis, repentè ignotus homo inſidens equo nigerrimo per oſtium palatii ingreſſus, cunctis videntibus et mirantibus, uſque ad ipſum pervenit, dicens ſe velle ei colloqui, imperans ei ut ſurgeret et ſequeretur. Qui, inviſibili potentiæ non valens reſiſtere, ſurrexit, et uſque ad portam palatii proceſſit, ubi equum paratum invenit: quem juſſus ſtatim aſcendit; cujus habenas alter accipiens, velociſſimo curſu per aëra cunctis videntibus ferre cepit: ille autem miſerabiliter clamans, *Succurrite, cives, ſuccurrite*, totam civitatem commovit. Omnes autem eum currentem per aëra conſpexerunt, quamdiu naturali oculorum acie potuerunt: ſicque tandem ſubtractus viſibus hominum, factus eſt æternus ſocius dæmonum. Nunc ad annalia redeamus.

CAP. XII.

Quomodo regina Angliæ conduxit ſtipendiarios, et incarceravit maritum ſuum regem.

ANNO Domini MCCCXXVI. domina Elizabeth regina Angliæ conduxit mercede ſtipendiarios quamplures, de diverſis mundi partibus: quæ, capto rege Eadwardo ſecundo, marito ſuo, et carceri mancipato, Hugonem de Spenſa cum patre ſuo patibulo ſuſpendi juſſit et demembrari. Et, ob cauſam hujus ſeditionis, unus epiſcopus Londoniis decollatur*. Comites verò et barones ac plures nobiles paſſim morte turpiſſimâ condemnantur. Eodem anno Eadwardus tertius poſt conquæſtionem, tunc quindecim annorum, patre carceri mancipato, in regem Angliæ coronatur, inunctus in feſto purificationis beatæ Mariæ virginis. Annus etiam iſte, ultra memoriam tunc viventium, ubique terrarum fertilis in omni rerum et victualium abundantia fuit copioſus.

Anno eodem apud Cambuſkineth totus clerus, comites et barones, ac univerſi nobiles Scotiæ, unà cum populo ibidem congregato, David, filio et heredi regis Roberti de Bruce, de fidelitate et homagio adjurati ſunt, et etiam Roberto Seneſcalli, nepoti regis prædicti, in caſu quo idem David ſine prole in fata deceſſeret, in præſentia domini regis Roberti de Bruce: ubi etiam Andreas de Moravia dominam Chriſtianam, ſororem ipſius regis, duxit in uxorem.

Anno ſequenti Anglici mittunt nuncios ad regem Scotiæ, ſimulantes ſe velle ſuper firma pace habenda tractare: ſed ſæpe ad invicem convenientes nihil profecerunt. Tandem, detectâ eorum fraude, Scoti cum manu valida partes boreales Angliæ intraverunt, decimo ſeptimo Kal. Julii, ipſam flammâ et gladio devaſtantes. Eodem anno menſe Auguſti †, comes Moraviæ et Jacobus de Douglas, cum multis nobilibus

* Al. *ſuſpenditur.* † *Octobris*, MSS. plerique; at infra dicuntur rediiſſe in vigilia S. Laurentii, i. e. ix. die Auguſti.

Scotiæ,

Scotiæ, armatâ manu Angliam invadunt, et poſt plura damna Anglicis illata, in quodam arcto loco, nomine Werdale, ſimul fixere tentoria: quibus ex oppoſito, et quaſi in exitu itineris, agmina Anglorum, numero plures quàm centum millia, in circuitu Scotorum ſunt collocata. Ubi octo diebus exercitus ſe mutuò quotidie viderunt, et quotidie mutuis cædibus ſe afflixerunt. Tandem verò Scoti, ut prudentes bellici, captatâ horâ ſeipſos ſalvandi, pluribus hoſtium morte proſtratis per nocturnos circuitus, et captis plurimis Anglicis et Hannonibus, ſani et incolumes ad propria revertuntur, in vigilia videlicet S. Laurentii *.

Eodem anno, quinto Idus Aprilis, obiit nobilis bellator Walterus Stewart, gener regis Roberti de Bruce, et pater regis Roberti ſecundi. An. Dom. MCCCXXVII. ſeptimo Kalendas Novembris, obiit domina Elizabeth regina, mater regis David, et ſepulta eſt in choro de Dunfermeling, juxta regem Robertum ſponſum ſuum. Eodem anno poſt Scotorum regreſſum de Anglia, paucis interjectis diebus, rex Scotiæ caſtrum de Norham, et cito poſt caſtrum de Alnewik, viciſſim obſeſſit: et in eadem obſeſſione apud Norham, Willelmus de Monte-alto miles, Johannes de Clapham, et Maliſius † de Dobery, cum aliis, propriâ inertiâ interfecti ſunt. Eodem anno, decimo ſeptimo die Martii, mittuntur ambaſſiatores à rege Angliæ ad regem Scotiæ apud Edinburgh, ad ordinandum et tractandum ſuper firma et perpetua pace. Ubi, poſt diverſos tractatus et multa ac varia guerrarum utriuſque regni diſcrimina, reges prædicti ſuper pace indiſſolubili et perpetua obſervanda ad invicem concordati ſunt; præſtitis ſuper hoc juramentis majorum et digniorum utriuſque regni, in animas utriuſque regis jurantium, ad obſervandum omnia et ſingula fideliter, et perpetuis temporibus inconcuſſè duratura; quæ in ſuis inſtrumentis hinc inde ſuper forma pacis confectis, ſub certis articulis pleniùs continentur. De his treugis dictum eſt;

M. ſemel et C. ter, bis X. jungas ſimul I. ter,
In cyclo tali, ſuffertur ab exitiali
Guerrarum peſte; capiuntur et undique treugæ:
Denos et ternos creduntur ſtare per annos.
Interea pacem Deus addat in orbe tenacem.

Et ut pax vera eſſet, non ſolùm inter eos, ſed etiam perpetuè inter ſuos ſucceſſores et regna, rex Angliæ Eadwardus de Windeſour, pro ſe et ſucceſſoribus ſuis regibus Angliæ, reſignavit omni juri et clameo, veris vel prætenſis, quæ habuit vel habere potuit in vel ad regnum Scotiæ, ſub tenore hujuſmodi:

* *Addunt MSS. Cuſp. et Perth. ſtratagema, viz.* Caute enim egerunt Scoti in præmeditatione fugæ; quia cum eſſent obſeſſi maxima Anglorum multitudine, et victualia omnino eis defuerunt, nocte hac, qua de diſtrictu Anglorum dilapſi ſunt, ſimulabant ſe velle exſpectare, fulcientes ſocos ſuos lignorum maximâ materiâ. Propter quod impercepti ab Anglorum quaſi vigilibus, per medium eorum ibant. Simile ſcribit Frontinus, quod Alexander, ut falleret Darium, volens tantam multitudinem ſapienter declinare, in ſuo receſſu canes et aſinos ligatos in caſtris reliquit, quos cum latrantes rudenteſque hoſtes audirent, créderent Alexandrum remanere. † Robertus de Dobery, *edit. H.*

Tenor

Tenor literæ.

UNIVERSIS præſentes literas inſpecturis, Eadwardus Dei gratiâ rex Angliæ, dominus Hiberniæ, et dux Aquitaniæ, ſalutem in Domino ſempiternam. Cùm nos nonnullique prædeceſſores noſtri, reges Angliæ, jura regiminis, dominii ſeu ſuperioritatis regni Scotiæ conati fuerimus obtinere, ob hocque motarum dira guerrarum diſcrimina Angliæ et Scotiæ regna diutiùs afflixiſſent; Nos, attendentes cædes, occiſiones, ſcelera, eccleſiarum deſtructiones, et mala innumerabilia quæ, hujuſmodi occaſione guerrarum, regnicolis utriuſque regni multipliciter contingebant, bonaque quibus regnum utrumque mutuis compendiis abundaret, perpetuæ pacis ſtabilitate connexum; ac per hoc, contra conatus noxios rebellare vel repugnare valentium, interiùs vel exteriùs, majori firmitate ſecurum; Volumus et concedimus per præſentes pro nobis, heredibus et ſucceſſoribus noſtris quibuſcunque, de communi conſilio, aſſenſu et conſenſu prælatorum et procerum, comitum et baronum, ac communitatum regni noſtri, in parliamento noſtro, quòd regnum Scotiæ per ſuas marchias, prout temporibus bonæ memoriæ Alexandri regis Scotiæ ultimò defuncti fuerunt habitæ et ſervatæ, magnifico principi domino Roberto Dei gratiâ regi Scotorum illuſtri, confœderato et amico noſtro cariſſimo, ſuiſque heredibus et ſucceſſoribus, diviſum in omnibus à regno Angliæ, integrum, liberum et quietum remaneat in perpetuum, abſque qualicumque ſubjectione, ſervitute, clamiove vel demanda. Et ſi quod jus nos, vel anteceſſores noſtri, in regno Scotiæ retroactis temporibus petierimus vel petierint quoquo modo, præfato regi Scotiæ, heredibus et ſucceſſoribus ſuis renunciamus et dimittimus per præſentes. Omnes autem obligationes, conventiones et pacta initas vel inita, qualitercumque, cum noſtris prædeceſſoribus quibuſcumque temporibus, ſuper ſubjectione regni Scotiæ vel incolarum ejuſdem, per quoſcumque reges vel incolas, clericos vel laicos, ipſius regni Scotiæ, pro nobis, heredibus et ſucceſſoribus noſtris, remittimus penitùs et omnino. Et ſi quæ literæ, chartæ, munimenta vel inſtrumenta reperiantur de cetero ubicumque, ſuper hujuſmodi obligationibus, conventionibus et pactis confectæ vel confecta, pro caſſis, irritis, inanibus et vacuis habeantur, nulliuſque volumus eſſe valoris vel momenti. * " Et ad præmiſſa omnia plenè, pacificè et fideliter perpetuis " temporibusob ſervanda, dilectis et fidelibus noſtris Henrico de Percy " conſanguineo noſtro, et Willelmo le Zouſch de Aſheby, et eorum " alteri, ad ſacramentum in animam noſtram inde præſtandum, per " alias literas noſtras patentes, plenam dedimus poteſtatem ac manda- " tum ſpeciale. In cujus rei teſtimonium, has literas noſtras fieri " fecimus patentes. Dat. apud Ebor. primo die Martii, anno regni " noſtri ſecundo.

" PER IPSUM REGEM ET CONSILIUM IN PARLIAMENTO."

Pro cujus reſignatione, et etiam damnis per regem Scotiæ Robertum et ſuos regi et regno Anglorum illatis, dictus rex Scotiæ dedit et con-

*Exemplaria noſtra ulterius non procedunt; cetera ſupplevimus ex inſtrumento publico Henrici de Wardlaw epiſcopi Sancti Andreæ, xvij. Martii A. D. 1415. Super ea re ex autographo confecto, eo præcipue quod apud Rymerum, non ex autographo, ſed è regiſtro quod vocant exhibeatur, tom. 4. pag. 337.

ceſſit eidem triginta millia marcarum in pecunia numerata. Et, ut præmiſſæ pactiones majoris firmitatis robur obtinerent, prædictus rex Angliæ ſuam ſororem, nomine Johannam de Turribus, David, filio regis Scotiæ Roberti et heredi, tradidit in uxorem.

CAP. XIII.

Hæc ſequens tallia deberet ſituari poſt primam talliam, quæ compoſita eſt per regem Robertum de Bruce, ut ſuprà, libro XII. *quæ etiam facta fuit anno tertio ante iſtam. Sed per mortem domini Eadwardi de Bruce regis Hiberniæ, anno quo interfectus fuit, compoſita eſt hæc ordinatio, de communi aſſenſu trium ſtatuum, ſuper tuitione et defenſione jurium et libertatum regni, et ſuper violatoribus dictæ ordinationis, ac etiam ſuper diffinitione ſucceſſionis ad regnum, &c.*

IN nomine ſanctæ et individuæ Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritûs Sancti, Amen. Anno ab incarnatione Domini milleſimo trecenteſimo decimo octavo, die dominicâ proximâ poſt feſtum S. Andreæ Apoſtoli, cum continuatione dierum ſubſequentium; ſereniſſimo principe domino Roberto, Dei gratiâ rege Scotorum illuſtri, ſuum plenum parliamentum apud Sconam tenente, cum prælatis, comitibus, baronibus, ac ceteris de communitate regni ſui, communi conſenſu omnium et ſingulorum prædictorum, inter cetera ipſius regni negotia, pro communi utilitate et ſecuritate ipſius regni ibidem tractata et ordinata, Ordinatum fuit in forma quæ ſequitur; viz. Quòd ipſi omnes et ſinguli, tam clerici quàm laici, prædicto domino regi et heredibus ſuis, tanquam regi ſuo et domino ligio, parebunt in omnibus, quilibet ſecundùm ſtatum ſuum et conditionem, et fideliter pro viribus eidem aſſiſtent, pro tuitione et defenſione jurium et libertatum regni memorati, contra omnes mortales, cujuſcumque potentiæ, quacumque poteſtate, auctoritate ſeu dignitate præemineant. Et quòd, ſi quis in poſterum, quod abſit, iſtius ordinationis violator exſtiterit, eo ipſo tanquam regni proditor et criminis læſæ majeſtatis reus in perpetuum habeatur. Item ordinatum fuit, et unanimi conſenſu omnium et ſingulorum prædictorum concordatum, quòd ſi contingat, quod abſit, prædictum dominum regem ſine herede maſculo, de corpore ſuo legitimè procreato, ſuperſtite et permanente, diem claudere extremum, Robertus filius dominæ Marjoriæ, bonæ memoriæ, filiæ dicti domini regis, ex nobili viro D. Waltero Seneſcallo Scotiæ, marito ſuo, legitimè procreatus, eidem domino regi, tanquam heres ſuus proximior et legitimus, in ipſo regno plenariè ſuccedat: Cui omnes ſupradicti de regno parebunt in omnibus, et fideliter aſſiſtent, ſicut de perſona domini regis ſuperiùs eſt expreſſum. Cujus quidem Roberti vel alterius heredis, de corpore domini regis procreati, ſi, tempore deceſſûs dicti domini regis, minoris ætatis exſtiterit, tutelam ſive curam, ac totius regni et populi cuſtodiam, de conſenſu unanimi omnium et ſingulorum de communitate, nobili viro domino Thomæ Ranulphi, comiti Moraviæ, ac domino Manniæ: et ipſo comite forſan medio tempore deficiente, quod abſit, nobili viro domino Jacobo de Douglas idem dominus rex aſſignavit, quouſque communitati regni, vel majori ac ſaniori parti, viſum fuerit ipſum Robertum

bertum, vel alium heredem ipſius domini regis, ut præmittitur, ad regni et populi regimen poſſe ſufficere.

Quam quidem aſſignationem tutelæ, curæ, et cuſtodiæ, prædicti dominus comes et dominus Jacobus, totâ communitate expreſſè approbante, in ſe ſuſceperunt, præſtito ad hæc ab eiſdem, tactis ſacroſanctis Evangeliis ac Sanctorum reliquiis, magno juramento, quòd prædictas tutelam, curam, et cuſtodiam, benè, fideliter et diligenter, ad utilitatem ipſius heredis et regni, ac totius cleri et populi, gerent, adminiſtrabunt, facient et manutenebunt; jura et conſuetudines regni clero et populo fideliter obſervando, et ab aliis, pro viribus, obſervari faciendo. Præterea cùm aliquibus præteritis temporibus à quibuſdam, licet minùs ſufficienter, in dubium fuiſſet revocatum, quo jure ſucceſſio in regno Scotiæ, ſi clara forſan non exſtiterit, decidi deberet ac terminari; In eodem parliamento per clerum et populum declaratum exſtitit ac definitum, quòd per conſuetudinem in inferioribus feodis ſeu hereditatibus in regno obſervatam, cùm in ſucceſſione regni aliqua talis conſuetudo hactenus non fuit introducta, minimè debuit, ſeu in futurum debeat, dicta ſucceſſio terminari: ſed quòd proximior maſculus tempore mortis regis, ex linea recta deſcendente, vel, maſculo deficiente, proximior femella ex eadem linea recta, vel, illâ lineâ penitùs deficiente, proximior maſculus ex linea collaterali, attento jure ſanguinis, quo ipſi regi defuncto jus regnandi competebat, regi, de cujus ſucceſſione agi forſan contigerit, ſine contradictione ſeu impedimento quocumque in regno ſuccedere debeat: quod juri imperiali ſatis conſonum eſſe cenſetur.

Ad præmiſſa verò omnia et ſingula fideliter, ſine dolo, fraude, fictione, ſive malo ingenio futuris temporibus obſervanda, epiſcopi, abbates, priores, et ceteri de clero, in forma jurandi eis à jure ſtatuta, necnon comites, barones, milites, libere-tenentes, et ceteri de communitate, tactis ſacroſanctis Evangeliis et Sanctorum reliquiis, magnum ſacramentum præſtiterun, et in teſtimonium præmiſſorum, ſigilla ſua huic ſcripto appoſuerunt.

CAP. XIV.

De deſponſatione regis David, et morte patris ſui.

ANNO Domini milleſimo trecenteſimo viceſimo octavo, decimo ſeptimo die menſis Julii, David filius et heres regis Roberti de Bruce, deſponſavit ſororem Eadwardi de Windeſour, filiam Eadwardi de Carnarvan paulo antè defuncti, apud Berwicum, præſente Elizabeth matre puellæ, tunc regina Angliæ, cum gaudio ineffabili totius populi utriuſque regni. Sed quantum glorificavit ſe tunc Scotia, et in deliciis fuit, tanta paulo poſt ſunt immiſſa ei luctus et tormenta, quæ in corde ſuo dicebat: *Sedeo ut regina, et vidua non ſum, et luctum non videbo. Ideo in una die venient plagæ ejus, luctus et mors.*

O res quàm fragilis, quàm fallax gloria mundi!
Quàm citò mundanus dulcor amarus erit!

Deducant

Deducant oculi tui, O deſolata Scotia! lacrimas per diem et noctem, et non taceant; quoniam contritione magnâ contrita es, auditâ morte ducis tui et aurigæ, inclitiſſimæ memoriæ domini regis Roberti, firmiſſimo robore referti, totius vecordiæ inexperti, antimurale tuum contra Anglorum inſultus fuiſſe comperti, multi doloris, multæque amaritudinis calicem recepiſti; quia ſi cognoviſſes et tu, antequam ſcires, dolores, priuſquam ad te dolor iſte pervenerit, ſatis in vivo monſtrares, quantum in mortuo lugeres. Satis itaque notavit affectus in habito, quòd ſequeretur triſtitia in amiſſo. Magno itidem ad ima labente, mors nimis effera auribus tuis intonuit; O Scotia! Sunamitis orphana derelicta! O mors, quàm amara eſt memoria tua, populo pacem habenti in ſubſtantiis ſuis! Commoviſti Scotiam et conturbaſti eam; ſolidum ejus fulcimentum in rege ſuo contriviſti, rectum ominis ordinem, et firmam, ut creditum fuit, ejus compaginem nimio tremore concuſſiſti. Ab Oriente jubar radians in excelſum profiluit. Sed, cùm profuſis radiis in eminenti ſtare et irradiare putabatur, ſubitò obfuſcato lumine deſcendit. Sed demum, palleſcentibus radiis rarefactum in Occidente repentè occidit, heu confuſum! O durus et durior caſus! Heu! quid perdidit Scotia? quid invenit? Perdidit vitam quam credidit, et invenit mortem quam non præteriit. Miſera conditio, gravis dolor, ſed et grave damnum! Quod autem dico, neſcis modò, ſcies autem poſtea, quando formidabis jugiter totâ die à facie furoris ejus, qui te tribulabit et ad perdendum parabit.

Anno igitur Dom. milleſimo trecenteſimo viceſimo nono, ſeptimo Idus Junii, obiit piæ memoriæ Robertus de Bruce rex Scotorum invictiſſimus, apud Cardros, anno regni ſui viceſimo quarto:* princeps in omni ſtrenuitate conſpicuus, actuum probitate præclarus, ceteris regnicolis animoſitate et ſubtili ingenio præpollens; regnum ſuum ab hoſtium circumquaque formidine viriliter tuendo, præcipuè Anglicorum, quos in diebus ſuis ſubjectos habens, de regni ſui finibus procul pellendo expugnabat. Iſte enim in tanta virium fortitudine regem et gentem Anglicanam debellabat, quòd cum eo pacem habere, ſolùm præ timore, regnis ceteris prætendebant. Sed, ut fingit poëta,

Lupus languebat, monachus tunc eſſe volebat:
Sed cùm convaluit, lupus, ut ante, fuit.

Unde quidam in perſona lupi;

Dum fero languorem, fero religionis amorem:
Expers languoris, non ſum memor hujus amoris.†

Sepultuſque eſt rex apud monaſterium de Dumfermelyn, in medio chori, debito cum honore. De quo dicitur:

*Ultra omnes viventes ſuis diebus miles ſtrenuus, *edit. H.* †*Addunt codd. Cupr. et Perth.* Hæc igitur hic præſtrinximus, ut ſciatis, quod iſte rex Angliæ Eadwardus, tanquam veſtimento ovis chlamidatus, perpetuam pacem cum Scotis continuavit, ſciens eum pro tunc non poſſe ſe contra eos vi et virtute armorum ullatenus contraire. Sed audita morte regis noſtri Roberti, necnon et cuſtodis regni nobilis Thomæ Ranulphi comitis Moraviæ, quos maxime dum viverent pertimeſcebat, qualem ſe prius prætendebat mente, tanquam lupus rapax monſtravit in opere, ut in ſequentibus plenius notum erit.

M. ſemel

M. ſemel et C. ter, bis et X.que novem ſuper adde;
De Brois Robertus bonus eſt de funere certus.
Bis deca rex Scotis regnavit quatuor annis:
Litera D. normam primam tenet ante Columbam.
Pulchram per formam, Dumfermelyn dat ſibi tumbam.
Cecidit in Cardroſs rex noſter, militiæ flos:
Qui bene rexit nos. Deus hunc ducat ad ſuperos.

CAP. XV.

EPITAPHIUM EJUS.

HIC jacet invictus ROBERTUS, rex benedictus.
Qui ſua geſta legit repetet quot bella peregit.
Ad libertatem perduxit, per probitatem,
Regnum Scotorum: nunc vivat in arce polorum.

ALIUD IPSIUS EPITAPHIUM extenſiùs metrificatum.

BROIS, probitas patriæ, jacet in tellure ROBERTUS,
Princeps lætitiæ, pius, audax, undique certus;
Qui Paris in ſpecie, fuit Hector in enſe repertus:
Rex roſa militiæ, Socrates, Cato, Maro diſertus.
Hic Priami natus, hic Achilles dux Danaörum,
Ajax laudatus, et Ulixes ingeniorum:
Hic Macedo gratus, Arthurus gemma virorum;
Alter ſenſatus Macchabæus, dux populorum.
Hic pius Æneas, Pompeii plena poteſtas:
Mitis hic Andreas, Jonathæ miranda poteſtas.
Oras Creteas facit hic Saturnus honeſtas:
Quæ perit Ægeas abit imber, floruit æſtas.
Hic Cæſar Julius, ſub ſpe forma Simeonis.
Carolus eximius rex, cum ſenſu Salomonis.
Legifer hic Gaius, et dux ſub amore Didonis.
Jaſon corde, Sejus probus, audax, fons Heliconis.
Hic vis Sampſonis, hic ſanguis Bartholomæi:
Firma fides Simonis; et thuris theca Sabæi.
Hic decor in donis, regalis progeniei:
Sub Jove Junonis, clariſſima ſtella diei.
Deperdi doluit jus regni Scotigenarum:
Otia poſtpoſuit, pro dulci ſumpſit amarum.
Frigora ſuſtinuit, cubuit per luſtra ferarum;
Nec refici renuit cum fructu glandiferarum.
In Chriſto ſtatuit ſibi ſpem pro jure tuendo:
In dumis latuit, laticem, non vina, bibendo.
Acer aper patuit, cum fortibus aggrediendo:
Sic fieri meruit rex, hoſtica tela terendo.
Dum pugil iſte ferit cadit undique turba malorum:
Vulnera ſæva ſerit in ferrea terga virorum:
Bellica tela terit, furit enſis in agmen equorum:
Hic cadit, iſte perit, rex retro fugit eorum.

Hic rex Scotenſis præfert ſua ſigna decenter:
In turmis denſis penetrat bellando potenter.
Laudibus immenſis valuit ſuper hoſte potenter:
Rex redit Anglenſis, cecinit lyra noſtra recenter.
Poſt Bilandi potitur, victoria læta paratur:
Turba ruens rapitur, occiſio multiplicatur.
Treuga gnavis capitur, pax fallax aſſociatur:
Rex reverens moritur; poſt funera lis revocatur.
O dolor in populo! dolor! O dolor! ingeminatur.
Fletus ineſt oculo, confuſio multiplicatur.
In regni rotulo qui regum flos reputatur,
In luteo loculo modò vermibus eſca paratur.
Ipſe fuit radians jubar in tenebris oculorum;
Et ſplendor varians redolentia germina florum:
In populo ſpatians ſpeculum, roſa, regula morum,
Manna ſacrum, ſatians dulcedine corda ſuorum.
Hic rex eximius armilla fuit brachiorum;
Annulus egregius, et inauris in aure proborum:
Torques, exteriùs circundans colla virorum,
Jam jacet inferiùs, ſine cyclade turris honorum.
Quid mundi pretium? quid honor? quid gloria rerum?
Quid regni ſolium? quid gratus odor ſpecierum?
Quid valet ingenium? Certè, ſi dixero verum,
Culminis officium nihil eſt in fine dierum.
Scotia plange piè, trahe ſuſpiramen amorum
Ingenuâ voce, regem memorando decorum.
Solem juſtitiæ pete rectorem ſuperarum,
Ut ſibi lætitiæ bona præſtet in aree polorum.

CAP. XVI.

Quomodo Heraldus præconizavit regem Robertum.

HUjus inclìti regis Roberti univerſas laudes congerere, diutinaſque labores, inſidias et tædia, perſecutiones et diſcrimina, et bellorum opiniones perſtringere, ſi quis in uno volumine Latini contenderet, etiam ſi ſciret, moram cum tædio legentibus generaret. Lectorem igitur, qui de ejus admirandis, probitatibus et geſtis bellicis ſaginari deſiderat, ad librum Broiſaicum, quem in materna lingua pulchrè et proſaicè * edidit Barbarius, remitto. Unam tamen narrationem ipſius ſtrenuitatis, tractus deſiderio, ut legentium votis occurrere poſſit, in compendio huic operi inſerere non diffugio. Penè ſemper regales epulas comitatur vana voluptas, et effrænis animi jocunditas. Nam, dum corpus in refectionis delectatione reſolvitur, cor ad inane gaudium relaxatur. Accidit unâ dierum hoc in regem Angliæ Eadwardum de Carnarvan: qui, cùm grande feſtum feciſſet optimatibus et terræ ſuæ ſatrapis, dum vinum in crateris ſplenderet, et corda convivarum lætificâſſet, in ſuo ſolatio quæſivit ab Heraldo ſuo, *le Roy Robert* nuncu-

* Ita MSS. at certe metrice ſcripſit Barbarius.

pato,

pato, viro utique diſcreto et ſenſato; totius Angliæ propterea Heraldorum rege nominato et effecto; qui, ſuo judicio, tunc viventes tres milites probatiores in armis et probiores eſſent? Cui reverenter *le Roy Robert*, obſtipo capite et genu flexo, ſic reſpondit; Certè, princeps potentiſſime, inſcius ſum tam eminenti propoſitioni de facili ſatisfacere: verùm tamen judicio meo, et ut ſcivero, ſic breviter reſpondeo*; Henricus imperator, ut cognovi, ſuâ probitate probatâ, non ſine bellicis actibus, conquiſivit ſibi ſucceſſivè imperii tres coronas; et poſt hoc cum magna ſtrenuitate, diebus quibus advixerat, ſtatum ſuum imperioſè atque glorioſè regebat. Dominus etiam Ægidius de Argentina tantæ fuit virilitatis et audaciæ inſignis belliger, quòd contra Sarracenos tres viciſſim conflictus peregit; in quorum quolibet duos Paganos vicit, affirmans, quòd non fuerat altum, unum militem Chriſtianum duos canes ethnicos evincere et expugnare. Tertius, inquit præco, non minoris probitatis expers, nobilis ſciz. Scotiæ rex Robertus, quem prioribus, ſi auderem, æquiparare bene poſſem: qui quantus fuerit invictæ virtutis bellator, juxta commune et populare judicium, meum non eſt opus corrogare præconium. Cúmque hæc audientes milites et magnanimes regi Eadwardo aſtantes, diffecabantur cordibus ſuis, et exclamantes voce magnâ continuerunt aures ſuas, et impetum fecerunt unanimiter in eum, eo quòd in tantum appretiabatur Bruce ut duobus præmiſſis compararetur; dicentes, quòd nedum ipſe, ſed nec ullus unquam Scotus ad æqualitatem inferioris eorum in armis commendari debuiſſet. O invidia ſubjecto proprio ſemper inimica, et in proprium auctorem reciproca! nam qui alii laudato invidet, ſibi quidem ignominiam facit: illi autem, cui invidet, gloriam parat. Heraldus autem, eorum importunis clamoribus et tumultuoſis deriſionibus aliqualiter ſuccenſus, à rege petiit auditum; qui mox imperavit ſilentium; ad quem præco geniculans ait:

CAP. XVII.

De eodem.

REX in æternum vivat, qui mihi ſimplici auditum dari imperat. Audenter dico, quòd nullus Heraldus, in ſe debitè aviſatus, debet quicquam coram rege indicare, niſi ad finem ſui veridicti, cum corpore ſuo ad manutenendum et defendendum hujuſmodi ſuum dictum contra illud improbare conantes, paratum ſe reddat hoc probare. Et converſus ad milites dixit: O tirones belligeri! gemmis et auro veſtibus et armis depicti! vidiſtis, ut æſtimo, prout ego vidi, vel certè, ſi tam perſpicaciter vidiſſetis quemadmodum ego vidi, hujus animoſiſſimi regis Roberti non ſemel ſed ſæpiùs, in bellis ferociſſimis, ſcutum divulſum, galeam conquaſſatam, ruptam lanceam, hebetem enſem, loricam perforatam, et faciem vulneratam, cædentis nihilominus et inſequentis, fugantis et perſequentis, occidentis inimicos ſuos et comprehendentis; et, donec deficerent, non revertentis; diceretis, haud dubium hujuſmodi rimulas et rupturas, ſi haberetis viſum oculatum, ſibi cedere debere ad maxi-

*Sub proteſtatione tamen ut non diſpliceam, *addunt codd. Cupr. et Perth.*

mam

mam gloriam et ornamentum. Sed omitto talia, divertens ad alia, et dico, quòd licet priùs hunc inclitum regem Robertum duobus præmiſſis, imperatori ſcilicet et militi, in ordine poſtpoſui, nunc tamen et notanter, quin etiam excellentet ipſis ipſum antepono. Hoc etiam adjecto, quòd poſtquam rationes meas aſſignavero, ſi quis mihi compar comparere velit, et dicere quòd injuſtè præconizavero, ſecundùm leges armorum querelam viriliter defendam; aliter vel deficiam, et in pœnam vecorditer ſuccumbam: quod Deus avertat, ne mihi ſic contingat. Verùm eſt et utique, quòd excellens imperator Henricus diris pugnis et præliis coronas ſuas laudabiliter conquiſivit: verùm tamen ſecum ſemper adhæſit in præliando maxima pars imperii. Sed Scotiæ rex Robertus interdum fuit et in tantum conſtrictus, ac neceſſitate compulſus, quòd in toto regno ſuo ſecum non remanſerint quinque homines in ſuis temptationibus, ſine titubatione conſtantes; eo quanquam tunc habuit ſibi inimica quatuor regna ingentia, Angliam ſciz. et Walliam, Hiberniam et Scotiam. Sed ipſe tunc pauper comes de Carrik, ſui ſolius expertâ providentiâ, fortitudine induſtrioſâ, probitate et militiâ, hæc omnia brevi ſpatio confudit; regnum ſuum obtinuit, et nunc, expulſis viriliter cunctis ſuis inimicis, in proſperitate et pace quieſcit. Incepit etenim, inquit, O rex inclitiſſime, guerrare, et pro jure regni ſui laborare in diebus patris veſtri, principis in orbe terrarum metuendiſſimi, et hucuſque feliciter continuavit. Necnon, et ut citra diſplicentiam loquar, in plano bello vobis autem et per annum aſſignato, non obſtante potentiâ veſtrâ militari ſatis et incredibiliter numeroſâ, ipſe admodum cum paucis non diffugit, ſed inſtetit. Et quid veſtræ regiæ majeſtati ibi acciderit, vos ipſi indicetis. Sæpiùs etiam præter hoc; cum paucioribus devicit noſtrorum magnas et multitudines metuendas. Propter quod debet excellentiùs appretiari, quàm ille qui cum validiore manu, vel æquali, victorias vendicavit. Quamvis inſuper nobilis miles Ægidius de Argentina magnâ probitate refulſit, non tamen rector in multitudine vel multorum fuiſſe expertus eſt gubernatione. Sed rex Robertus, tanquam pugil invictus, non ſolùm probatiſſimus in armis, ſed et pro ipſius induſtrioſa gubernatione, non dico uni regno, ſed, ſi jus ſibi ad hoc competeret, præfici potuerit, et meritò, Romano imperio univerſo. Unde pro concluſione diffinio, quòd ex quo exceſſit Henricum in militia, et Ægidium in cura, antelatæ recommiſſionis titulo competere ſibi poterunt præconia potiora. Hæc iſte. Propter quod quidam ſic ait:

Dic tres Robertos, armis mundi meliores;
Scotum, Sicilicum regis, comitem Morianum.

CAP. XVIII.

Quomodo Thomas Ranulphi cuſtos Scotiæ efficitur, et juſtitiam undique executus eſt.

MOrtuo, ut præmiſimus, et ſepulturæ tradito rege magnifico Roberto, ſicut priùs conſtitutum erat in tallia, cura regni regiminis verſa eſt in dominum Thomam Ranulphi comitem Moraviæ, qui ad hoc

hoc gardianus Scotiæ habebatur: et ita ſtudioſè et invariabiliter regnum regebat, et juſtitiam exercebat, quòd, à prima regni legiſlatione, non legitur quemquam eundem in hujuſmodi exceſſiſſe. Nam pro lege ſtatuit, quòd quicunque eques viator opus haberet equo deſcendere et ad oſtilagium vel alibi declinare, vel quicquam operis facere, frenum cellæ affigeret; et, ſi caſu frenum furaretur, vicecomes ſhiræ equiti pretium ſolveret: cui ad proximum regis ſcaccarium præ ceteris illud vel allocaretur, vel certè ſolveretur. Similiter inter cetera ſtatuta laudabilia, reipublicæ profutura, ſtatutum fuit, quòd quilibet husbandus vel agricola ſecurè dimitteret cum aratro ejuſdem ferramenta; quòd ſi caſu furarentur, vicecomes pretium perſolveret, et ſibi ut ſuprà reſolveretur. Hoc audito, quidam agreſtis ruſticus lucrandi gratiâ cupidus, ferramenta ſui proprii aratri furatus eſt; quæ in proxima petaria abſcondit, querelam deponens vicecomiti de ſpoliatione ſui aratri: qui mox ruſtico duorum ſolidorum fecit ſolutionem: curiam convocavit, et de furto ſtrictiſſimam fecit inquiſitionem. Dehinc vicecomes inſtructus mox de vero, ruſticus capitur pro latrocinio, convictuſque ac confeſſus interiit ſuſpendio, et ſic, dum ſitiret lucrum, pervenit ad laqueum.

Paulo poſt apud Galweiam, in villa de Wigton, ſibi tenenti iter juſtitiariæ occurrit quidam, auriculando inſinuans, quomodo eo tunc ipſe fugatus fuit à quadam caterva malignantium, proximam ſilvam lucubrantium, ſe, ut certis ſignis oſtendit, ac alios regis liegios viatores ad occidendum inſidiantium: qui ſtatim ſine ſtrepitu, miſit armatorum manum validam, omnes illos ſicarios, inſperatè captivantem, ac gardiano Scotiæ, tunc judici, præſentantem. Qui coram aſſiſa accuſati, inventi ſunt omnes ſcelerati, et propterea morte condemnati. Conſequenter juſticiariam ſuam uſque Invernes continuavit: ubi delatum eſt judici, quendam à caſu in curia juſtitiæ inventum, nuper de Romana curia revertentem, qui pro interfectione ſacerdotis arreſtatus, et de effuſione ſanguinis regalis liegii accuſatus, quamvis ſufficienter oſtenſum eſt ipſum fore abſolutum à culpa, tamen oportuit eum plecti pro offenſa, et pœnâ tanto graviori, quanto in chriſtum Domini manus ſacrilegas non veritus eſt immiſiſſe. Presbitricida propterea perimitur, et ſanguis ejus ſuper caput proprium revertitur, juſtitiaque juſti Judicis utrobique attollitur. Et nec mirum, ſi judex ſecularis vindicet preſbitricidium, cùm etiam judex eccleſiaſticus proſequitur hoc delictum. Legimus enim, quòd in dioceſi Pictavienſi quidam miles ſacerdotem interfecit, qui ab epiſcopo Johanne de Molendinis, ejus ordinario, petiit inſtanter abſolvi. Sciens autem hujuſmodi caſum epiſcopus reſervatum fore domino Apoſtolico, ad Romanam curiam eum tranſmiſit; ubi abſolutionem impetravit; et reverſus attulit epiſcopo literam innoteſcentem eundem fore abſolutum, et quòd nihil reſtabat, niſi quòd epiſcopus injungeret ſibi pœnitentiam ſalutarem, qui ipſum in carcere mori permiſit; ſic conteſtans coram Deo et hominibus, quòd eidem pro commiſſo pœnitentiam ſalutarem injunxit.

CAP. XIX.

De eodem, et bono judice et malo; ac de morte ejus per proditionem Anglorum.

AB iſto itinerario præmiſit officiarium ſuum, coronatorem videlicet, ad Helidonan, cum armata manu, ad attachiandum legis tranſgreſſores, juxta dictamentum rotulorum. De quibus quinquaginta fugientes, inſequitur officialis: et, quia arreſtari contempſerunt, à perſequentibus jugulantur, et eorum capitibus palis et ſudibus affixis, ante adventum judicis ad Helidonan parietes poliuntur: quæ horridum ſpectaculum intuentibus præbuerunt. Conſimilibus juſtitiæ operibus inſiſtens hic juſticiarius, cujuſquam precibus non flectitur, non donis corrumpitur, nec etiam, ut à vero deviet, timore, odio vel amore pervertitur. Nunc non ſic judices moderni judicant; qui, cupiditatis cauſâ, aut differunt judicium, aut pervertunt; qui nec finiunt in judicio cœpta partium negotia, quouſque eorum qui cauſantur exhauriant marſupia. De quolibet loquitur BLESENSIS in epiſtola: Officium officialium hodie eſt jura confundere, lites ſuſcitare, tranſactiones reſcindere, dilationes innectere, ſupprimere veritatem, fovere mendacium, quæſtum ſequi; vendere æquitatem, exactionibus inhiare, verſutias continuare. Sic certè hodie fit judicium, ſicut fingitur in poëtria; Quòd leo ſemel tenuit curiam beſtiarum, debuitque unaquæque ſeipſam proclamare de culpis ſuis coram leone. Aſinus ait; Sequebar, inquit, domine, aliquando plauſtrum plenum fœno, et cùm fœni manipulus cecidiſſet de plauſtro, accepi et comedi. Cui leo; Malè, inquit, errâſti, et contra legem et fidelitatem feciſti: debebas enim ei qui perdidit reddidiſſe; quia quicquid inveniſti, et non reddidiſti, rapuiſti. Igitur, de præcepto leonis, aſinus ad mortem verberatur. Accedit lupus, et ait; Domine, circumivi aliquando greges ovium, et armenta boum, et aliquando rapui agnum tenerum et ſtrangulavi; aliquando pinguem vitulum, quando eum attingere poteram; quandoque ovem, et quandoque hœdum. Cui leo, eo quòd ante hoc lupus ſolitus erat ei mittere de pinguioribus xenia; Dimittes, inquit, cariſſime conſanguinee, talia ponderare; nimis ſtrictam habes conſcientiam: naturale eſt tibi ſic facere, et nemo, faciens id quod natura dictat, peccat. Sic à falſo judice lupus juſtificatur rapax, et aſinus verberatur innocuus. Hoc eſt dictu, Barabbas latro dimittitur, et innocens Chriſtus crucifigitur.

Aliter fecit Cambyſes rex Perſarum, qui, juxta Eſdram, fuit Arfaxes vel Aſuerus, filius Cyri regis Perſarum; qui, ut ſcribit HELMANDUS, de more habuit omni anno regnum ſuum circumire, et inquirere ſi utrobique juſtitia ſervaretur. Inventoque uno iniquo judice, qui juſtitiam vendidit, et munera recepit; rex ipſe, præ tribunali ſedens, hunc injuſtum judicem excoriari fecit, et ſedem judicialem pelle ſuâ fecit coöperiri; et de ſepo ventris ſui candelam effici, et infra laternam includi, et ſedi ſuperponi; ac in eadem ſede poſuit filium judicis, qui illud officium hereditariè poſſidebat; et hujuſmodi tenorem ſuper caput judicis ſcribi mandavit:

Sede

Sede ſedens iſtâ judex inflexibilis ſta:
A manibus reſeces munus, ab aure preces.
Stet ratio tecum, ne te faciant ita cæcum
Dona vel ordo precum; quin jus tuearis et æquum.
Lex eſt defuncta, dum judicis eſt manus uncta.
Sint tibi lucerna lux, lex, pelliſque paterna,
Quâ reſides natus, pro patre ſponte datus.
Quatuor iſta, timor, odium, dilectio, cenſus,
Sæpe ſolent judicum rectos pervertere ſenſus.

In tanta tranquillitate, juſtitia et pace, dum vixerat dictus comes Moraviæ cuſtos Scotiæ, per quatuor ſciz. annos poſt et ante mortem regis, regnum rexerat, ut abhinc uſque ad hodiernos dies non recolitur feliciùs gubernari: eccleſiam namque exaltavit, et ejus libertatem conſervavit, nobiles lætificavit, plebeios gratificavit, et inſolentem Anglorum ſuperbiam potenter humiliavit. Propter quod, invidiæ ſtimulis agitati, ſic procuraverunt, quòd per quendam Angligenam, religioſum fratrem, apud aulam ſuam de Wemys feſtivè convivantem impotionaverunt, poſt quod paululum ſupervixit, et decimo tertio die Auguſti obiit apud Muſkilburgh.*

Falſus iſte frater, arbitrans ſe placabile obſequium regi præſtitiſſe, gaudenter retulit ei, quòd cuſtos Scotiæ erat in januis mortis conſtitutus; quia, inquit, quamvis venter ejus ferreus ſive æreus fuiſſet, de neceſſitate oporteat eum crepere. Lætati admodum inimici, congregaverunt exercitum ad invadendum regnum, ſibi in proximis ſubjiciendum, ut putabant. Rumore hujus adaucto, pervenit ad aures cuſtodis, quòd inimici expeditionem accelerarent: qui, quamvis quaſi ad mortem infirmatus, et potione mirabiliter inflatus, probitatis audaciam propterea non amiſit; ſed ſub omni celeritate bellatores collegit, et uſque ad Colbranſpeth, ubi caſtrametatus eſt, quaſi infirmitatis oblitus, feretro tamen evectus, pervenit. Audientes hoc inimici, ultrà quàm credi poteſt admirati ſunt: et, ad habendam hujus rei notitiam, miſſus eſt à rege Angliæ heraldus. Quem cùm cuſtos audivit adventâſſe, in oſtio papilionis fecit ſe locari in decenti cathedra, palliis aureis contecta; et ipſe feſtivè ornatus, cum cordata multitudine fortium conſtipatus, præconem juſſit ſuo conſpectui præſentari: qui genu flexo ſalutavit cuſtodem, hilarem, ut potuit, vultum, et vehementiâ venenoſæ impotionis rubicundum, prætendentem. Cui, poſt aliquantulam confabulationem, ait cuſtos: Æſtimamus utique, quòd ad explorandum exercitum noſtrum adveniſtis. Bene quidem. Sed revertamini domino veſtro regi, qui nunc, ut percipimus, cum potentia valida prope eſt; noſtrî ex parte exponentes, quòd in craſtino tali loco, qui medius eſt, nobis obviare dignetur, ut vel ſic ſaltem finem antiquatæ guerræ imponamus. Quo dicto, fecit heraldum amoveri; cui miſit totum ornatum quo cathedrâ ſedens erat redimitus; qui gratanter pretioſa illa duplicia, multo auro valentia, recepit, et ad regem ſuum illico feſtinavit, dicens: Sic et ſic locutus eſt cuſtos, quo nuſquam recolo me vidiſſe validiorem

* *Addunt MSS. Cupr. et Perth.* Nam poſtquam maledictus ille frater impotionaverat eum, fugam iniit; et regem Angliæ, cum quo tunc erat Eadwardus de Balliolo, apud Marchias adivit. Falſus, &c.

militem,

militem, nec judicio meo valentiorem. Quo audito rex, animo conturbatus, confeſtim fratrem intoxicantem inquiri fecit, qui abhinc nuſquam comparuit: ſed et rex cum dedecore ad Angliam habenas reflexit.*

Interim verò morbus nimiùm cuſtodem invaſit, qui, audiens quòd rex Angliæ cum ſuis retrò abierunt, fecit ſe ſtatim ad villam regiam de Edinburgh tranſportari: ſed cùm perveniſſet ad Muſkilburgh, perceptis ſalutaribus ſacramentis, feliciter, die quo ſuprà, in Domino obdormivit, et Scotiam in magno mœrore reliquit. Humatus eſt apud Dunfermelyn †, anno Domini milleſimo trecenteſimo triceſimo ſecundo. ‡

CAP. XX.

Quomodo Jacobus de Douglas diſpoſuit ſe verſus Jeruſalem, efferens ſecum cor regis; et de nefando Twynam Lowriſon.

DUM itaque inclitus rex, in extremis agens, legationem faceret; inter cetera legavit ſuum cor mitti Hieroſolyma, et recondi apud ſepulchrum Domini. Ad cujus lationem elegit Jacobum de Douglas, in omnibus guerris ſuis athletam fidiſſimum. Qui dum ſe expeditioni pararet hujuſmodi caſus accidit in civitate Glaſguenſi, quòd quidam venerabilis vir, magiſter Willelmus Hekfurd nomine, officialis major ejuſdem, exceſſus non diſſimulans, ſed acriùs puniens, maximè adulterorum, prohibitionem et proceſſus fulminavit contra quendam robuſtum virum, non multùm parentelâ generoſum, ſed moribus ſatis degenerem et adulterii labe maculatum, Twynam Lowriſon nuncupatum; qui habens in conjugem pulchram et pudicam ſociam, impudicè ſe nimium ingeſſit amplexibus diverſarum, non tantum ſimplicium, ſed et conjugatarum muſierum. Adulter iſte ſæpe in judicio conventus, et licet de facinore convictus emendam promiſerat, in facinus tamen ſæpiùs reciderat. Quod attendens officialis, zelum reformandi infelicem habens, et conſiderans quòd hujuſmodi impunitati ejus foret occurrendum, et ne tractu temporis impunita malitia convaleſcat, ſententiam excommunicationis in contemptorem fulminat. Sed de correctione ſtultus deterior effectus, quodam die cum certis ſuis complicibus ipſum officialem, ad villam de Ayre equitantem, ex inſidiis prorumpens arreſtavit: à quo inhumaniter tractus, et demum ligatis manibus pro vita ſua conſervanda compulſus eſt lenoni magnam ſummam pecuniæ, ducentas videlicet libras, exſolvere. Hoc audito, dominus de Douglas viagium ſuum diſtulit, ambronem hinc inde fugientem inquirit, et tam acriter eum inſequitur, donec compulſus eſt regnum relinquere et

* *Addit MS. Cuprenſ.* Aliter hodie à pleriſque ducibus ad prælium properatur, qui, cum nihil mali ſentiant, fingunt ſe infirmos vel ſi ſibi properandum ſit. Audi quid de talibus ſentit Petrus Ravennas, "Quod ſi milites noſtros ire in expeditionem quandoque oporteat, "ſummarii non ferro ſed vino, non lanceis ſed caſeis, non enſibus ſed utribus, non haſti-"bus ſed verubus onerantur: quod ſi eos ſic indecentes videris, credes eos ire ad domum "conviviì, non ad conflictum belli. Clipeos deferunt optime deauratos, in quibus depingi "faciunt ſtatuas phaleratas, ut ſe quadam imaginaria viſione delectent in pugnis, quas "actualiter ingredi aut videre non audent." Hæc ille. † Ante altare capellæ noſtræ Dominæ, *addunt MSS. Capr. et Perth.* ‡ A. D. MCCXXXIII. *MS. Col. Ed.* MCCXXXI. *Buchananus, uterque perperam.*

Franciam

Franciam petere: ubi adivit Eadwardum de Balliolo, filium et heredem Johannis exregis, eumque in hujuſmodi verba allocutus: Ecce, domine mi, rex Scotiæ! jam eſt tempus regnandi; quia venit tempus, quod quidem ſi pertranſieris, infeliciſſimus hominum prædicaberis. Ecce Robertus de Bruce, occupator regni tui, defunctus eſt, et filius ejus parvulus eſt. Cuſtos Scotiæ Thomas Ranulphi ſolus ſupereſt; Jacobus de Douglas ad Terram Sanctam profectus eſt: nec reſtat alius in regem promovendus. Si igitur conſilio meo acquieſcere volueris, regni tui ſceptro facillimè potieris. Annon audiviſti de internecione nobilium in nigro parliamento? Generatio eorum tibi aſtabit: manum validam armatorum tibi in auxilium rex Angliæ accommodabit. Accelera et perge; cor tuum erige, amicos tuos conſule, et arma capeſce. Hujuſcemodi verbis Eadwardus ſtimulatus, miſit manum ſuam ad fortia, et ad Angliam profectus eſt, pro ſubſidio regis in executione ſui propoſiti habendo. Qui utique, ut creditur, ante inſtigationem iſtius Twynam nunquam propoſuit movere bellum contra Scotiam. O igitur quantum malum comitatur adulterium!

CAP. XX.

De morte Jacobi de Douglas, et de coronatione regis David.

ANNO Domini milleſimo trecenteſimo triceſimo, rex Hiſpaniæ, cum nobili Jacobo de Douglas, ferente ſecum cor regis Roberti, ſeptimo Kalend. Septembris, congregatis exercitibus de diverſis mundi partibus in ſubſidium Terræ Sanctæ confluentibus, debellaverunt ſoldanum, et Sarracenos ſuos innumeros. Quibus tandem feliciter devictis et in fugam converſis, pluribus ex illis priùs interfectis, et eorum ſpoliis diſtributis, dictus rex cum ſuo exercitu rediit incolumis à conflictu, Sed, proh dolor! prædictus Jacobus de Douglas de ſuo proprio exercitu pauciſſimos ſecum retinuit, et hoc alium ſoldanum, in inſidiis latitantem, minimè latuit; qui cum ſuis de latibulis exiens bellum provocavit. Cujus exercitum et vexilla dictus Jacobus à longè cognoſcens, ſtatim, ut erat imperterritus, ipſos cum ſuis alacer eſt aggreſſus. Ubi, interfectis pluribus Sarracenis, ipſe Jacobus cum ſuis, pro Chriſto agonizans, ibidem feliciter diem clauſit extremum. Cum quo dominus Willelmus de Sancto-claro, et Robertus Logan milites, aliique plures nobiles Scotigenæ finem vitæ dederunt. Iſte nobilis Jacobus diebus ſuis fortis malleator fuit Anglicorum: cui Dominus tantam gratiam in vita ſua contulit, ut ubiqùe locorum de Anglicis triumpharet. Cujus actus ſtrenuos liber continet Barbarii Broiſaicus. De quo quidem ſic ait: VERSUS.

J URE JUVENTUTIS JACOBUS JOTA JUSTIFICATUR.
* * * * * * * * * * * * *
C URIS COMMISSIS, CARUM CONCERNITE CÆSUM.
O SSIBUS OMISSIS, OPUS OSTENTATUR OBESUM.
B ELLONA BACCHATUR, BUSTIS BREVIANDO BEATOS.

*Hujus acroſtichidis linea ſecunda plane deſideratur.

VIRGULA VERTATUR VINDEX VEXANS VENERATOS.
SEDES SUSCEPIT SUBLIMES SORTE SACRATAS.
DIES DECEPIT DULIAS DAMNANDO DOLATAS.
EXSTITIT ELECTUS ÆGROS, ESCANS EPULANTES,
DOUGLAS DILECTUS DOMINOS DOMUIT DUBITANTES:
OBTULIT ORNATAS OPIFEX ODITUS ODORIS.
VIRIBUS UNATOS VALIDOS VIRTUTE VALORIS.
GRANDIA GESTAVIT, GRATUM GRANUM GEMINAVIT:
LUCIDA LAUDAVIT, LOCA LANGUIDA LÆTIFICAVIT:
ARDUUS AUDACES ANIMOS ARDENTER AMAVIT:
SERVOS SERVAVIT SACRO SERMONE SAGACES.

Nobilis hic vixit, in Chriſto cor benedixit,
Ut ſcriptor dixit, miles ſimilis ſibi vixit,
Salva piâ guerrâ fuerat bene Scotica terra;
Hoſtes projecti Jacobi pro robore lecti,
Non fuit in mundo ſibi par valetudo rotundo,
Militiæ talis equitis fortis borealis.
Geſtis diſcretus, largus, virtute repletus;
In populo lætus, prudens, ſapienſque, facetus.
Hoſtes Angligenas vicit, probitate proborum,
Gentes Scotigenas muniens probitate virorum.
Flos armatorum, dum vixit, erat validorum,
Et bellatorum doctiſſimus ipſe ferorum.
Obſequio Chriſti finivit tempora vitæ,
Solvit à triſti barathrorum tormine ritè.
Nunc latet in limis, perſolvens ultima primis,
Gaudet ſublimis ſolus cum rebus opimis.

Anno milleno trecenteno peramæno
Triceſimo pleno juncto, pro rege ſereno
Ceſſit apud caſtrum Tibris, Jacobus vale geſto,
Octavoque Kalendas Septembris, tu memor eſto.
Ipſius ergo Deus Jacobi validi miſerere;
Si quâ labe reus fuerit, parcas ſibi verè.

Hic Jacobus in conflictibus XIII. vicibus ſuccubuit et devictus eſt; et victorias de Anglis habuit LVII. A. Dom. milleſimo trecenteſimo triceſimo primo, octavo Kal. Decembris, inunctus eſt in regem David* rex Scotorum, filius et heres regis Roberti de Bruce, et coronatus apud Sconam à domino Jacobo Ben epiſcopo Sancti Andreæ, per bullam † ſanctiſſimi patris Johannis XXII. tunc ſummi pontificis ad hoc ſpecialiter conſtituto: ante quem nullus regum Scotiæ legitur fuiſſe inunctus, vel cum tali ſolemnitate coronatus. Qui juvenis rex VIII. annorum Johannem Stewart comitem Anguſiæ, Thomam Ranulphi,

**David puer octennis*, MSS. Cup. et Per. vide ſupra cap. v. † Exſtat in bibliotheca Facultatis juridicæ Edinburgi bulla originalis Johannis Papæ XXII. Roberto I. regi, patri Davidis, conceſſa Avinion. Idibus Junii, pontificatus ſui anno decimo tertio, hoc eſt, die ſeptimo poſt ipſius Roberti mortem, de coronatione et inunctione ejus, et ſucceſſorum ſuorum, per epiſcopum Sancti Andreæ, vel, eo nolente aut nequeunte, per epiſcopum Glaſguenſem.

filium

filium et heredem recolendæ memoriæ D. Thomæ comitis Moraviæ et cuſtodis Scotiæ, et alios quamplures nobiles de regno, præcinxit balteo militari. Unde quidam:

Scona novo more veneratur lege coronæ;
Quæ tantùm cathedræ gaudere ſolebat amore.
Quo nacto flore Roberti regis amore,
Gaudebit decore David regnans meliore.
Annis millenis trecentis ter quoque denis
I. ſi jungatur, David alta corona paratur.
Chryſogoni rectè, feſto mediante Novembre,
Præſule præſtante Jacoboque, Johanne probante
Summo pontifice, mundo veniente pudicè,
Cingitur in luce Clementis militis enſe,
Quem præſtat comitis manus audax Moravienſis
Quot David in Scona, ſi quæras, ſunt data dona:
Sunt tria quoque dona, gladius, ſedéſque, corona.

Eodem anno et die coronata eſt Johanna de Turribus regina. Eodem anno, v. Id. Decembris, obiit Johannes Seneſcallus comes Anguſiæ.

CAP. XXII.

De morte Thomæ Ranulphi cuſtodis, et bello de Duplyn.

ANNO Domini MCCCXXXII. decimo tertio Kal. Auguſti, obiit nobilis D. Thomas Ranulphi comes Moraviæ et cuſtos Scotiæ. Poſt mortem cujus omnes magnates, tam eccleſiaſtici quàm laici, apud Perth quarto Nonas Auguſti congregati, poſt plures altercationes et varias diſſenſiones Dovenaldum comitem de Mar unanimiter elegerunt in regni cuſtodem. Paulo ante hoc, inſtigatione dicti Twynam Lowriſon adulteri, Eadwardus de Balliolo Angliam petiit: ubi diverſos magnates, tam Scotiæ quàm Angliæ, invenit, qui clamabant ſe injuſtè fuiſſe deſpoliatos et exheredatos de diverſis terris et dominiis ſuis in Scotia exiſtentibus *: quorum hujuſmodi clamei principales fuerunt David comes de Atholia, Cuminienſes, Talbotenſes et Moubreienſes, ſed et Henricus de Bello-monte homo magni conſilii et cordis exaltati. Ad cujus perſuaſum firmaverunt inter ſe nequam conſilium, attendentes quòd adhuc ſanus et incolumis ſupererat cuſtos Scotiæ Thomas Ranulphi, adverſus Scotiam expeditionem diſtulerunt, præſertim quia dictus Henricus de Bello-monte ſæpiùs eis dicere ſolitus eſt, quòd mirum foret ſi omnipotens Deus, qui juſtitias diligit, et æquitatem vidit vultus ejus, permitteret tam juſtum judicem æquitatem ſectantem, Thomam videlicet Ranulphi, poſſe de facili in guerra devinci vel in bello. Et ideo novam artem confinxerunt, et, ut Italici ferunt, bello Tradimento, veriùs vili, effecerunt, ut quidam frater Anglicus, religione corruptus, dicto cuſtodi familiaris capellanus, ſibi venenum in vino propinaret. Quod et factum eſt, ut ſuprà. Quo comperto, Eadwardus de Balliolo cum ſuis claſſem mari committunt; in quingentos vel ſexcentos arma-

* *Situatis*, MSS. Cupr. et Perth.

torum

torum non excedunt. Propter quod admirati ſunt univerſi, quomodo præſumunt tantilli tam inconſternatè regnum Scotiæ impetere.

Ferunt tunc regem David fuiſſe novennem, quando electus eſt Dovenaldus comes de Marr in cuſtodem. Quo die nunciatum eſt ſibi et ceteris proceribus regni, Eadwardum de Balliolo, cum ſuo navigio, ij. Kal. Auguſti in aquam de Forth applicuiſſe; qui, viij. Idus ejuſdem menſis apud Kingorn terram petiit: cui Alexander de Seton* filius, cum paucis in facie reſiſtens, eodem die cum tribus vel quatuor ibidem occubuit. Dictus verò Eadwardus cum ſuis inde progrediens, viſitato monaſterio de Dumfermelyn, ad moram de Duplyn, tertio Idus ejuſdem menſis, idem in vigilia Sancti Laurentii, pervenit: ubi commiſſo gravi prælio ab aurora die uſque ad horam nonam, idem Eadwardus victor exſtitit, et genti Scotorum patuit ruina magna.

CAP. XXIII.

Adhuc de eodem.

PErvolante in regnum rumore adventûs dicti Eadwardi, mirantur, audientes quid ſibi protenderet, quòd navigium ſuum miſerat ad fluvium Thaynenſem, ipſo cum tam paucis terram repetente. Et continuò miſſis à cuſtode ad omnes libere-tenentes et defenſibiles regis liegios, congregati ſunt in magna multitudine. Congregavitque Patricius comes Marchiarum auſtrales Scotos, cui delegata fuit cuſtodia regni à parte auſtrali aquæ de Forth, habens ſecum armatorum triginta millia. Comeſque Dovenaldus, cuſtos à parte boreali ejuſdem, habens totidem in ducatum, expectat cum exercitu ſuo in villa de Perth, et in locis circumvicinis, adventum dicti Eadwardi: de quo exiit fama quòd aſtrictus erat voto aſſilire dictam villam regiam de Perth, et conſequenter in Scona coronari; confidentiam habens, ut dicitur, à quibuſdam de majoribus regni qualitercumque ſibi auxilium exhiberi. Cognito autem, à cuſtode quòd dictus Eadwardus cum omnibus ſuis, tam equis quàm hominibus, caſtrametatus fuit infra acram molendinarii de Fortheviot, idem cuſtos, comes viz. de Mar, cum ſuis ex adverſo, aquâ de Erne interveniente, tentoria fixit. Unde properantes acies, et ad pugnam diſpoſitas, manifeſtè ſeſe videre non poterant; quia, die declinante, nox aderat, in qua congredi non licuit. Cuſtos quoque Scotiæ cum ſuis, quaſi ſecuri, non poſuerunt de nocte vigiles, ſed cum jocunditate vinum bibentes, propter paucitatem partis adverſæ eam parvipendio habuerunt, depromentes cantus, et dicentes, quòd

Anglici caudati pro caudis vituperati;

De caudis eorum, ut dixerunt, funes ſibi facerent, ad ſeipſos Anglos in craſtino vinciendos. Sed, O gens Scotica! in armis ſatis ſtrenua, ſed ſtolida et ſuperba! futurorum minùs præſcia, ambulans in magnis et mirabilibus ſuper te! non attendis ad ſententiam SENECÆ dicentis, "Quòd nunquam in ſolido ſtetit ſuperba felicitas." Aderat eo tunc propè comes Marchiarum, pernoctans in villa de Ochtirerdover; de cujus

*Et filius, edit. H.

grandi

grandi exercitu notitiam habens dictus Eadwardus, utrique exercitui intermedius, et, tanquam piſcis ſagenâ circumſeptus, timuit valdè. Certè melius eſt humiliter timere, quàm ſuperbè fidere; et tutius eſt in actis bellicis, ſervando animi conſtantiam, infirmum ſe hominem recognoſcere, ut fortis exiſtat; quam ut fortis videri appetat, et infirmus decidat. Intempeſtæ etenim noctis ſilentio, quando exercitus cuſtodis fuerunt ex adverſo maximâ lætitiâ perſtrepentes, et vanâ exultatione vociferantes, dictus Eadwardus cum ſuis, edoctus clanculò ab uno de noſtris, vadum ſilenter pertransîit, et ſummo diluculo apud Gaſk et Duplyn pervenit, ubi multi de noſtris, ſine vigili cubantes, tanquam boves in macellis, ab Anglis trucidantur. Cujus clamore horrido exercitus cuſtodis experrectus, et nimium propterea perterritus, quibuſdam fugæ conſulentibus, proceſſit avidè ad pugnam Thomas Ranulphi junior, comes Moraviæ, Murdaco comite de Meneteth, Roberto de Bruce filio incliti regis Roberti, Alexandro Fraſer, cum aliis valentibus viris, circiter tricentis, comitatus; qui cum inimicis congredientes, inito certamine, facta eſt magna cædes ex utraque parte.

CAP. XXIV.

De eodem.

IN tantum ſeſe et in ſe alterutra pars impegit, quòd Anglici retrocedere ſunt coacti, ſi non acriori irâ ſuccenſus dictus Dovenaldus cuſtos, cum innumera multitudine præter ordinem inſequente, tanquam corpus hericeum ſcutis, clavis, armis et lanceis, quaſi ſquamis, ſe prementibus compactum, ut nec quidem inter eos procedere poſſet ſpiraculum; nec valens impetum cohibere, volens nimium confligere cum Anglis, irruit in phalangem dicti comitis Moraviæ, ubi ſemper anterior effectus eſt inferior, donec tam doloroſus invaluit ex ſuffocatione interitus, quòd tam flebilis caſus et infauſtus à magnis retroactis temporibus nuſquam legebatur accidiſſe. Ubi dictus cuſtos Scotiæ præcipitatione propriâ, cum dictis duobus comitibus, Bruce etiam et Fraſer, cum multis aliis nobilibus, baronibus et militibus ac valentibus armigeris, necnon inferioris gradûs non modicâ multitudine, non minùs morte ſtupendâ, quàm infelici, perierunt. Quos utique non vis humana, ſed ultio proſtravit Divina:* quod in hoc patet, quòd multo plures ex colliſione corporum, confricatione armorum, et proſtratione equorum ſe invicem opprimentium, ſine vulnere ceciderunt, quàm qui telo vel gladio jugulati ſunt. Captus eſt autem Duncanus comes de Fyfe, et cum eo diverſi nobiles et valentes viri, interfectis priùs ſub vexillo ejus tricentis ſexaginta loricatis; ita quòd in toto numerati ſunt

* *Addit lib. Cupr.* Nimia etenim ſuperbia Scotorum, in multitudine confidentium armatorum, turpiter eos dejecit. Propter quod Gregorius in moribus: Omnis ſuperbia eo ipſo in imo jacet, quo in alto ſe erigit, et inde magis ſuppoſita cunctis ſit, unde cunctis appetit ſupereſſe. Qui pridie dicebas te de caudis Anglorum facere tibi funes ad ipſos vinciendos, nunc veris vinculis vinciris: non attendens ad illud poeticum,

" Actibus et verbis homo tu quicunque ſuperbis,
" Hoc retine verbum, frangit Deus omne ſuperbum.

Dixi ſupra, quod non vis humana, ſed Scotos proſtravit ultio Divina; quod, &c.

mortui et occiſi ad hominum tria millia. Spoliis interfectorum Anglici non intendentes*, fugientes Scotos perſecuti ſunt, et ad villam de Perth divertunt, et eam ſine reſiſtentia acquirunt. A qua, nonnullis ſibi acquieſcentibus, Duplyn campo quidam miles de Balliolis divertens, ad ſumendam vindictam de Scotis, pro quodam ſuo caro conſanguineo eodem die bello interempto, cùm aſpexiſſet à longè tam immanem aggerem militum et equorum mortuorum, in confuſo ſic conglobatorum, necnon ſtridorem et gemitus morientium, ſanguine proprio involutorum, oculos ad cœlum levavit, et genas fletu madidavit, dicens; "Divertamus † ſocii, et attendite quòd nimis crudele foret nobis "vindictam apponere, quibus Deus vicem reddidit propriæ ſuperbiæ." Inter hæc procedente comite Patricio, cum ſuo exercitu ad campum de Duplyn, obvium habuit unum armigerum letaliter vulneratum, tenentem manibus propria inteſtina et viſcera à cella dependentia; per quem edoctus de victoria Anglis proſperata, campum petiit, et de congerie cadaverum ad tempus admirans, commilitones ſuos adhortatus eſt de Anglis expetere vindictam: et ad nemus de Lambirkin properantes, de lignis et arborum ramuſculis ſibi ſingulas ſarcinas et faſciculos ad obturandum foveas antemurales de Perth fecit componere, et ad villam cum ſarcinis accedere. Videntes autem oppidani tanquam nemus pruinoſum ſibi facere acceſſum, timuerunt valde. Diſponentes tamen ſe ex adverſo pro cuſtodia villæ, adventum exercitûs nemoroſi præſtolantur attoniti. Tandem attendunt à ſupercilio deſcenſûs montis, villæ contigui, exercitum Scotorum ſtationem facere, et ſe non ulteriùs ad ipſos movere acceſſum. Henricus de Bello-monte, audaciâ conceptâ, ſocios ſuos ad animationem confortavit, dicens; Eſtote fortes animo, quia exercitus ille, ut conjicio, nobis non nocebit; intra quem procul dubio fautores et amicos ſentio. Et poſt aliquantulam inibi moram, gradu retrogrado exercitus ſe movebat, et abhinc taliter eſt diſperſus, quòd poſt hoc ad invadendum æmulos nequaquam eſt reverſus. Et nulli revocatur in dubium, quin, ſi cœptis ſedulò inteſtiſſent, finem hujuſmodi guerræ, ſi Deo placitum foret, effeciſſent. Eodem anno, octavo Kal. Octobris, antedictus Eadwardus de Balliolo factus eſt, more ſuo, rex apud Sconam per Duncanum comitem de Fyfe et Willelmum de Sancto-claro epiſcopum Dunkeldenſem, qui ad pacem ipſius Eadwardi paulo ante venerant; congregatis ibidem abbatibus, prioribus, et communitate de Fyfe et Fotheriff, de Strathern et Gowri, ad pacem antedicti Eadwardi jam receptis.

CAP. XXV.

De tranſitu regis David ad Gallias.

NOmina magnatum venientium ad Scotiam cum ſæpefato Eadwardo, pro ſuis terris conquirendis, ſunt hæc: Henricus de Bello-monte, David comes Atholiæ, Henricus de Balliolo, Johannes Moubray de Strabolgy, Willelmus Moubray, Galfridus Moubray,

*Propter metum exercitus comitis de Marchia, *addunt MSS. Cupr. et Perth.*

† Attendite conſodales ſpectaculum horribile ſpectatu, *ibid.*

Henricus

Henricus de Ferrariis, cum duobus fratribus, Alexander Moubray, Richardus Talbot, Walterus Comyn, Radulphus baro de Stafford, cum multis aliis. Numerus verò omnium eorum procedentium ad bellum ſexcenti. Numerus exercitûs Scotorum viginti quinque millia, præter exercitum comitis Matchiarum. Numerus occiſorum ad tria millia æſtimatur.

De hoc bello ſic longè ante prophetatum fuit:

Pax erat in terra, rediet ſed Scotica guerra;
Quidam ballivus, armis non nominativus,
Voce vocativus tauri, tauroque dativus,
Sternet equos; ligni medio latitat leo ſigni.
Ipſos aſcendet, ad Scotica cornua tendet.
Militiæ gyrum facient Angli bene mirum,
Temporibus gentis cum pennatis ferientis.
Namque loco læto non ſunt Scoti ſine leto.
Scotos dum gentes terebrabunt arcitenentes,
Et viduæ flentes ſponſos quærent morientes. &c.

Eodem anno, ſtatim poſt infelix bellum de Duplyn, rex noſter David de Bruce, puer tunc novennis, non valens vindictam expetere de inimicis, tum quia puer, regno Scotiæ ſub gubernaculo Dom. Andreæ de Moravia poſito, in regnum Franciæ, de ordinatione alumni ſui D. Malcolmi Fleming cuſtodis de Dumbretan, unà cum Rankino More coalumno et regina ſeceſſit, et à rege ejus et Francigenis honorabiliter ſuſceptus, in dicto regno per octo annos et ultrà moram trahens, in regnum Scotiæ A. Dom. milleſimo trecenteſimo quadrageſimo primo, et ætatis ſuæ decimo octavo, unà cum regina ſponſa ſua Johanna de Turribus, proſperè eſt regreſſus. Eodem anno, ſtatim poſt bellum de Duplyn, Jacobus Ben * epiſcopus Sancti Andreæ tranſmarinas partes adiit, et Brugis obiit. De quo require ſuprà de epiſcopis S. Andreæ. Eodem etiam anno, Nonis Octobris, capta eſt villa de Perth per Jacobum et Simonem Fraſer, et Robertum de Keth. In qua captus eſt Duncanus comes de Fyfe, cuſtos ejuſdem villæ ex parte Eadwardi de Balliolo, una cum uxore et filia ejuſdem comitis et multis aliis ſibi propinquis. Inter quos captus eſt Andreas de Tullibardin, et tanquam proditor convictus contra regem ſuum David, mortem proinde debitam ſublit proditori. Hic palum fixit in vado de Erne, quod dicitur Dernford, cujus indicio Eadwardus de Balliolo noſtros decepit. Proſtraveruntque dicti Jacobus et Simon muros villæ de Perth uſque ad ſolum. † Eodem anno, decimo ſeptimo Kalend. Januarii, Johannes Ranulphi

* *Al.* Benedicti. † *Addit MS. C.* Convictus enim fuit dictus Andreas poſt ſubverſionem oppidi, quia nocte præcedenti bellum de Duplyn, ad ſignificandum Balliolo tranſmeationem vadi, fixit palum in le Dernford aquæ de Erne, cujus indicio Eadwardus de Balliolo doloſe noſtros decepit. Nam in rei veritate Balliolus ultro cum ſuis terga dediſſet, quando infra aciem molendinarii ſe circumſeptum ex omni parte à multitudine utriuſque exercitus deprehendi cognoverat: attendens ſi ad auſtrum fugeret, quod exercitus comitis Marchiæ eum arceret; ſi ad aquilonem, exercitus cuſtodis eum cum ſuis paucillis penitus ſuffocaret. Et ideò ipſe Eadwardus, tanquam res deſperata, animam ſuam in manibus proptiis commiſit, gubernaculo nihilominus Dei dirigendam. Propter quod Vegetius de re militari, libro 11. ait: "Plerique rei militaris ignari, pleniorem victoriam credunt ſi adverſarios aut loco-

"rum

Ranulphi comes Moraviæ, Archibaldus de Douglas frater incliti Jacobi, à Paganis, ut præmittitur, occiſi, et Simon Fraſer, cum mille hominum electorum in villa de Moffet congregati ſunt. De qua exploratores miſerunt ad conſiderandum ſtatum dicti Eadwardi de Balliolo in villa tunc de Anand perhendinantis: quique etiam ſupra infra paucos dies in villa de Irwyne ad pacem ſuam multos nobiles aſſumpſit; inter quos etiam D. Alexandrum de Bruce comitem de Carrik et D. Galwidiæ, ſibi flexit. Nocte etenim venerunt prædicti Archibaldus et comes Moraviæ cum ſuis, eodem anno miſſi à cuſtode ad villam de Anand, ubi, habito militari congreſſu repentè et ſubitò cum Eadwardo de Balliolo, idem Eadwardus in fugam eſt converſus et fugatus ſuper ſimplicem equum, carentem freno et ſella, unâ tibiâ caligatus, alterâque nudatus. In hoc congreſſu viriliter ſe habuit dominus Henricus de Balliolo, qui cum grandi pertica multos ad ſe de noſtris pepulit, multos ad terram projecit, et letaliter vulneravit. Tandem ingruente pugnâ, ipſe Henricus cum Johanne Moubray, Waltero Comyn et Ricardo Kirby militibus, xvij. Kal. Januarii, cum multis aliis validis viris occubuit. In quo conflictu captus fuit comes de Carrik, Alexander viz. Bruce ſupradictus, per comitem Moraviæ, et à morte liberatus.

CAP. XXVI.

De falſitate regis Angliæ Eadwardi de Windeſour, et natura Anglicorum.

AUdiens Eadwardus de Windeſour rex Angliæ infortunium Eadwardi de Balliolo, qui ad eum pro ſuccurſu acceſſerat, immemor ſatis ſuæ propriæ ſalutis, juramenti prævaricator, fidei propriæ violator, ſponſionis perpetuæ pacis ſigillis et literis roboratæ neglector, ſuccurſum celerem promiſit: et undique exercitum maximum contra ſororium ſuum regem David et ſuos liegios, ruptis vinculis pacis et confœderationis, cum omni potentia Walliæ, Vaſconiæ et Angliæ, adjunctis ſibi Scotis Eadwardo de Balliolo faventibus, qui plures erant, congregavit. Mirum igitur maximum Scotis ſæpiùs exoritur, quòd illa gens Anglica, pollens tanquam Angelica, quando velit, ſcit ſecum pacem componere, amicitiam ſimulare, injurias diſſimulare, fraudem continuare; hoc eſt quamdiu ſperant ſe non poſſe reſiſtere Scotorum voluntati: quando autem virgâ directionis, virgâ fortium regni Scotiæ ad tempus caſtigantur, tunc optimè norunt amicos ſe prætendere in obſequio, quanquam hoſtes in animo: compoſiti ſunt verbo ad extra, ſed furentes odio ad intra. Sciunt enim retorquere à voluntate vultum, ab animo verbum, à mente linguam, ab intellectu loquelam. Scotos etiam plerumque, quos exteriùs plauſibiliter collaudant, interiùs contradictoriâ deriſione

" rum anguſtiis, aut armatorum multitudine circumdederint, ne aditum non inveniant rece-
" dendi: ſed è contra clauſis ex deſperatione creſcit audacia. Sed cum ſpei nihil eſt, ſu-
" met arma formido. Libenter cupit commori qui ſine dubio ſcit ſe moriturum. Ideoque
" Scipionis laudata eſt ſententia, qui dixit, viam hoſtibus qua fugerint inveniendam: nam
" cum abſcedendi aditu pateſacto mentes omnium ad præbenda terga conceſſerunt, multi
" more pecudum trucidantur; nec inſequentium ullum periculum eſt, cum victi quibus
" defendi poterant arma in fugam converterunt." Hæc ipſe.

defraudant:

defraudant: foris eis applaudunt vultu virgineo, intùs ſcorpionis pungunt aculeo: foris adulationis mellitos compluunt imbres; ſed intùs deſolationis fabricant tempeſtates. Unde quidam:

Anglicus eſt Angelus, cui nemo credere poteſt:
Cùm tibi dicit Ave, *tanquam ab hoſte cave.*

Ut ſi velis anguillam aut murenulam ſtrictis tenere manibus, quanto fortiùs preſſeris tanto citiùs elabitur; quia ſic eſt de Anglis, quemadmodum de anguillis. Et quid mirum ſi præ omnibus aliis gentibus intenti ſint proditionibus et fallaciis, ut patet ſuprà lib. III. cap. lvij. et ſequenti, cùm etiam ipſorum reges fidem nunquam Scotis ſervare curaverint? Igitur, præ omni alia gente quæ ſub cœlo eſt, proditionibus magis inſiſtunt. Fidem datam nemini ſervant. Fidei, Scripturæ et Sacramenti religionem, quam ſibi obſervari velint, aliis præſtitam quotidie violare nec verecundabantur nec verentur. Unde et tu, Scote, cùm cautelas omnes adhibueris, cùm ſecuritati et indemnitati tuæ, tam ſacramentis et obſidibus, quàm amicitiis firmiter junctis, et beneficiis multimodè collatis, modis omnibus invigilaveris, tunc primò cavendum eſt tibi: quia tunc præcipuè ipſorum vigilat malitia, cùm, ex ſecuritatis abundantia, te tibi præſenſerint non evigilare. Tunc demum ad artem nequitiæ ſuæ, ad conſueta fallaciæ tela recurrunt; ut tunc, ſumptâ ſecuritatis occaſione, lædere valeant improviſum. Eſt igitur longè fortiùs timenda eorum ars, quàm Mars; eorum virus, quàm vires; eorum pax, quàm fax; eorum mel, quàm fel; malitia, quàm militia; proditio, quàm expeditio; amicitia defucata, quàm inimicitia deſpicata. Unde hæc illorum vera poteſt eſſe ſententia:

Dolus an virtus quis in hoſte requirat?
Hi mores nec bello fortes, nec in pace fideles.
Anglorum gentes perfidi ſunt membra Neronis,
Multos fallentes veluti nati Pharaonis:
Juſtos lædentes, ſed non per vim rationis.
Ergo languentes capientur in ore draconis.

CAP. XXVII.

De obſidione Berwici, et bello de Halidona.

ANNO igitur Domini milleſimo trecenteſimo triceſimo tertio, timentes Scoti falſitatem regis Angliæ, commiſerunt cuſtodiam caſtri Berwici domino Patricio comiti Marchiæ, et ejuſdem villæ cuſtodiam domino Alexandro Seton ejuſdem. Quo in tempore cuſtos Scotiæ dominus Andreas de Moravia manu forti villam petiit de Roxburgh, ubi audivit eſſe Eadwardum de Balliolo cum ſuis, adventum regis Angliæ præſtolantem. Quem Eadwardum cum ſuis impetiit dictus cuſtos, ſed et Anglici viriliter ad pontem de Roxburgh ſibi reſtiterunt; ubi unus armiger ex parte cuſtodis, Radulphus Golding nomine, periculo conſtitutus, et ad terram ab Anglis proſtratus, cuſtos è veſtigio, præ aliis pontem petens, eundem eſt ſecutus, quem tamen de ſuis nullus aſſecutus eſt. Ubi poſt diram pugnam manibus Anglo-

rum cuſtos eſt concluſus, et à ſuis penitùs avulſus, nulli ſe dedidit pro tunc, ut moris eſt captivorum, donec præſentatus regi Anglorum ad obſeſſionem caſtri de Berwik properanti, ſeſe ſubjecit ſuæ deditioni. Quo etiam in tempore apud Lochmaban captus eſt ab Anglis quaſi flos militiæ totius vallis Anandiæ: inter quos captus eſt nobilis Willelmus de Douglas de Liddaliſdale, miles, qui cùm apud eos captivus ſteterat per duos annos, non ſine magna difficultate liberatus eſt.

Obſidionem itaque firmavit rex Angliæ apud Berwicum pridie Idus Aprilis, et ipſam hoſtiliter continuavit uſque ad decimum quartum Kal. Auguſti, pridie feſtum Margaretæ. Quo die commiſſum fuit lacrimabile bellum de Halidona; ubi, juxta interpretationem nominis loci, Scoti ſunt devicti, et fere penitùs deleti, maximè qui partem regis David fovebant vel tenere diligebant. Sed adhuc, juxta vaticinium, reſtat aliud bellum fiendum ibidem, quando non ſolùm nomen mutabis ſed omen. Unde;

In ſacro monte pugnans gens Scotica ſponte,
Urſinâ fronte cadent Angli, non ſine ſonte.

Dira etenim exſtitit villæ obſeſſio, tam per mare, quàm per terram: ubi tamen illi de intùs viriliter ſe defendunt, comburentes et demergentes magnam partem claſſis Anglicanæ. Ubi viriliter præliando, patre ſpectante de muris, Willelmus Seton infra naves eſt ſubmerſus. Timuerunt valde nihilominus oppidani ferocitatem regis Eadwardi, et ſic ſecum tractaverunt, quòd, ſi infra certum tempus ſuccurſum à Scotis non acciperent, regi Angliæ oppidum deliberarent. Pro cujus ſecuritate capitaneus villæ dominus Alexander Seton præmiſſus, Thomam, filium ſuum et heredem, regi Angliæ obſidem dedit. Interea verò Archibaldus de Douglas, qui Tyneman dictus eſt, ſtatim poſt captionem domini Andreæ de Moravia cuſtodis, gardianus effectus eſt. Qui quoniam alti cordis et bellicoſus exſtiterat, ſtatim omnem multitudinem Scotorum parti regis David faventium collegit, et bellatorum ſexaginta millia recenſiti ſunt. Cum quibus, ut conſilio decretum fuit, terram Anglorum propoſuit invadere, et omnia viſu delectabilia ferro et flammâ pertranſire; ut vel ſic obſidionem à villa valeret interrumpere: quod utique, ut poſtea compertum fuit, feciſſet, ſi propoſitum obſervâſſet. Procedentes nihilominus Scoti, aureis interſigniis elevatis, et oppanſis vexillis coruſcantibus, armiſque militaribus Soli reverberantibus, in Saningſide Berwicibus ſe bellicè monſtrarunt: ad quorum contuitum oppidani lætati, et obſidentes conſternati; cœptum iter placidè Scoti ſunt arrepti.

CAP. XXVIII.

Adhuc de eodem, et de deditione Berwici regi Angliæ.

QUOD videntes Berwiciani timuerunt, et nuncios eis clanculò miſerunt, adhortantes ut reverterent, et cum rege Anglorum viriliter decertarent. Judicaverunt enim eos Anglis eſſe præeminentiores, et multo validiores ad conflictum. Qui, eorum ſtultis devicti conſultationibus, habenas retorſerunt, et in parco de Duns hac nocte caſtrametati ſunt.

ſunt. Quod comperiens rex Angliæ, ante tamen diem contractûs deliberationis oppidi *, ad portas acceſſit, introitumque ac deliberationem villæ petiit. Sed quia hoc ſibi denegatum fuit, patibulum ante fores erexit, et Thomam de Seton, in præſentia utriuſque parentis, ſuſpendio interemit. In craſtino verò Scoti, i. e. in feſto † S. Margaretæ virginis, arroganter ad bellum diſpoſiti proceſſerunt, et apud Halidonam inconſultè campum elegerunt. Nam tunc inter utrumque exercitum exſtitit quoddam vallilutoſum mareſium, et magnus patuit Scotis priùs deſcenſus, et abruptus dehinc aſcenſus, antequam ad campum pervenirent. Ubi Anglici ſatis cautè, diverſis turmis et avantagiis præconceptis, de facili poterat unus tres Scotos debellare. Et quamvis in vanum laboraverunt, viriliter tamen invaſerunt. Ubi quoddam agmen, cui Hugo comes Roſſenſis præerat, in catervam illam quam Eadwardus de Balliolo ducebat, à latere viriliter irruit; ſed illam diſtrictè irruentem nequaquam potuit diſgregare. Nec mora; currunt undique hinc inde catervæ, et ſeſe mutuò confligentes immani pugnâ laceſſunt. Sed Scoti, ob aſcenſum anhelitu ſequeſtrati, poſt maximam ſtragem retrocedere ſunt coacti. Fit itaque miſeranda cædes, miranda fuga, et Scotorum captio inenarranda. In craſtino verò juſſit rex Angliæ omnes captivos exanimari: multi tamen, tam nobilium quàm aliorum, inocciſi reſervantur. Nomina nobilium occiſorum ex parte regis David ſunt hæc: Tres incliti fratres, Jacobus viz. Johannes et Alanus Stewart, filii nobilis Walteri, et fratres Roberti poſtea Scotorum regis, Archibaldus de Douglas tunc cuſtos Scotiæ, Hugo comes Roſſiæ, Kennethus comes Suthirlandiæ, Alexander de Bruce comes de Carrik, Andreas, Simon et Jacobus Fraſer fratres, et alii nobiles quamplures, quorum nomina per ſingulos recitare, magis lacrimabile, quàm expediens, eſt. Numerus in hoc bello occiſorum decem millia et ultra. Et ſtatim poſt commiſſum bellum, extinctâ omni ſpe ſalutis et ſubſidii, ſalvis habitantibus in ea bonis univerſis, vitâ, membris et poſſeſſionibus, comes Marchiarum et dominus Alexander Seton caſtrum et villam de Berwik regi Angliæ reddiderunt, et ſibi fidelitatem juraverunt. Qui quidem comes, compulſus per regem Angliæ, caſtrum de Dunbar priùs dirutum magnis reædificavit propriis expenſis. Abhinc infra paucos dies, Anglici cum Eadw. de Balliolo univerſum regnum, diſpoſitis hinc inde cuſtodibus caſtrorum, juſticiariis, vicecomitibus, et officiariis, in manibus ſuis reſaiſiaverunt, exceptis duntaxat quatuor caſtris, cum uno fortalicio, videlicet Dumbretan, cujus cuſtos fuit dominus Malcolmus Flemyng; Lochlevin, cujus Alanus de Veteri-ponte; Kildromy, cujus domina Chriſtiana de Bruce; Urquhart, cujus dominus Thomas ‡ de Lavedir, qui vocatus eſt bonus, cuſtodes exſtitere; et fortalicii de Louchdoun, quod tunc Anglicè vocabatur Pele, cuſtos erat valens vernaculus, Johannes videlicet Thomæ.

* At termino deditionis decurſo hoc factum, ſecundum editionem Hearnii; cui opinioni potius accederem: licet Anglos in proſperis crudeliſſime, in adverſis abjectiſſime ſe gerere ſatis notum ſit. † Immo pridie, ſive Julii die xix. pugnatum eſt. Vide Rymeri Acta publica Angliæ, Vol. IV. p. 568. ‡ *Robertus*, MS. Cæpr.

CAP.

CAP. XXIX.

De literis miſſis, à domino Papa et rege Francorum Philippo, regi Angliæ pro pace, &c.

ANNO Domini milleſimo trecenteſimo triceſimo quarto, iv. Nonis Martii, venerunt nuncii regis Franciæ apud Perth, miſſi ad tractandum de pace inter reges Scotiæ et Angliæ; accedente ad hoc conſenſu ſimul et præcepto * ſummi pontificis Benedicti XII. cum ſuis literis patentibus utrique regi, Angliæ et Scotiæ, directis; quos rex Angliæ non ſolùm audire, ſed nec videre dignatus eſt. Et poſt hæc etiam, iterum † miſſis aliis nunciis regi Angliæ ex parte regis Franciæ Philippi, et David regis Scotiæ, pacem et concordiam rex Angliæ omnino recuſavit. Eodem anno, circa finem menſis Auguſti, apud Perth mota eſt diſcordia inter Eadwardum de Balliolo, inſtantem pro domino Alexandro de Moubray, et dominos Henricum de Bello-monte, David comitem Atholiæ, et Richardum Talbot, nitentes prædictum Alexandrum ab hereditate repellere, et filias fratris ſui, veras heredes jure ſucceſſionis, ſibi anteferre ‡. Cujus rei cauſâ diſcordes facti, ab invicem receſſerunt; Eadwardus verſus Berwicum, Henricus de Bello-monte verſus Dundarg in Buchania; cujus caſtrum fortiter reparavit, et toti Buchaniæ imperavit; Comes Atholiæ David verſus Lochindorb, ſinguli vias dirigentes: Richardus verò Talbot ad Angliam tendens, per Laudoniam iter faciens, ſexto Idus Septembris captus eſt ibidem. Iſta attendens Eadwardus de Balliolo, et cautiùs volens agere, amovit à ſe dictum Alexandrum de Moubray. Et quia egreſſus unius operatur ingreſſum, ut dicitur, alterius, ad gratiam dictos Henricum de Bello-monte et comitem David reaſſumpſit; dicto comiti David feofamentum faciens omnium terrarum Seneſcalli Scotiæ. Dominus autem Alexander de Moubray, timens partis adverſæ potentiam ſimul et ſævitiam, domino Andreæ de Moravia, qui paulo antè, ſolutâ redemptione, liberatus fuit à carcere, totaliter adhæſit. Qui ſimul conjuncti, cum ſua potentia Henricum de Bello-monte in caſtro de Dundarg per aliquot tempus obſederunt. Sed Henricus de Bello-monte de ſuccurſu deſperans, penſatâ etiam inopiâ victualium, et conſiderans ſe non poſſe caſtrum defendere, ſalvis ſibi vitâ et membris et bonis univerſis, conceſſo inſuper ſalvo et ſecuro conductu tranſeundi in Angliam cum uxore, liberis et tota familia, decimo Kal. Januarii prædictis Andreæ et Alexandro caſtrum antedictum reddidit et liberavit; promittens fideliter, ſub debito juramento, circa pacis conformationem laborare. Non multis diebus poſt evolutis, apud Dundé navim cum ſuis ingreſſus, ſine mora partes petiit Anglicanas. Interim verò peragratis per Eadwardum de Balliolo planis, et terris Scotorum, quibus ſibi placebat, hinc inde collatis, tandem ad Renfrew, villam regiam, pervenit. Ubi regio more feſtum faciens, convivis ſuis terras et officia diſtribuit, et hominium à diverſis libere-tenentibus recepit: ubi allatæ ſunt ſibi claves de Rothe-

* *Al.* accedente ad hoc mandato S. P. † *Iteratis* pro *iterum miſſis*, MSS. plerique.
‡ Ita MSS. D. G. M. *auferre*, MS. Coll. Edinb. *et filias fratris ſui jure ſucceſſionis auferre*, edit. H.

ſay

ſay et Downhowne. Ad has partes locum-tenentem conſtituit Thomam de Wollor, et dominum Alanum de Lile vicecomitem de Bote et Cowale; camerarium verò ſuum conſtituit virum induſtrium, et ſuper ceteros in regno, tanquam alter Chuſi, conſilio pollentem, dominum Willelmum Bullok preſbyterum: cui etiam commiſit cuſtodiam caſtrorum Sancti Andreæ et de Cupro, atque aliorum diverſorum fortaliciorum. Hoc enim in tempore juvenis Robertus, Scotiæ Seneſcallus, regis heres deſignatus, quindecim exiſtens annorum, lateſcens præ timore inimicorum in caſtro de Rotheſay, habens magnas conſolationes et crebras interlocutiones cum duobus fidis hominibus regis Scotiæ, Johanne viz. Gilberti et Willelmo Heriot, in baronia tunc commorantibus: qui, ſicut inter eos conventum fuit, quodam ſero ipſum ab inſula vexerunt, et ad portum de Inwerk quâdam ſcaphâ tranſportaverunt: ubi quidem, aſcenſis ad hoc equis præparatis, cum duobus ſervitoribus cartas de Stewartlandis ſecum deferentibus, et ſuo cubiculario adoleſcente, diluculo ad Wimirtannoch proſperè pervenerunt, à quo in batella trans amnem advecti, caſtrum de Dunbretan petunt, et gratanter à domino Malcolmo Fleming intromittuntur: ubi ſine metu ad tempus conſiſtens, avidus expectat auras gratiores.

CAP. XXX.

Quomodo Johannes Strivelyn obſeſſit caſtrum de Lochlevin.

ANNO Dom. MCCCXXXV. dominus Johannes de Strivelyn, miles regis Angliæ, cum magna multitudine tam Anglicorum quàm Scotorum Anglicatorum, inter quos erant Michaël de Arnot, Michaël et David de Wemys, et Ricardus de Malavilla, milites, cum aliis pluribus, ad pacem regis Angliæ tunc converſis: qui omnes ad obſidendum caſtrum lacûs de Levin, in medio Quadrageſimæ anni ſupradicti, pariter confluebant. Peragratis tandem lacûs finibus, caſtri videntes firmitatem, et quòd leviter capi non poterat, locum ſibi manſionis ceteris ſecuriorem, in quo ipſum faciliùs expugnarent, apud Kinros elegerunt: in cujus ſacroſancto cœmeterio fortalicium de le Fale, Divinum poſtponentes judicium, per circuitum conſtruebant. Et ſic, proh nefas! à ſolo nomine Chriſtianis Chriſti eccleſia contemnitur, et in ſpeluncam latronum perperam commutatur. Etenim illo tempore prædictum caſtrum inhabitabant Alanus de Veteri-ponte, cuſtos ejuſdem, Jacobus Lambyn cives Sancti Andreæ, et multi alii Scoti fortes et robuſti. Pars ſiquidem Anglicana cœpti operis exiſtens executrix, circa caſtri everſionem cum machinamentis bellicis quotidie laborabant. Caſtellani è contra ſatis circumſpecti, ſeipſos et ſua firmiter munire ſatagebant; Anglicis enim dolis et decipulis inſiſtentibus, Scoti, eorum flexuoſas cautelas refellere contendebant. Angli etenim in receſſu aquæ lacûs de Levin, apud ſinum ejus, meatum omnino obſtruere nitebantur. Propter quod circumvicinos ex omni parte Scotos, tam mares quàm feminas, angariaverunt de turbis et terræcidiis firmiſſimum murum componere, tam elevatum et altum, de glebis terreis propterea compactum et condenſatum, ut aqua, non habens ſolitum exitum, ſeſe ingurgitaret, et murorum caſtri altitudinem, infra ſpatium concreſcens,

tranſcenderet, et caſtellanos funditùs ſubmergeret. [*Nam ad illud perficiendum non ſine magnis impendiis traxerunt aquam de Doven per ſciſſuras terrarum milibus uſque ad villam de Kinros, prout adhuc veſtigia contemplantibus dant indicium.] Sed non eſt conſilium contra Dominum. Inſulanorum enim conſiliator et protector beatus Servanus, contra invaſionis et conſtructionis Anglicorum aſſultamenta, ſuis inſpiravit defenſionis, et, ut ita dicam, deſtructionis machinamenta.

Interea, appropinquante anniverſariâ ſolemnitate beatæ Margaretæ Scotorum reginæ, prædictus Johannes de Strivelyn ipſam ſolemnitatem apud Dunfermelyn, ut moris eſt, per ſingulos annos celebratam, affectans viſitare, quoſdam de ſuis ſecum ire fecit: nonnullos verò, propter caſtri obſidionem, in fortalicio et in circuitu lacûs reſidere et excubare mandavit. Re verâ tam victualium, quàm focalium ac ceterorum neceſſariorum penuriam ſuſtinentes, caſtellani, agnito dicti D. Johannis receſſu, miſerunt de noctu quatuor viros† audaces, ad eorum neceſſitatibus ſubveniendum: qui in quadam liburna ad obſtructum aquæductûs, cum inſtrumentis ad hoc proviſis, exeuntes, murum ex parte orientali, à vigilibus imperçepti, laborioſè transfodiunt, totâ quaſi nocte laborantes, ſed tandem de propoſito deſperantes, infecto negotio retrocedere diffinierunt; donec ab uno eorum ſuggeſtum eſt, ut ad modicum operi inſiſterent, et in fide quam erga Sanctum Servanum geſſit, ſubſidium promiſſum eſt. Cœptis igitur operam dantes, incepit aliquantulum, guttatim tamen, aqua deſudare. Quod furtiferi foſſores percipientes, omni feſtinantiâ liburnâ aſcenſâ, ſe in caſtrum receperunt, lætiſſimum nuncium ſociis retulerunt, ſubitò propterea audaciâ repletos. Aqua enim meatum ſuum magis ac magis dilatans, infra duarum horarum ſpatium cum impetu eſt egreſſa, quæ per menſem et ultra collecta erat in abundantia. Quæ caſas et tentoria, tuguria et tabernacula Anglorum, et ipſos juxta riparia hoſpitatos, cum eorum equis et harneſiis tranſvexit, et uſque ad mare perduxit; et ſic ſunt ſubmerſi in aquis vehementibus: fluminis aquarum impetus lætificavit inſulanos. Tanta ſiquidem facta fuit alluvici innundatio, ut et magnos pagos dolaret, ripas dilataret et proſterneret; ſicut adhuc veſtigia declarare poterunt curioſiùs intuenti. Dehinc alto die, ſuis præordinatis et ſecum aſſumptis inſtrumentis bellicis, ad fortalicium unanimes transfretabant.

CAP. XXXI.

Adhuc de eodem, et de promotione David comitis de Atholia.

QUOD cernentes fortalicii cuſtodes, nimium ſtupefacti, celeriter in obviàm eis exierunt. Inito itaque conflictu, multi ex utraque parte à ſagittariis vulnerantur: et, magnâ quamvis difficultate, dare terga demum Anglici ſunt coacti. Quibus effugatis, fortalicium Scoti hilares intrant, prædas diripiunt, victualia et ſpolia detrahunt, et quicquid viſu pulchrum intùs erat ſecum aſportant; et ſic lætè potitâ victoriâ caſtrum ſuum repetebant. Ceterùm prædictus dominus Johannes, per quorundam ſuorum relationem fugientium, de prædicti

*Verba uncis incluſa deſiderantur in MS. Coll. Edin. †*Quatuor curdatos vernaculos*, MS. Cupr.

conflictûs

conflictûs eventu pleniùs certificatus, ſub celeritate redit ad caſtrum, ſe jurejurando aſtringens, nullatenus à dicti obſeſſione caſtri diſceſſurum, donec ipſum penitùs deleret, et inhabitores ejus mortis ſententiâ perderet et puniret. Sed Dei providentia, quæ omnia diſponit, et ſuis fidelibus cuncta diſpenſativè largitur, oculo miſericordiæ Scoticanam gentem reſpexit, et eam à diræ ſervitutis jugo Anglicano, quo miſerabiliter tenebantur oppreſſi, paululum relaxabat: eorum potentiam amplians et confortans, Anglicorum protervam ferocitatem et fortitudinem minuens, donec à regno omnino redderet alienos. Cernenſque ex hoc prædictus dominus Johannes de Strivelyn, quod ſibi et ſuis ibidem diutiùs commorari profectus non eſſet, ſed defectus; timenſque ſuo corpori diſpendium imminere *, cum dedecore ad propria, et nota præſidia, non tamen ſine labe perjurii, repedavit.

Eodem anno, claſſis Anglicana venit in aquam de Forth, primo die Julii; ubi optima ejus navis et major, quam ammiraldus regebat, apud ſcopulos, qui le Wolffis vulgariter nuncupantur, effracta eſt. Eo tunc rex Angliæ, cum Eadwardo de Balliolo, cum magno exercitu perverunt uſque ad Glaſgw: et, celebrato concilio, David comitem de Atholia locum-tenentem Scotiæ ſtatuerunt; et incontinenti Angliam petierunt. Qui quidem David, vocatis omnibus libere-tenentibus de Stewartlandis, tanquam eorum ſuperior dominus, fidelitatem et homagium ab eis ſuſcepit. Dehinc ſeceſſit magnâ comitatus catervâ ad partes Tranſalpinas, ubi omnia et ſingula terras et dominia de le Comynis in manibus ſaiſivit. Propter cujus potentiam, nullus ibi inventus eſt qui ſibi contradiceret, nec in illis partibus fuit tunc temporis, qui ſe hominem regis David auderet profiteri, exceptis pueris innocentibus: à quibus cùm quæſitum fuerat, cujus homines fuiſſent? reſponderunt libere, Homines regis David ſumus, et nullius alterius, ipſo vivente, erimus. Quæ fuit prænoſticatio libertatis futuræ.

CAP. XXXII.

De Roberto Stewart.

EOdem tempore Robertus Stewart in Dunbretan perhendinans, moleſtè ſatis tulit, quòd comes Atholiæ David patrimonia et homines ſuos ſic vendicavit. Qui miſit pro quodam barone, domino de Louquhaw in Ergadia, in quem præ ceteris confidebat, Dungallo Cambell nomine, qui ad eum cum ſuis lætanter pervenit; et infra paucos dies coadunaverunt amicos numero quadringentos: qui ſtatim cum ſuis machinamentis, galeis aſcenſis, proceſſerunt in Cowal ad caſtrum de Downhowne; quod viriliter et inopinatè affiliaverunt, et ſive timore vel concordiali tractatu ſic ſunt operati, quòd redditum eſt eis caſtrum. Quod audientes nativi homines domini ſui Roberti Stewart, Brandani ſciz. de Botha, unanimiter ſe congregaverunt, et ad ſuccurſum domini ſui alacriter cucurrerunt. De quorum congregatione D. Alanus de Lile vicecomes inſtructus, manu validâ et armatâ iter eorum

* Inter ipſum et inſulanos tractatu qualicunque de pace et amicitia ſimulata, *addit MS. Cujus.*

anticipavit,

anticipavit, et eos omnes, quaſi inermes, in quodam arcto loco circumcluſit. Irruens igitur in eos vicecomes cum ſuis, Brandani agilitate ſolitâ, lapides manibus arripiunt, et tanquam grandinem, lapides in vicecomitanos jaciunt, et non modicam ſtragem efficiunt, vicecomitem interficiunt, reliquos fugientes accipiunt, et de eorum ſpoliis et armis ſe muniunt, et ad dominum ſuum caput vicecomitis levantes in xenium offerunt; et pro ſua remuneratione dietæ petunt, ut à multura pro perpetuo ſint liberi: quod gratanter conceſſit, et eos, quoad vixit, magno favore complexus eſt. In hoc conflictu capitaneus caſtri de Botha, Johannes Gilberti nomine, captus eſt, et Roberto Stewart præſentatus; qui ſtatim ſibi deliberavit caſtrum, et ſibi fecit hominium.

Tales Brandanos rex cæli ſuſcipe ſanos;
Ex quibus ornantur, quæ facta per hæc videantur.
Poſce precor Sanctum, cui tu præbes famulatum:
Protegat teque regat, tecum per ſecula degat.

Crebreſcente quotidie rumore arridentis fortunæ juvenis Seneſcalli Scotiæ, Willelmus de Carrutheris cum fratribus, nepotibus ac cognatis ſuis, probis viris et probatis Scotis, qui ad partem regis Angliæ pro nulla amiſſione temporalium deflecti potuerunt; quique in valle de Anandia latitantes, et in maxima penuria, tanquam ſilveſtres, hinc inde vagantes, ſeſe demum unanimiter, quaſi examen apum, congregantes, ſpectabili ſatis cuneo ſe committunt Seneſcallo. Qui de eorum adventu jocundatus, ſibi, eodem tempore, Thomas de Bruce cum melioribus de Kyle adjunctus eſt. Catervatim igitur ad eum hinc inde confluentibus, cœpit viriles quoſque allicere, et cordatos Scotos ad ſe trahere; exercitum ſuum quotidie augmentare, et ipſorum animos, vicariâ dilectione et firmitate fidâ, ſibi conglutinare. Qui quidem pubeſcere tunc cœpit adoleſcens, ſpecioſus formâ præ filiis hominum, corpore largus et procerus; omnibus affabilis et modeſtus; largus, hilaris, et honeſtus: in quo tantam gratiam innata bonitas præſtiterat, ut à cunctis fere populis fidelibus Scotis avidè amaretur.

CAP. XXXIII.

De felicibus ſucceſſibus Seneſcalli et Johannis comitis Moraviæ cuſtodum Scotiæ.

INTER hæc à tranſmarinis partibus et à rege Scotorum David Johannes Ramulphi comes Moraviæ repatriavit, et apud Dunbretan applicuit incolumis; quem gratanter recepit Seneſcallus. Et quia tunc magna potentia accrevit Seneſcallo, nec res aut negotium pati poterat otium, miſit, quaſi omni die, trans Clydum valentium catervas hominum, qui, hac illacque diſcurrentes, patriam populantur, prædas diripiunt, captivos ducunt, vel ad fidem Scoticanam convertunt. Et ſic infra breve inferiorem partem de Clyddiſdale, velint nolint habitatores, ſibi ſubjugales eos efficiunt. Ad Seneſcallum dehinc baroniales de Renfrew adveniunt, et ſibi, tanquam proprio domino, humiliter ſe offerunt. Ad quorum exemplum Godefridus de Ros vicecomes de Ayre, poſt tamen aliqualem reſiſtentiam, cum univerſitate de Carrik, Conyngham

Conyngham et Kyle, attractus ſive coactus, placuit Seneſcalli ſe ſubdere legi. Placuit etiam proceribus et communitatibus eligere Seneſcallum et comitem Moraviæ in regni cuſtodes, promittentes aſſiſtentiam et perſonale obſequium ad quæque imperata. Audiens igitur comes Moraviæ tyrannidem comitis Atholiæ, et qualiter intruſit ſe in terris ſuis, et in terris Seneſcalli, aſſociatis ſibi victorioſis militibus, cum ſuis ſibi firmiter adhærentibus, calamitatem patriæ ſuæ dolens, adivit partes boreales. Cui cito occurrunt ſui nativi homines, et comitem David, à probioribus derelictum, comes Moraviæ non ceſſat perſequi fugientem, donec ad acceſſus immeabiles eum in Lochabir circumſtrinxit; et tamdiu fame et frigore eum cum ſuis militibus diſciplinavit, ut, vel ſaltem coactus, fidem regi David fecit: et hanc cum omnibus ſuis magno ſacramento confirmavit. Quem etiam apud partes boreales cuſtos poſt eum locum-tenentem conſtituit, ut ad fidem regis reliquos conciliaret: qui hujuſmodi officium non ſegniter peregit, quamdiu ad fidem regis permanſit. Cuſtos verò cum ſuo exercitu ad Laudoniam acceleravit, ut auſtrales Scotos ad fidelitatem converteret. Cui in Laudonia occurrit nobilis miles Willelmus de Douglas, recenter de diſtrictu et captivitate Anglicorum liberatus. Qui, emendam de captu ſuo intendens rehabere, quantas depopulationes, cædes, captiones, fugas, et flagellationes, paucis ſecum concomitantibus, de Anglicis expetiverit, ac etiam prudenter, viriliter et victorioſiſſimè bella peregerit, ſi quis ſciret retexere, magnum et placabile volumen per ſe poſſet depromſiſſe. Veteres enim ſimultates inter comitem David Atholiæ et hunc dominum Willelmum de Douglas, neſcio qua de cauſa exortæ, de facili ignoſci nequiverunt. Propter quod, ut quidam volunt, comes David ſic cum Anglis tractavit, quòd ejus liberationem ad tempus elongavit.

Illis etiam diebus nobilis Alexander de Ramſay, flos dictus militiæ, cum dominis Laurentio de Preſton, Johanne et Johanne de Heryng et Haliburtona, militibus, firmiter cum cuſtodibus regi adhæſerunt, et de Anglis ſæpiſſimè viriliter triumphaverunt.

CAP. XXXIV.

De conſilio tento apud Darveſy, et miraculo Sancti Columbæ.

ANNO Domini milleſimo trecenteſimo triceſimo quinto, menſe Aprili, Robertus Seneſcallus Scotiæ et Johannes comes Moraviæ, cuſtodes * Scotiæ, apud Darveſy † ſuum tenuerunt parliamentum, comparentibus ibidem Andrea de Moravia, qui noviter magnâ redemptione liberatus eſt de Anglia, Patricio comite Marchiarum, Alexandro de Moubray, et Willelmo de Douglas, cum aliis potentibus ex una parte, prudenter ac quietè ſe habentibus; et David comite Atholiæ cum magna potentia ex parte altera: ubi, propter ejus tyrannidem, nihil aliud actum eſt niſi deriſione dignum. Hic Seneſcallo adhærens, qui

* *Cuſtos*, edit. Hearn. infra vero *cuſtodum*, idem habet exemplar, ubi MS. Harl. *cuſtodis*. Exſtant certe chartæ per Robertum Seneſcallum Scotiæ, et Johannem Moraviæ comitem, locum-tenentes Davidis regis, circa hæc tempora conceſſæ, quarum una occurrit in chartulario monaſterii de Abirbrothoc in bibliotheca Facultatis juridicæ Edinb. fol. 125. data xvij. Martii, A. D. MCCCXXXV. † Al. *Deruſy*, et *Darſy*.

tunc non magnâ regebatur ſapientiâ *, ſed comitem Moraviæ et Willelmum de Douglas deſpectui habens, omnibus ibi exiſtentibus factus eſt infeſtus: ſed circumſpecta prænominatorum prudentia immanem ipſius ſævitiam callidè declinavit. Interea cùm compertum eſſet regem Anglorum cum Eadwardo de Balliolo ad regnum adventâſſe cum incredibili potentia, tam per mare quàm per terram, ex præcepto † cuſtodum, omnibus incolis in planis habitantibus ad montana et loca tutiora, cum bonis mobilibus et cunctis animalibus ‡ fugientibus, pridie Nonas Julii navigium regis Angliæ in aquam de Forth applicuit. Et rex Angliæ cum Eadwardo de Balliolo, habens ſecum nonaginta millia equitum, et novies viginti naves, apud Perth tentoria fixit, et ibidem uſque adventum comitis Atholiæ moram faciens, terram circumquaque deprædavit.

Quo in tempore cùm claſſis ſua piratica in Forth debaccharetur per portus et maritima, una navium major et immanior ceteris intravit canonicorum inſulam Æmoniam, et ipſam omnibus bonis mobilibus, tam eccleſiaſticis quàm mundanis, ac etiam, cum ceteris imaginibus, inſigni imagine Sancti Columbæ, quæ adhuc habetur in eccleſia ejus monaſteriali, ad navem deductis, exſpoliavit. Paratis igitur poſt aliquod tempus, et ad invicem collectis omnibus navibus, erectis velis, Anglici, cum proſpero vento et votivo, partes ſuas repetere cœperunt. Et ecce! cum omnes concordi aurâ oppanſis velis maria ſulcarent, illâ duntaxat infauſtâ ſpoliatrice circumductâ turbine, Subſolanus cum ſuo collaterali Euro in eam ſæviſſimè furiebat in tantum, ut, clavâ è manibus nauſtrelogi amiſſâ, à graſſante procella in ſalebris ſpumoſis ſubmerſionem minitata eſt carina: quæ cum impetuoſo fragore, vento reciproco, et velo retorto, cùm ad inſulam quæ Incheketh nuncupatur, non multùm ab Æmonia, ſed diſtantem quaſi per ſex milliaria, ipſis invitis, appropinquarent, et ad ſcopulos ejus conquaſſari timerent, veniam à Sancto præcabantur, vota de emenda pollicitabantur, et ſtatim in tranquillo portu inſperatè ducebantur. Ubi, quaſi de morte reſuſcitati, terram ovanter applicantes, exoneraverunt ſe de imaginibus et ſpoliis: quibus in Incheketh, unà cum condigna oblatione auri et argenti intromiſſis, ſcultam ad Kingorn-regis miſerunt, ſupplicantes, et mercedem propterea ſolventes, quatenus divinæ caritatis intuitu, et mercedis dignæ reſpectu, reſtaurarent Sancti Columbæ manubias et ablata, eulogiaque oblata. Quod et factum eſt: properanterque vento eis placido ſuperveniente, ad caput Sanctæ Ebbæ anticipaverunt curſum navigii ſuorum complicum, non ſine inſolita admiratione, et Sancti Columbæ ſpectabili glorificatione. In hoc alludit veteri ipſius miraculo in conſpectu Brochani malefici perpetrato; qui velum contra ventum juſſit erigi, et, cunctis admirantibus, ſic procedi.

* Hæc verba, *qui tunc non magna regebatur ſapientia*, ex Hearnii edit. ſupplentur; nam in MSS. noſtris deſiderantur, à Bowero forte expuncta. At quid mirum, ſi infra ætatem juvenis ſenibus aſtutiâ cedat? † Publico edicto, *MSS. Cup. et Perth.* ‡ Catallis *pro* cunctis animalibus, *MSS. plerique.*

CAP.

CAP. XXXV.

De conflictu inter Gellerenos et Scotos, et captione cuſtodis.

HOC in tempore comes Moraviæ cuſtos Scotiæ * apud caſtrum de Tarbard conſiſtens, multos et multifarios, cum Johanne de Inſulis ejuſdem, tractatus habebat; qui nimium parti Anglorum favebat. Comes autem qualicunque reſpectatione treugicâ ad tempus punctuatâ, partes petiit auſtrales. Ad cujus inibi adventum magnanimus et illuſtris bellator comes de Geller, cum valida manu armatorum, eodem anno tertio Kalendas Auguſti, de partibus ultramarinis veniens, cauſâ ferendi auxilium regi Angliæ Scotiam intravit. De cujus adventu certificatus dictus cuſtos, qui tunc declinavit partes boreales, propter tyrannidem comitis Atholiæ, adjunctis ſibi comite Marchiarum, Willelmo de Douglas, et Alexandro de Ramſay, cum multis aliis, congreſſum cum eis habuit apud Borrow-more juxta Edinburgh; ubi, multis ex utraque parte occiſis, demum quædam virago Gellerena, armis militaribus contecta, et quidam armiger Scotus, Richardus Schaw nuncupatus, ambo decenter armati ſuper fortes equos reſidentes, erectis ſuis haſtis, in adverſis partibus ſteterunt: ſed confeſtim urgentes equos calcaribus, pernici curſu alterna ſeſe corpora lanceis transfixerunt; et ſic letifero vulnere ad terram mortui ceciderunt. Tandem utriſque ſpoliatis, militaris de Gellerand comperta eſt eſſe mulier. Prævaluiſſent ut creditur Gellereni, ſi non tempore conflictûs ſuperveniſſet ſubitò Willelmus de Douglas cum ſuis, et aliis de Pentlandhillis et è vicinis gregatim concurrentibus: quorum inopinato adventu Gellereni ſtupefacti, fugam ad villam, ſemper tamen pugnantes, aſſumere ſunt coacti. Fugerunt enim per vicum Fratrum, et ab Oriente per alium qui dicitur *Sant-Mary-Wynd*, ubi inſignis belliger, dominus David de Anandia, miles, cum ceteris Gellerenos fugans, ab uno eorum ſauciatus vulnus accepit: qui, viſo ſuo proprio cruore, acriore propterea irâ ſuccenſus, vires ſuas collegit, et equeſter ſtans ſtrepis erectus, bipennem grandem, tanquam alter Corineus, rotando circumduxit, et ſe vulnerantem tam violento ictu percuſſit, ut armum ejus ab humero et per ſcapulas equi uſque, non ſolùm baſes vel ungulas ejus, ſed uſque ad reſiſtentiam duri ſilicis, per medium diſſecuit, ſicut per veſtigium ejus patet adhuc in petra. Viriliter itaque fugiendo et pugnando Gellereni ſe continuerunt, donec montem doloroſum conſcenderent, ubi fuit Caſtrum Puellarum de Edinburgh, ob metum Anglorum ante hoc tempus dirutum. Rupes enim Gellereni viriliter defenderunt, et equos ſuos laſſos et vulneratos ultrò occiderunt, de eorum cadaveribus antemurale facientes: et ſic per totam illam noctem à Scotis circumſepti et obſeſſi, fame et frigore, ſiti et languore, eam inſomnes protinus tranſegerunt. Hujuſmodi angariæ Gellereni pertæſi, et ab omni ſuccurſu deſperati, in craſtino de mane deditioni Scotorum ſe dederunt, conventione factâ de redemptione ſolvenda, dummodo liberè ad patriam ſuam poterant proficiſci. Sed nobilis comes Moraviæ, cuſtos Scotiæ, ultra modum curialis, et

* Unus è cuſtodibus tunc regni, *MSS. Cupr. et Perth.*

hoſtibus,

hoſtibus, pia geſtans viſcera, nimium compaſſus eſt: ac per hoc illuſtri regi Franciæ Philippo, à quo nuper munificè receſſerat, obſequium præſtare putans, et quamplurimum placere confiſus, ipſum comitem de Geller cum omnibus ſuis, ſine redemptione vel quocunque ulteriore gravamine, reſtitutis ſibi ſpoliis ablatis, ob reverentiam dicti regis Franciæ, liberum et illæſum abire permiſit. Et ad majorem benevolentiæ ſuæ oſtentationem, aſſociato ſibi Willelmo de Douglas cum exili armatorum cohorte, dictum comitem de Geller in propria perſona ad Marchias comitatus, caſtellanorum Marchiæ Angliæ phalange, cui præerat Petrus de Pareſis, aliàs Percy, redeundo inopinatè, congreſſibus prævenitur; qui de Scotia recenter manu validâ prædas ceperunt, et, ad propria cum ſpoliis repedantes, pugnam inierunt; ubi fortiter hinc inde pugnatum eſt. Sed quia Angli in multitudine contra pauciores et inermes præſtiterant, Jacobus de Douglas, dicti domini Willelmi frater, cum nonnullis aliis valentibus viris interficitur; et ipſe Willelmus per auram illæſus elabitur, et ab ignobilibus nobilis comes Moraviæ capitur, et carceribus diris mancipatur.

CAP. XXXVI.

De conflictu de Kilblene, et interfectione comitis David.

AUditâ igitur captione cuſtodis Scotiæ comitis Moraviæ, exultavit in gaudio ſpiritus comitis David, quoniam ipſum, poſt dominum Willelmum de Douglas, maximè exoſum habuit: qui, dum cuſtos in libertate exſtiterat, fidem ſuam irritare nequaquam auſus eſt, nec ipſum publicè provocare; ſed, eo capto, ceteros quoſcumque parvipendit. Et incontinenti apud Perth, ruptâ fidelitate ſui regis liegii, ad fidem et pacem regis Angliæ et Eadwardi de Balliolo rediit; ac eiſdem * jure-jurando promiſit, omnes magnates Scotiæ ad pacem eorum, infra ſpatium modicum, ſe eſſe reducturum. Cujus promiſſi gratiâ, ex parte regum ipſorum factus eſt cuſtos in Scotia. Poſt hæc redeuntibus fugitivis, firmatis caſtris, pacato regno, et cum ſua potentia reverſo rege Angliæ ad propria, quantas crudelitates et tyrannides ipſe comes † exercuit in populo, non poſſunt ſub brevi ſtilo comprehendi: quoſdam enim exheredavit, quoſdam carceribus mancipavit, quoſdam etiam exterminavit et jugulavit; et omnes utique libere-tenentes delere de terra finaliter ordinavit. Sed, ut proverbio dicitur,

Non habet eventus ſordida præda bonos.

Nam malitiæ ſuæ Deo finem imponere volente, tandem caſtrum de Kildromy incepit obſidere. Erant enim tunc temporis tres magnates Scotiæ, viz. Andreas de Moravia, qui poſt captionem conſanguinei ſui comitis ejuſdem, revocatus eſt in cuſtodem ex parte regis David apud Dunbretan; Patricius comes Marchiæ, et Willelmus de Douglas ‡, qui ad pacem Anglorum, vel Eadwardi de Balliolo, nondum venerant, ſed ſub quodam reſpectu et ſufferentia regis et magnatum

* Promiſitque fideliter eiſdem, *edit. H.* in qua hæc omnia brevius enarrantur. † Ipſe comes, non cuſtos ſed proditor, *MS. Cupr.* ‡ W. Douglas de Liddaliſdale, *ibid.*

Angliæ,

Angliæ, quaſi meliorem fortunam hiante ore exſpectantes, nunc hîc nunc alibi occultè latitabant. Cúmque prædictus Andreas, famâ nunciante, caſtrum ſuum cum uxore per prædictum comitem cognoſceret obſeſſum, petitâ licentiâ et obtentâ à domino Willelmo de Monteacuto, regis Angliæ tunc principali conſiliario, cum auxilio ante dictorum comitis Marchiæ et Willelmi de Douglas, ſuo caſtro ſuccurſum quantocius paravit. Hi verò tres, cum ſuis adhærentibus, diris cruciatibus plebei peſſumdatæ ex corde compatientes, magis elegerunt mori in bello, quàm videre mala gentis ſuæ; atque uno conſenſu et concupiſcenti animo, pro redemptione ſervitutis, ſe dantes periculo, quaſi urſi vel leones, raptis catulis, ſævientes, ad prælia properabant; et, facto congreſſu pridie Kal. Decembris in foreſta de Kilblene, ipſum comitem cum quinque militibus et ceteris ſuis benevolis pariter ſub quercu trucidabant. Inter quos ceciderunt D. Robertus Brade, et Walterus Comyn; cujus frater D. Thomas, primò captus, et poſtea decapitatus eſt. Evaſit abhinc dominus Robertus de Menzeris, et recepit ſe in turre ſua de Canmore, et in craſtino affiliatus, venit ad fidelitatem domini ſui liegii regis David. Fuerunt enim cum comite Atholiæ tria millia virorum, et cum Andrea de Moravia octingenti electi de Laudonia et Marchia; ad quem, die præcedenti conflictum, advenerunt ſibi de Kildromy tricenti: quorum præſentiâ confortatus, et conſilio cujuſdam Johannis Crag inſtructus, feliciter victoriam obtinuit. Quâ adeptâ, multitudini plebis, quæ invita cum comite Atholiæ exſtitit, miſericorditer pepercit, et illæſam, fide datâ de parendo ſuo regi liegio, ad propria abire permiſit.

Incontinenti poſt dictum conflictum, præmiſſus Andreas cum ceteris ſuis ad caſtrum de Cupro pervenit, et eum* obſeſſit. In quo erant plures Anglicati Scoti. Sed interea, receptis literis regum Franciæ et Scotiæ, treugas caſtellanis ad certum tempus conceſſit; et conſequenter majores regni apud Dunfermelyn convocavit; ibique ab omnibus cuſtos Scotiæ eſt approbatus, et inde proficiſcens ultra montes partes boreales obfirmavit.

CAP. XXXVII.

Qualiter cuſtos obſeſſit caſtra, et de miraculo Sancti Columbæ in Æmonia in mari.

POST decurſum treugarum, feſtinavit ſe cuſtos ad obſidendum caſtrum de Dundarg, quod paulo antè reparavit Henricus de Bello-monte, quod fulminatione ingenii diruptum eſt denuo; ubi viriliter ſe habuit dominus Willelmus de Moubray, qui nuper ante ad fidelitatem regis David venit. Henricus verò de Bello-monte tractans de pace, ſalvis ſuis, reddidit caſtrum cuſtodi, et Angliam aſſecuratus rediit, nunquam reverſurum ſe promittens merâ ſuâ voluntate. Anno Domini milleſimo trecenteſimo triceſimo ſexto, dictus cuſtos cepit ad pacem regis David trans montes terram univerſam; et paravit ſe affilire caſtrum de Lochindorb. In qua fuit uxor quondam David comitis Atholiæ, quæ pro ſuccurſu ſcripſit Eadwârdo regi Angliæ; qui, mox

*MSS. Col. Edin. et Harl. *eam.*

congregato exercitu viginti millium electorum, præter ſuos Scotos Anglicatos, qui quamplures erant, tam per mare quàm per terram Scotiam cum celeritate petiît, volens refugium obſeſſæ ſubvectare comitiſſæ, et partes boreales ſuæ ditioni ſubjicere. Perveniens igitur uſque ad Lochindorb, comitiſſam cum ſuis dominabus ſecum abduxit; et, firmatâ caſtri cuſtodiâ, totam Moraviam igne conſumens, uſque Elgyn pervenit. Et progrediens inde, ſalvis eccleſia et canonicorum ædificiis de Elgyn, flammâ univerſâ devorante, villam de Abirden ſolo coæquavit.

Hac tempeſtate contigit piratas Angligenas de navibus ſuis deſcendere, et univerſa maritima cis fluvium de Forth uſque ad montes de Hochel, ſine reſiſtentia crudeliter devaſtare. Ante cujus tempora præfidebat monaſterio Sancti Columbæ de Æmonia abbas quidam egregius, qui multùm decorem domûs Dei dilexit, et non ſolùm apud monaſterium ſuum, verùm etiam apud eccleſiam ſuam commenſalem de Dolar, tunc omnino deſtructam, manus ad reformandum porrexit adjutrices. Propter quod totam machinalem ſtructuram chori de grandibus fieri fecit lignis quercinis miro artificio inſculptis, dolatis, et compactis; ita quòd unumquodque lignum dentatum fuit per tenuras in reliquum; quod intuentibus præbebat gratum ſpectaculum. Pervenientes itaque piratæ ad ipſam eccleſiam de Dolar, ipſiuſque chorum tam ſubtili ſtructurâ ligneâ fabrifactum conſiderantes, et quod unumquodque lignum ipſius, cum tabulis dolatis, poſſent ſingillatim à juncturis ſuis ſine detrimento operis de facili removere, timore Dei poſtpoſito, cæcâ quanquam cupiditate illecti; de qua in hujuſmodi veſpilionibus verificatur quod dicit AUGUSTINUS; " Non erit in carendo difficultas, ubi " fuerit in habendo cupiditas :" Cupierunt nempe et finaliter decreverunt totum chorum ligneum per tigna, laquearia, et ſarta tecta, ſparſim diſcopulata, ad naves deportare, ipſaque tabulata in Anglia ad certum locum, tanquam pretioſum joeale, reſarcire; et ipſum chorum ut priùs reparatum, pro mirabili ſanctuario quantocius dedicari. Sed non eſt conſilium contra Dominum. Illâ itaque artificioſâ compoſitione in una notabili bargia collocatâ, prædæ-nautæ hilares effecti, oppanſis velis, et ad votum obſecundante ſibi levi Favonio, verſus Angliam quantocius acceleraverunt curſum, exultantes nimium, ſicut lætantur victores cùm ad invicem dividunt ſpolia, captâ prædâ, pompaticè incedentes cum litubus et tubis ductilibus clangentes, tubicinis cantibus perſtrepentes, et maximo applauſu chorizantes. Cùm ſic ſecurè, ut creditum fuit, proceſſiſſent, ad illud Apoſtoli non attendebant, dicentis; *Cùm dixerint pax et ſecuritas, tunc repentinus eis ſuperveniet interitus, quaſi dolor in utero habentis, et non effugient.* Itinere namque nautico præcedentes à parte æque auſtrali monaſterii canonicorum Sancti Columbæ ex adverſo, cithara eorum verſa eſt in luctum, et gaudium in lamentum: quia, ecce! non ſolùm ſubitò, ſed in ictu oculi vel momenti, deſcenderunt in profundum, quaſi lapis, et cum ſonitu periit memoria eorum. Nave ſubmerſâ, omnes ſimul dimerguntur deſcendentes in profundum, ſicut plumbum in aquis vehementibus; ita quòd nuſquam comparuit, ſive ſupernatavit, nec unus quidem aſſerulus tabulati. Quod videntes ceteri ſui complices in collaterali claſſe conſtituti, horrore nimio percuſſi timuerunt, et Deum in Sancto

Sancto Columba, de tam inſperata vindicta, velint nolint, glorificaverunt: et in antea ſibi et inſulanis ſuis, vel eorum locis, nequaquam violentiam inferre devoverunt. Qua de re verſum eſt in Anglia proverbium; Sanctum viz. Columbam in ſuos malefactores vindicem fore ſatis et ultorem. Et ideo, ut non reticeam quid de eo dicatur, apud eos vulgariter *Sanct Quhalme* nuncupatur.

CAP. XXXVIII.

Qualiter rex Angliæ caſtra Scotiæ reædificat, et fratrem ſuum occidit.

POſtquam igitur hoſtiliter rex Angliæ trans Alpes omnia ſibi contraria igne et gladio humiliaverat, ad villam de Perth rediit, firmatis fortaliciis de Dunotter, Kynnef et Laurenſtoun. Poſt hæc habito diligenti tractatu, de conſilio præcipuè proditorum regni Scotiæ, villam de Perth muris et foſſis, turribus et portis, ſub omni feſtinatione juſſerat obfirmari; aſſignans ſex monaſteria, ſciz. Sancti Andreæ, Dunfermelyn, Londoris, Balmurinach, Abirbrothock, et Cuprum in Angus, ad conſtruendum tres portas majores cum totidem turribus, ſuis ſumptibus et expenſis, de lapidibus quadratis. Cujus occaſione conſtructionis dicta monaſteria paſſa ſunt jacturam deſtructionis. Nam Johannes de Gowry, tunc Prior Sancti Andreæ, pro ſua portione, infra tempus conſtructionis unius turris, cœmentariis ejuſdem operis ducentas octoginta mercas in numerata pecunia perſolvit.

Eodem tempore, dum rex Angliæ cum Eadwardo de Balliolo perhendinarent in Perth, intenti ſuper ejuſdem in turribus et portis reformatione, per Henricum de Bello-monte et Henricum de Ferrariis reædificari fecit caſtra Sancti Andreæ et de Lochris, ſimiliter et caſtrum de Strivelyn per Willelmum de Monte-acuto, in quo poſuit dominum Thomam Rukby cuſtodem; caſtrum de Edinburgh per Johannem de Strivelyn, et caſtrum de Roxburgh per Willelmum de Feltona milites. His omnibus ſic ad nutum diſpoſitis, cuſtodem in villam de Perth conſtituit dominum Thomam Urthred, ad Angliam proponens feſtinare. Tandem ſibi occurrit ad villam de Perth frater ejus, Johannes Helcham nomine, per partes occidentales Scotiæ iter agens, qui terras, quas frater ſuus nuper ad pacem acceperat, et eccleſiam prioratûs de Leſmahago gladio et igne conſumpſit, ac plures animas ad eccleſias confugientes, igne ſuppoſito, cum ipſis eccleſiis extinxit et penitùs delevit. Cúmque idem rex, ante magnum altare Sancti Johannis, ſuper præmiſſis ipſum, ut debuit, argueret; et ipſe regi indignanti animo reſponderet, ſubito fratris ſpatâ ſive cultello extracto percuſſus, rebus exutus eſt humanis. Rex verò cito poſt in Angliam rediens, Eadwardum de Balliolo cum magna potentia in villa de Perth reliquit. Quo tempore Henricus de Bello-monte, in vindictam generi ſui comitis David interfecti, omnes quos capere potuit per ſe vel per alios quoſcumque, qui conflictui de Kilblene interfuerunt, ſine miſericordia diverſis pœnis cruciatos juſſit interire: inter quos etiam multus ſanguis innoxius crudeliter eſt effuſus.

CAP.

CAP. XXXIX.

Quomodo Andreas de Moravia, cuſtos Scotiæ, caſtra cepit et proſtravit.

EOdem anno, menſe Octobris, Andreas de Moravia, tunc cuſtos Scotiæ, audito receſſu regis Angliæ, qui antea latuit, congregato exercitu, fortalicia de Dunnotor, Kynneff, et de Lawrenſton obſeſſit, cepit, et ad terram proſtravit: atque per totam hiemem in foreſta de le Plater, et aliis locis tutiſſimis de Angus moratus, quamplures inſidias ab Anglicis et periculoſos ſuſtinuit inſultus. Ac ſic per utrorumque continuas deprædationes tota terra de Gowry, de Angus, et le Mernis ad irrecuperabilem fere redacta eſt vaſtitatem. Eodem anno, menſe Februarii, paulo ante fortalicio de Kinclevyn funditùs deſtructo, idem cuſtos, adjunctis ſibi comitibus Marchiæ et de Fyfe, Willelmo de Douglas, et multis aliis nobilibus Scotiæ, ingreſſus partes de Fyfe, turre de Faulkland humi proſtratâ, terrâque in circuitu undique prædatâ, captis habitatoribus et redemptioni expoſitis, ad civitatem S. Andreæ acceſſit, et caſtrum ejuſdem tribus ſeptimanis cum machinis potenter obſeſſit: quod redditum fuit eidem ultimo die Februarii, ſalvis habitatoribus in eo vitâ et membris et bonis univerſis. Cujus egregia ædificia, ex nobili artificio conſtructa, muris proſtratis, eodem die vorax flamma conſumpſit. Simili modo per omnia paulo ante actum eſt de caſtro de Luchris; et inde primo die Martii movens tentoria ad caſtrum de Bothwel, in Quadrageſima proxima ſequenti acceſſit, et eam acriter obſeſſit; ubi ex parte Scotorum interfectus fuit notabilis ſcutifer, Stephanus Wyſeman nomine, et ex parte Anglorum Gilivinus de Villeris. Has enim munitiones cuſtos Scotiæ obtinuit metu et violentiâ potiſſimè cujuſdam ingenii, ſive machinæ, quæ vocabatur Bouſtour. Nam omnes ad quas ante pervenerat, cepit, et ad terram proſtravit; excepto caſtro de Cupro, validâ virtute domini Willelmi Bullok defenſo. Poſt hoc cum valida manu ſæpiùs terram Angliæ hoſtiliter invaſit; quam ferro et flammâ caſtigavit, prædas inde aſportavit, quibus exercitum ſuum ditavit. Eodem anno, per totum fere regnum magna exſtitit victualium cariſtia, quam ſequebatur tanta fames propter diſcordiam et inquietudinem, ac etiam multimodam guerrarum et bellorum aſperitatem utriuſque gentis Angliæ et Scotiæ, hinc inde multipliciter factam, quòd multi de regno Scotiæ, naturale ſolum deſerentes, Anglicis et alienigenis ſe junxerunt; ubi adhuc eorum poſteritas moram trahit. Aliqui verò remanentes in patria propria, ob ciborum penuriam, more porcorum, ſiliquas comedentes, et poſt breve toto corpore tumeſcentes, finem vitæ miſerabiliter tradiderunt.

CAP. XL.

De obſidione caſtrorum.

ANNO Domini milleſimo trecenteſimo triceſimo ſeptimo, xiij. die menſis Januarii, obſeſſum eſt caſtrum de Dunbar per dominum Willelmum de Monte-acuto comitem Sarisberiæ, et per quendam alium comitem de Arundell, duces exercitûs regis Angliæ, et per machinas immanes,

immanes, et per diverſa machinamenta artis bellicæ, continuata eſt obſidio per viginti duas ſeptimanas. Quod quidem caſtrum viriliter defendebat ex adverſo comitiſſa, Black-Annas vulgariter nuncupata; quæ, ut dicitur, erat valde induſtrioſa et circumſpecta, virile gerens cor, et ad defendendum ſuos ſedulè animabat; quin et invadentes ſignis et ſermonibus lepidè deridebat: nam poſt jaculum ingenii, quod fecerat turres tremere, ipſa, intuente comite Sariſberiæ, mittere curavit pulcherrimam nympham, tanquam ſpecioſam viro ornatam, quæ, candido peplo ſive ſudariolo manu involuto, locum quaſi jactûs abſtergere, et leviter confricare ſolebat.

Dum talia itaque agerentur, ſupervenit de Anglia nova phalanx armatorum, de qua prædoctus nobilis Laurentius de Preſton, ſecum pauciores habens, Anglis viriliter reſtitit: ſed in acie conflictûs, per os in cerebrum lanceâ terebratus, pauliſper declinavit ad ſepem, et, ignorantibus ſuis commilitonibus, appodians ſepi exſpiravit; quanquam de Anglis ſui triumphârunt: ſed, cognitâ morte eorum capitanei, quos priùs captivaverant trucidarunt. Dominus etiam Willelmus de Keth de Galſtona, cum turma ſua, obviavit domino Richardo Talbot, venienti cum magna potentia ad ſubveniendum ſuis compatriotis: quem tamen cum complicibus pro defenſione ſua lacum quendam intrare coëgit, quos omnes captivos magno pretio, et pro Richardo Talbot duobus millibus librarum perceptis, ad Angliam remiſit pedeſtres. Et ſic infra quinque annos quotquot majores venientes à Duplyn cum Eadwardo de Balliolo, erant in poteſtate Scotorum ad faciendum de eis ipſorum voluntatem; exceptis Radulpho de Stafford, et ipſo Eadwardo, apud Annand, ut præmittitur, turpiter effugato. Dictus verò comes Sariſberiæ graviter ferens damnum Anglicis hinc inde illatum, aſſultum acriter inſtauravit, et ingentem teſtudinem, quæ vulgariter Sow nuncupatur, parietibus, orbiculis volubilibus ipſam ſubvectantibus, cum valida armatorum manu et inſtrumentis variis tranſmiſit. Ad quem ſic voce validâ clamavit Blak Annas comitiſſa, dicens; *O Montagow! Montagow! be war, for ſerry ſall thi ſow.* Cum hoc infra caſtrum ingenioſam machinam tetenſam fecit in altum ſagittari: et grandis lapis ac ponderoſus, quaſi mola aſinaria, ab alto jactu deſcendens, teſtudinem ferociter fulminavit, et capita multorum deintùs conquaſſavit: qui vix cum vita evadentes, omnem ſuum apparatum taliter amiſerunt, quanquam illi infra caſtrum victualibus multùm indiguerunt.

CAP. XLI.

Adhuc de eodem, et deſtructione Laudoniæ.

HAbebat eo tempore comes duas permaximas galeas de Janua, cum aliis minoribus puppibus, ad obſervandum ne quid eis ad ſubſidium per mare adventaret. Hoc attendens nobilis vir Alexander de Ramſay, et caſtellanorum indigentiæ compatiens, cum aliquantis victualibus et quadraginta armatis quandam ad hoc præparatam liburnam apud Baſs quâdam nocte aſcendens, in ejuſdem intempeſtæ noctis ſilentio, et in circuitu galearum imperceptibiliter pertranſiens, caſtrum mare

tenus apud quandam poſticam * intravit, et caſtrales adventu ſuo lætificavit. In craſtino ad extra vigiles manicavit, quorum quoſdam vulneravit, quoſdam fugavit, quoſdam trucidavit, et nonnullos captivavit, ac ſine damno ſuorum ad caſtrum illæſus repedavit. Hujuſmodi aſſultibus comes ab extra agitatus, unum de janitoribus per quædam intermedia ad propoſitum ſuum flexit, ut certo tempore januam caſtri ad ſibi cum ſuis intrandum aperiret: quod juxta promiſſum ſibi cuſtodivit; ſed et caſtellanos nihilominus de hujuſmodi receptione præmunivit. Cùm autem, ut condictum erat, apertâ januâ comes intrare debuiſſet, Johannes de Coupland, de quo poſtea referemus, unus de ſuis vernaculis, majori aliis prævisione pallens ac periculum timens, dominum ſuum per ſcapulas apprehendens retroire coëgit, et ipſe cum hoc ſaltum faciens protinus introivit, et ſtatim portæ clauſula ſummiſſa eſt, eodem Johanne ſolùm intromiſſo. Evaſit feliciter ſibi comes de periculo, ad quem deluſoriè clamitans Blak Annas, ait, *A dieu Monſenzour Montagow.*

Dum igitur hæc ſe cuncta, ut præmittitur, haberent, incepta eſt guerra inter reges Franciæ et Angliæ ſatis atrox et dira, feliciter tamen pro Scotia.† Nam ſi rex Angliæ prædictus guerram in Scotia continuáſſet, ipſam ex toto, et ſine difficultate, quantum ad humanum ſpectat judicium, obtinuiſſet: propter quod ſcripſit comitibus et ſuis, caſtrum de Dunbar aſſiliantibus, ut obſidionem intermitterent, et ſibi ſine quacunque mora approximarent; quia, ſine conſilio dicti domini Willelmi de Monte-acuto comitis, nihil arduum rex Angliæ facere manucepit. Obſidionem igitur infecit, decimo ſexto die menſis Junii, et cum dedecore ad propria remeavit. Auditâ igitur defectione dictæ obſidionis, obſeſſum eſt caſtrum de Strivelyn per antedictum cuſtodem; ſed infecto negotio, et interfecto priùs domino Willelmo de Keth propriâ lanceâ, non minus infeliciter quàm mirabiliter, tranſtulit ſe ad obſidendum caſtrum de Edinburgh in menſe Octobris. Quod quidem fuit anno præcedenti, ut quædam chronicæ volunt; ſicut fuit caſtrum de Strivelyn, continuatâ obſidione ejuſdem per duos menſes, Aprilis ſcilicet et Maii; et amotâ obſeſſione à Strivelyn caſtro, metu regis Angliæ, illuc cum exercitu properantis. Cùm autem cuſtos inſtaret circa obſidionem dicti caſtri de Edinburgh, communitas Laudoniæ venit ad ipſius pacem. Sed per potentiam Anglicorum, interveniente fraude et dolo quorundam Scotorum, remotus eſt ab obſeſſione ipſius, conſtituto priùs Laurentio de Preſtona vicecomite Laudoniæ: ex quo ſecuta eſt tam ex parte Scotorum quàm Anglicorum univerſalis deſtructio Laudoniæ.

* *Poſternam*, MS. Col. Edin. † Quæ ſequuntur, uſque ad medium fere capitis xliij. à manu interpolatoris ſunt. Neque erat quare adeo timeret ne Eadwardus III. tunc Scotos potius ſubjugaret, quam cum antea à multis retroactis annis et ipſe ac pater avuſque ſuus qui totis viribus in id incubuerint fruſtra, ut et ipſe poſtea temporibus Scotis non minus adverſis.

CAP.

CAP. XLII.

De juperdia Roberti Prendergeſt.

POST igitur receſſum dicti cuſtodis, caſtellani Anglici de Edinburgh in miſeram plebiculam nimiùm debacchati ſunt. Inter quos quidem quidam Scotus, Robertus Prendergeſt nomine, robuſtus ſatis et audax, quodam die cum caſtellanis exiens, magnam prædam animalium de Calder-more abduxerunt, ad inſtructionem et perſuaſum ejuſdem Roberti: quem tamen ad cœnam in caſtro inter verletos ad menſam locaverunt. Graviter igitur ferens Robertus ſe inter inferiores aulæ deputari, nihil cibi ſumpſit, quamquam impranſus hunc diem tranſegiſſet. Quem triſtem penſans mareſcallus, Thomas Knatoun nomine, quæſivit ab eo dicens; Cur, Scote, non comedis, cùm ſatis tibi ante eſt de cibariis? Credebam, inquit alter, hodie me meruiſſe melius, quàm inter pagetos ſeſſionem obtinuiſſe. Superbis, ait mareſcallus: oportet vos Scotos humiliari; et cum hoc clavâ, quam manu geſtabat, caput Roberti percuſſit, donec ſanguis commenſales aſpergeret. Diſſimulatâ igitur injuriâ, Robertus villam petiit, et hac nocte in hoſpitio ſuo ſe continuit, donec in craſtino, obſervatâ opportunitate, horam, quâ de more mareſcallus ad villam, ſolatiandi cauſâ, ſeceſſerat, obſervabat: quem faſtu ſuperbiæ turgentem, mediâ plateâ procedentem, non parvâque caudâ Anglorum comitatum, Robertus ex tranſverſo prorumpens, levi præmiſſâ ſalutatione, Ave ſciz. rabita, de ſub cujus clamide pugione extracto, cor mareſcalli transfixit, et animam cum extalibus exhalare coëgit. Irruentes igitur in Robertum Scotum fugientem morientis ſequaces, nihil ſibi nocuerunt: ſed ille fugiendo et feriendo, tres de inſequentibus letaliter vulneravit, et per quandam valvam vici borealis pertranſiens, ac ipſam quodam pendulo repagulo, ut ante præordinaverat, obfirmans, equum ſuum juxta modo lacum expectantem aſcendens, in auram dilapſus, eccleſiam monaſterialem Sanctæ Crucis intactus petiit, et immunis à perſequentibus; et evaſit emunitatem ut moris eſt, tactu campanæ pulſans, quia ſibi pro tunc non patuit cancellaria, capellam S. Auguſtini intravit, et ante altare, flexis poplitibus, ab Anglicis orabundus repertus eſt. Quem, ob reverentiam Dei, ulteriùs hac vice perſequi deſierunt: verùm tamen firmaverunt ſibi cuſtodiam, et ipſum inibi concluſerunt, prohibentes ſibi cibaria miniſtrari; et de nocte, quando eidem ſopor irruerat, ipſum ſtimulis longis lignulis infixis pupugerunt, ut ſic vitam miſeram, carentiâ cibi et ſomni, citiùs terminaret. Duodecim nempe dies taliter tranſegit, cui omni mediâ nocte, cùm fratres laudibus matutinalibus inſiſterent, ſacriſta clanculò voltas aſcendit, et in quadam reſte victualia quæque ligabat, et ſic ea imperceptibiliter deponere conſueverat. Tandem quâdam nocte ſacriſta, aſſumptis ſibi duobus canonicis, funem fortiorem ſubmiſerunt; quâ captivus illico ſe circumcinxit, et in altum velociùs à canonicis eſt aſſumptus. Quem ſtatim, indutum habito canonicali, ſummo mane ſecum, tanquam ad ſpatiandum, de monaſterio proceſſerunt, educentes ad parcum* Sariſberienſem, et ibi cum liberum

* *Portum*, MS. Col. Edinb.

abire

abire permiſerunt. Qui libertati donatus exultavit, ut gigas ad currendam viam, et non reſtitit, donec ad dominum Willelmum de Douglas in Pentlandhillis latitantem, et excubias Anglicorum cum ſuis obſervantem, advenit. Cujus Roberti perſuaſu, ipſe Willelmus cum ſuis nocte ſequenti ad Edinburgh deſcendentes, de Anglicis, ſparſim in domibus lenocinantibus, quaſi octoginta occiderunt. Propter quod Anglici cautiùs ſe ſervantes, innumeras, ut poterant, injurias Scotis inferebant: quæ nec eis ſemper in proſperum ceſſerunt; quia ſæpiſſimè per inſidias Scoti eis viciſſitudinem impenderunt.

CAP. XLIII.

De morte Andreæ de Moravia cuſtodis.

NAM eodem tempore caſtellani de Cupro, numero circiter ſexaginta, ad Donybreſſil venientes, abhinc ad caſtrum equos remiſerunt; et mediâ nocte, lunâ luceſcente, vi compulerunt quendam marenautam ibidem commorantem, Alanum Steriſman nomine, cum ſuis eos ultra Forth batellâ ſuâ tranſportare. Sed quia eis in modico reniti videbantur, ipſum egregiè ac ſuos verberaverunt. At ille, vultu placido, amaro tamen animo, eos navi intromiſſos conduxit uſque ad montem arenoſum, qui tempore retraxionis maris, quæ malena vocatur, à Cramond-heland uſque ad Barnbogal prominet et in longum ſe extendit; in quem eos deſcendere, tanquam in aridam, juſſit, et expanſo velo eis perpetuò valedixit. At illi, hilares effecti, currere cœperunt: ſed inter eos et terram magnum lacum aſpicientes, navi intromitti exclamaverunt; et, qui naulum ante exſolvere negaverunt, quingentas libras dum eos receptaret promiſerunt. Qui ſurdâ aure Alanus cum ſuis velificans, ſine manibus, atrociùs quàm ipſi Scoti, experti ſunt verbera, Anglis uſque ad cœlum emittentibus celeumata dolores intulerunt; quia ſtatim ledonis impetus involvit eos mediis fluctibus, ne unus quidem ex eis ſuperfuit vivus.

A. Dom. milleſimo trecenteſimo triceſimo octavo, nobilis Andreas de Moravia cuſtos Scotiæ, poſt obſidionem caſtri de Edinburgh, tactus infirmitate terras ſuas tranſmontanas petiit, et apud Davach finem præſentis vitæ ſortitus eſt, et in Roſmarky ſepultus: ſed poſtmodum oſſa ejuſdem uſque Dunfermelyn ſunt deportata, et coram altari B. Virginis, in monaſterio ejuſdem loci, tumulata. Hic libertati regni multùm utilis fuit; vir magni regiminis, et multùm deditus juſtitiæ et operibus miſericordiæ. Omnia enim caſtra et municipia citra aquam de Forth, præter Cuprum et Perth, per Anglicos occupata, oppugnando deſtruxit. Sed et omnes partes quas guerrando perambulavit ad tantam vaſtitatem et inopiam deduxit, quòd plures fame et egeſtate perierunt, quàm quos à tempore motæ guerræ gladius devoravit. Stetit autem cuſtos Scotiæ per duos annos et dimidium.

Poſt cujus mortem nepos regis, Robertus Stewart, electus eſt in cuſtodem: qui, quamvis juvenis erat annis, ſenilem ſe geſtis, potiſſimè erga Anglos, exhibebat: qui ſtetit cuſtos uſque adventum regis de Galliis.

Hoc

Hoc in tempore D. Willelmus de Douglas per incredibiles conflictus et labores Tevidaliam ad pacem regis, expulſis Anglicis, reduxit. Audiens autem Henricus de Longcaſtell, comes de Derby, quamplurimos probos * actus ejuſdem domini Willelmi de Douglas, multùm deſiderabat notitiam ejus, et congreſſum cum eo habere: cui cum herollo ſcripſit, ut ſecum tribus curſibus militaribus concertaret. Petitionibus ejus annuens, ſtatutis die et loco congredientes, ad primum curſum vulneratus eſt Willelmus de Douglas graviter in manu, ruptură propriæ lanceæ. Propter hoc honorabiliter diviſi, pro tunc petiit dictus comes ab Alexandro de Ramſay, qui inter Scotos famoſiſſimus probitate habebatur, qualiter, certo die aſſignato, compareret apud Berwik cum viginti generoſis contra viginti conſimiles de ſuis; ubi unuſquiſque, electo ſibi ſocio ex adverſo, tres curſus faceret militares. Quod et factum eſt. In quo haſtiludio, quod continuatum eſt per tres dies continuos, mortui ſunt duo milites Anglici et unus miles Scotus: et in redeundo, ex vulnere mortuus eſt Johannes Hay nobilis armiger Scotus. Iſte miles Scotus fuit dominus Willelmus Ramſay, qui haſtâ per galeam et cerebrum transfixus, factà priùs confeſſione, et deinde extracto ligno, ſpiritum in armis reddidit. Dum hæc ſic ſe haberent, ſupervenit illuc noviter à partibus tranſmarinis honorabilis miles D. Patricius Graham, à quo quidam miles Anglicus petiit tres curſus militares: cui, quaſi jocando, reſpondit dominus Patricius; Frater, hac nocte et in craſtino ante congreſſum præpara te Deo, et confitere, quod ſi ſic feceris, cum Chriſto cœnabis. Unde et ſic evenit: qui in craſtino, transfoſſus lanceâ domini Patricii, ſpiritum confoſſus exhalavit.

CAP. XLIV.

De pertinaci inoportunitate domini Willelmi Douglas.

MULTA ſiquidem adverſa dominus Willelmus de Douglas, pro defenſione libertatis regni, paſſus eſt. Nam apud Blackburn per dominum de Berklay maximo ſuppoſitus fuit periculo, quia ſecum de grandi cohorte remanſerant niſi tres, aliis neceſſitate compulſis aufugatis; qui quidem credebant ipſum inocciſum evadere nullatenus potuiſſe: nec utique veriſimile eſt ipſum potuiſſe, niſi nox atra colores viſibilium contegiſſet. Poſt dirum etiam conflictum apud Craggis de Craggyn cepit ac devicit dominum Johannem de Strivelyn, habens ſecum niſi quadraginta tantùm contra quingentos Strivelinos. Alio tempore irruit ſuper alam regis Angliæ exercitûs prope Creichtoun, ubi, per corpus tranſlanceatus, vix manus inimicorum evaſit; ſed citò et feliciter convaluit. Sibi etiam et viginti ſuis pedeſtribus aliàs ſupervenerunt Anglici ſexaginta equeſtres, apud locum qui dicitur Blakſawing; à quibus tutamine unius Sythet ſe muniens, omnes, quotquot non occidit, ſecum captivos abduxit. Paulo poſt, in vigilia nativitatis Domini, rege Angliæ hoſtiliter apud Melros perhendinante, non ſine grandi pugna, cepit regis victualia, quibus caſtrum de Heremitage munivit, captis priùs et interfectis cuſtodibus eorundem: quod quidem

* Actus militares, *pro* probos actus, *MS. Cupr. eodem ſenſu.*

caſtrum paulo ante de manibus Anglorum viriliter conquiſivit. Poſt hæc Rolandum de Wauſe, cum ſuis non paucis, non minùs mirabiliter quàm feliciter ſuperavit. Quem demum Willelmum de Douglas D. Laurentius de Abirnethyn uno die quinquies fugavit: ſed ita pertinaciter dictus Willelmus reluctatus eſt, ut etiam ipſum dominum Laurentium, ante ſolis occaſum, captivum cepit, et omnes ſuos contra creditum devicit. In quo verificatur quod poëta dixit;

------ *Labor improbus omnia vincit.*

Qui propterea potuit dicere cum HORATIO;

Grata ſuperveniet quæ non ſperabitur hora.
Quo mihi fortuna, ſi non conceditur uti?

CAP. XLV.

De obſidione villæ de Perth per Robertum Stewart cuſtodem.

ANNO Domini MCCCXXXIX.*, obſeſſa eſt villa de Perth per Robertum Stewart cuſtodem Scotiæ, habentem ſecum ad hoc Willelmum comitem Roſſenſem, Patricium comitem Marchiarum, Mauritium de Moravia dominum de Clyddiſdale, Willelmum de Keth de Galſton, et ceteros magnates regni. Eo tunc cuſtos erat oppidi ex parte Anglorum Thomas Uther †, habens ſecum plures Scotos qui Eadwardo de Balliolo adhæſerunt. Et per duos menſes ac duas ſeptimanas contiſiuata eſt obſeſſio. Interea ſupervenit dominus Willelmus de Douglas de Francia à rege David, ad quem paulo ante, poſt captionem domini Laurentii de Abirnethyn, ſe tranſtulit collocuturum. Dum igitur dominus Willelmus de Douglas fuit in Francia, procuravit, de ejuſdem regis licentia, unum periculoſum ‡ piratam quendam Gallicum, nomine Hugonem Haudpyle, habentem ſecum quinque bargias armatorum, et armorum multitudine munitas, ad obſervandum aquam de Thaia ne oppidani per mare nova ad Angliam deferrent; vel Anglici victualia, vel alia, per aquam eiſdem inferrent. Adduxit etiam ſecum dominus Willelmus de Caſtelgalleart duos milites ac duos famoſiores armigeros, quorum nomina ſunt Ægidius de le Huſe † et Johannes de Brayſi †. Dum ergo dictus dominus Willelmus ad cuſtodem perveniſſet, ultra quam credi poteſt gratanter eundem receptavit. Quem incontinenti miſit in legationem domino Willelmo Bullok, tunc caſtrum de Cupro conſervanti et cuſtodi: qui eo tempore fuit locum-tenens et camerarius Scotiæ ex parte Eadwardi de Balliolo, ac theſaurarius omnium Anglorum et eorum adhærentium in regno Scotiæ. Qui ſecum taliter concordavit, quòd, conceſſâ priùs ſibi largâ remuneratione de terris et poſſeſſionibus, cuſtodi caſtrum reddidit antedictum, et regis David homo liegius cum ſuis, qui plures erant, devenit. Qui etiam dictæ obſidioni cum totis viribus interfuit, utile præſtans auxilium et expediens tribuens conſilium. Cuſtos cum ſuis quaſi omni die aſſultus dabant, et illi

* Decimo die Septembris obſeſſam tradit villam, *edit. H.* et vij. Auguſti redditam, *quod erroneum videtur.* † Otyr, *edit. H.* ‡ Superbum, *pro* periculoſum, *MS. Cupr.* † Hoys et Broys, *MS. Col. Ed.* Hay et Bruſſe, *MS. D. G. M.*

deintùs

deintùs viriliter defendebant. Interfecti ſunt ex parte cuſtodis duo valentes armigeri, viz. Alanus Boyd et Johannes Strivelyn rectores architenentium, cùm aliis multis tam intùs quàm extra. Interea comes Roſſiæ ſubtiles inſtituit minitores, qui * vias ſubterraneas fecerunt, et per longa ſpatia ſuffoderunt, quo aquam à foveis extraxerunt, et eas deſiccatas reddiderunt. His non obſtantibus, illi adintùs acriùs reſtiterunt, et dominum Willelmum de Douglas cum telo albalaſtri in femore graviter vulneraverunt: ob cujus ingentem livorem obſidentes commoti ſunt. Sed conſilio dicti domini Willelmi Bullok, ſublatis omnibus canopeis, propinquè magis ad muros caſtrametati ſunt. Quod mirantes obſeſſi, multo magis quàm ante conſternati ſunt et confuſi, tum ob aquæ abſtractionem, tum ob tentoriorum ad muros approximationem. Propter quod dictus Thomas Uther tractatum fecit cum cuſtode, et decimo ſeptimo die menſis Auguſti villam ſibi reddidit, ſalvis ſibi et Anglicis vitâ et membris et rebus ſuis mobilibus. Quorum quidam Anglorum navali vehiculo, quidam terreſtri paſſagio partes Scotiæ, cum magno opprobrio, quantocius reliquerunt, conceſſis Scotis terris ſuis et poſſeſſionibus, et indultis injuriis tempore guerræ regi et regnicolis illatis.

CAP. XLVI.

De eodem.

INterfuit, ut præmiſimus, dictæ obſidioni pirata Haudpyle, qui ad primum aſſultum, per ipſum Anglicis irrogatum, optimam ſuarum navium, propter nimiam præſumptuoſitatem perdidit et inertiam. Sed recuperatâ navi perditâ, dictus cuſtos tam piratam, quàm ceteros milites et armigeros, munificè ſatis, ut decuit, à ſe dimiſſos ad propria remiſit: quamvis in exitu de Drumlay diras Charibdis voragines illæſi† vix evaſere.

Tota illa patria circumvicina eo tempore in tantum fuit vaſtata, quòd non remanſit quaſi domus inhabitata, ſed feræ et cervi de montanis deſcendentes, circa villam ſæpiùs venabantur. Tanta tunc temporis facta eſt cariſtia, et victualium inopia, ut paſſim plebicula deficeret, et, tanquam oves herbas depaſcentes, in foveis mortua reperirentur. Prope illinc in abditis latitabat quidam robuſtus ruſticus, Cryſticleik nomine, cum viragine ſua, qui mulierculis et pueris ac juvenibus inſidiabantur, et, tanquam lupi eos ſtrangulantes, de ipſorum carnibus victitabant. Abhinc igitur cum ſuis receſſit cuſtos, et obſeſſit caſtrum de Strivelyn. Perpendens itaque Thomas de Rukby, capitaneus ejuſdem, regem ſuum Angliæ apud Gallias fore in expeditione, et ſe propterea de ſuccurſu diffidere, compoſuit cum gardiano, et, ſalvis ſuis, Angliam petiturus abſceſſit. Cujus cuſtodiam commiſit Mauritio de Moravia de Clyddiſdale. Ipſe verò ſingulas peragrans provincias, ad fidem regis David Anglicatos quoſque receptavit, moreſque et actus compatriotarum undique exploravit; et ne pauperes à potentioribus calumnias paterentur,

* Qui tracones et vias *&c. MS. Cupr.* † In exitu de Drumlay profundum petiit ſine mora; dictuſque armiger, in alia navi exiſtens, diræ charibdis prædictam voraginem illæſus evaſit, *edit. H.*

diligentiùs

diligentius compeſcendo inveſtigavit. Cepit tunc regnum proſperari, cultores agros colere, eccleſia Dei venerari, religioſi ſervitium ejus reſumere, ad ſolitum ſtatum reformari. Et ſic per induſtriam domini Andreæ Murravè, et laborem iſtius cuſtodis Roberti Seneſcalli, regnum eliminatum* erat de manibus Anglicorum, exceptis duntaxat caſtris de Edinburgh, Roxburgh, Berwik, Jedwod et Lochmaben, et aliquantulis turrulis in eorum circuitu.

CAP. XLVII.

De captione caſtri de Edinburgh per dominos Willelmum et Willelmum de Douglas et Bullok.

ANNO domini milleſimo trecenteſimo quadrageſimo primo, xvij. die menſis Aprilis, captum eſt caſtrum de Edinburgh manu forti, non minus ſubtiliter quàm feliciter, per Willelmum de Douglas †, Willelmum Bullok, Willelmum Fraſer et Walterum Curry, ſubactis ſibi cunctis ejuſdem caſtri cuſtodibus, hoc modo: De conſilio et præviſione domini Willelmi Bullok, qui ceteros ſuo tempore ingenio præcellebat, dominus Willelmus de Douglas, Willelmus Fraſer et Joachim de Kynbuk convenerunt cum Waltero Curry, qui tunc navem habebat apud Dundé, quam cartaverunt cum electis viris ducentibus navem uſque Inchketh. A qua exiens ad terram dictus Walterus finxit ſe eſſe Anglicum mercatorem. Unde quodam ſero, aſſumpto ſecum uno ſervo, venit ad capitaneum caſtri de Edinburgh, dicens ſe de Anglia veniſſe cum optimo vino, frumento, et forti cerviſia de Hely; et in argumentum dicti ſui duos utres, quos ſecum ſervus detulit, produxit, et de vino et cerviſia dedit ei guſtare, dicens, quòd in craſtino ſummo mane mitteret eidem duos caddos vini et cerviſiæ, et duos cophinos panis biſcocti, peroptimè ſpeciebus gariophyllati; et hæc ſibi promiſit ſe gratis daturum, dummodo ab eodem manuteneretur ad ſibi ſive aliis reliqua vendendum. Quam oblationem gratanter capitaneus acceptavit, affirmans quòd januas de mane apertas reperiret. De hujuſmodi contractu dominus Willelmus de Douglas inſtructus, cum turma ſua propè in inſidiis ſe abſcondit. Et in craſtino ſummo mane dictus Walterus, cum duodecim electis armatis ſibi aſſociatis, ſuorum armaturis collobiis velatis, unoquoque burdonem manuferente, caſtrum cum duobus equis caniſtra et cadiferreos aquam continentes portantibus, planè petierunt. Ubi portarium paratum invenientes, et, apertâ majori januâ, ipſum caſtrum intrantes, janitorem cum duobus ſibi aſſiſtentibus ſtatim jugulaverunt; et ſubmiſſo portæ clauſulæ quodam rigido burdone, ad hoc per dictum Walterum præparato, ac etiam projectis cophinis et cadiferreis ad introitum turris, tunc è vicino, qui dicitur *le Turnipyk*, ad buccinam cornu illico prorupit Willelmus de Douglas cum ſuis. Ad quorum ſtrepitum caſtellani experrecti, ad portam ſeſe feſtinabant: ubi conſerto acriori conflictu, Anglici ſuppeditantur, vulnerantur, jugulantur, capiuntur, et trans muros ejiciuntur; caſtrum à Scotis capitur;

*Eliminatum eſt à ſpuriis ſpurcitiis et manibus Anglorum, *MS. Cupr.* † Willelmum Douglas de Liddiſdail, Willelmum Bullok presbyterum, *&c. ibid.*

burgenſes

burgenſes collætantur, et ad fidem regis convertuntur. In quo poſuit dictus Willelmus Douglas fratrem ſuum ſeniorem, Willelmum nomine, nothum, cuſtodem: et poſt paucos dies ad Tevidaliam ſe contulit, ubi reliquias Anglicorum ibidem inventorum viriliter de regno pepulit.

CAP. XLVIII.

De nobili Alexandro de Ramſay, et de labore ejus pro libertate regni.

EO tempore municipium fecit ſibi Alexander de Ramſay in cavea de Hauthorndane, habens ſecum electorum virorum audacitate præeminentium ſpectabilem cohortem. Tantâ enim probitate refulſit, et in tanto militiâ ſingulari honoratus exſtitit, ut nobilium quaſi nullus foret adultus filius juveneſcens, qui ſe putaret aliquid virilitatis, vel virtutis appretiabilis aſſequi poſſe, niſi ad tempus de ſchola militiæ ejus imbueretur. Sibi propterea adhæſerunt adoleſcentiores domicelli et eorum cognati, de Haliburton viz. Heryngis, Hericis, Dunbarris, et Diſſyngtonis, cum quibus et eorum ſequacibus frequentatis vicibus Angliam petiit, prædas diripuit, captivos abduxit, igni et ferro provincias devaſtavit. Hoc ſemel cùm feciſſet, et in redeundo captivitatem hominum, armenta boum, ac greges ovium ſecum abduxiſſet, caſtellani marchiæ Angliæ clanculò congregati, et cum multitudine patriotarum conglobati, Scotos in quadam planitie et armenta præoccupaverunt, et in multitudine copioſa prædis reſtiterunt. Quod percipiens dictus Alexander, diluculo dieſcente, et quòd non poterat reſiſtere eorum multitudini, convocatis commilitonibus ſuis, breviter eos ſic inſtruxit, dicens; Ut quantocitius fugam fingerent, et fingendo fugerent, donec Anglici ad fugandum prolapſi, et ſine ordine diſperſi, ipſos anormalè inſequerentur: Tunc unanimiter ſe verterent, et inimicis ſe viriliter opponerent, et cum clamore claſſico eos impeterent, et ſic ſine dubio adverſus eos prævalerent. Quod, ut præordinatum fuit, memoriter corde retinentes, et ſic unanimiter facientes, de inimicis feliciter triumphaverunt: ubi, multis Anglorum interemptis, captus eſt dux eorum D. Robertus de Maneris, miles, et alii armigeri valentes. Dominus Willelmus Herona ibi fugatus et vulneratus evaſit. Ceterique quaſi omnes capti ſunt et ſpoliati; de quorum redemptione Scoti magnaliter ſunt ditati.

Eodem tempore captus fuit dominus Willelmus de Monte-acuto comes Sarisberiæ apud Gallias, quem expeditum et liberum miſit rex Franciæ Philippus, commutatum pro domino Johanne Ranulphi, comite Moraviæ, qui captus fuit ab Anglis, ut diximus, in conviatione comitis de Geller, poſt ejus captionem à Scotis ad Angliam properantis. Qui comes Moraviæ liberatus, et ad Scotiam de Anglia reverſus, invenit in caſtro ſuo de Lochmaban dominum Willelmum Bown comitem de Northamptona, dominantem omnibus terris ſuis vallis Annandiæ. Quod graviter ferens dictus comes Moraviæ, à cuſtode Scotiæ recepit curam et cuſtodiam Weſtmarchiæ: ubi per tempus ſic utique laborabat, quòd totas firmas terrarum cum ſervitio hominum levabat, marchias cum libertate dilatabat, ac Anglorum auſus egregiè domabat. Middilmarchiæ verò tunc præfuit cuſtodiæ dominus Willelmus de Douglas, et

Eſt-marchiæ nobilis Alexander de Ramſay: qui tres fines ſuos poſuerunt terminos terræ ab antiquo poſſeſſæ.

CAP. XLIX.

De reditu regis David à Francia.

REgno igitur pro modulo feliciter pacato, et in abundantia bonorum et victualium profuſiùs proſperato, placuit cuſtodi et tribus ſtatibus regni pro rege ſuo ad Franciam legationem mittere. Quâ honorificè, ut decuit, tranſmiſſâ, rex Fraciæ valefacto regi Scotiæ, eundem reverenter cum duabus bargiis ſecreto modo miſit ad Scotiam: qui eodem anno, iv. Nonas Junii, unà cum Johanna regina ſponſa ſua, ſanus et incolumis ad Inverbervi applicuit, et ibi terram petiit. Ad cujus adventum omnes Scoti plus credito exhilarati, cum exultatione et tripudio feſta celebrârunt.

An. Dom. milefimo trecentefimo quadragefimo ſecundo, xxx. die Martii, qui anno illo fuit vigilia Paſchæ, nobilis Alexander de Ramſay, conſilio et inſtinctu cujuſdam Scoti, Hodo Ednam nomine, cum ſuis ſequacibus muros caſtri de Roxburgh per ſcalas latenter conſcendens, ipſum manu potenti, cunctis caſtellanis ſuperatis, et nonnullis interfectis, accepit. Cujus propterea cuſtodiam, et Tevidaliæ vicecomitatum, rex ſibi commiſit. Propter cujus officium dominus Willelmus de Douglas eum uſque ad mortem perſecutus eſt.

Rex autem David ad plenum confortatus, et juventute militari conſtipatus, ter Angliam hoſtiliter eſt ingreſſus: primâ tamen vice non planè tanquam rex exercitum illuc duxit, ſed tanquam ſub vexillo comitis Moraviæ militavit, totam patriam peragratam devaſtans uſque villam de Pennir; quam flammâ voraci incineravit. Secundò cum grandi exercitu et vexillo diſplicato Angliam intravit, et de tyronibus ſuis, quos ibi militari cinxit gladio, quinque numero, videlicet Stewart, Eglinton, Cragy, Boid et Fullarton, dominus Robertus de Ogil circumveniens dolo attractos in ſulcante mareſio, captivos ſecum abduxit, et magno auri pondo redemptos, regi vacuos tranſmiſit. Tertiò in Angliam expeditionem faciens, non multum ibi nocuit, ſed invaſus ab Anglis incolumis repatriavit cum ſuis. Propter quod exaltatum eſt cor ejus, et pro facili reputabat ſe poſſe Anglorum terrarum fines uſque Humber ditioni ſuæ ſubjicere: tum quia imitatorem ſe eſſe jactitabat felicis fortunii patris ſui contra eos; tum quia viribus ipſe præcellebat, et florentem juventutem militum et armatorum bellis exercitatam habebat; tum quia Angliam militiâ evacuatam autumabat: attento, quòd rex Angliæ Eadwardus, cum filio ſuo Eadwardo principe Walliæ, ac duce Cornubiæ, ac univerſis fere proceribus et nobilibus Angliæ, in regno Franciæ ageret, actibus bellicis contra potentiam Francorum inſiſtendo. Hæc ſibi maximè occaſionem dedere ad Durham procedendi. Sed in his conjicio veram eſſe ſententiam AUGUSTINI de verbis Domini, dicentis; "O homo! ideo non viciſti, quia de tuo præſumpſiſti: "nam qui præſumit de viribus ſuis, jam antè quàm pugnet proſterni-"tur"

CAP.

CAP. L.

De interfectione nobilis Alexandri de Ramſay.

ANNO quo ſuprà, viceſimo die menſis Junii, Alexander de Ramſay cuſtos caſtri de Roxburgh et vicecomes Tevidaliæ, citatis omnibus dicti vicecomitatûs coram ipſo apud Hawik, pro curia tenenda perſonaliter acceſſit: ubi, dum in eccleſia ejuſdem villæ, totius fraudis et mali ingenii ignarus, adventum citatorum diutiùs expectaret ſuo ad ſungendum officio, nunciatum eſt eidem quòd dominus Willelmus de Douglas in proximo armatâ manu venturus eſſet ibidem. Qui nihil mali ſuſpicatus de eo, quamvis de ſævitia ejus præmunitus, ex eo quòd paulo antè, omni ſedatâ diſcordiâ, denuo renovata fuerat amicitia, adventum ipſius Willelmi in eccleſia præſtolabatur, dimiſſis hominibus ſuis ad villam ſolatiandi gratiâ: cui Willelmo eccleſiam intranti vicecomes aſſurgens, ac pacificè ſalutans, eum ad conſedendum invitavit. Sed Willelmus cum ſuis, ut erat armatus, in dictum Alexandrum, et tres alios ſibi auxilium ferentes, crudeliter irruentes, in gremio ſanctæ matris eccleſiæ diris vulneribus ſauciatos tenuerunt, ipſumque Alexandrum catenis ligatum ac jumento impoſitum abduxerunt; qui ad caſtrum de Hermitage deductus, et in quodam penu compeditus, ſine omni ſuſtentatione corporali, ſeptemdecim diebus vixiſſe perhibetur. Ferunt tamen quidam, quòd ſupra ipſum fuit granarium in quo jacuit frumentum, qui per arctiſſimas rivulas percipiebat interdum grana cadere, quibus prælibatis vitam miſeram his diebus tranſigebat. Et in ipſa à ſua captione decima ſeptima die confeſſus, et perceptione ſalutaris viatici refectus, naturæ debitum perſolvit. O inexterminabilis invidia Diaboli! O violenta dominatio ejus, ad difficile ſubterfugiendum, armans amicum ad inimicitiam induendâm! Nulli prius melius diligebant, nec hujuſmodi dilectio in Alexandro deficiebat. Sed verum, fateor, ſentit in proverbiis SENECA; "Quam-"vis agas, ut ne quis merito tuo te oderit, erunt tamen ſemper qui "te oderint."

Hic utique Alexander regi et libertati regni multùm utilis fuit: hoſtes circumquaque proſtravit, et eorum impetum vehementer repreſſit; multas victorias obtinuit, multa bona fecit, et multo majora, ſecundùm humanum judicium, feciſſet, ſi diutiùs vixiſſet. Ipſe etenim virtute armorum et robore virium ſuo tempore ceteros excellebat: et ſicut erat in armis potentior, ita ceteris in conflictu felicior. Cujus probitati invidens antiquus hoſtis, adverſus eum talem adverſarium, qui ejus virtutum inſignia, prædominante invidiâ, non ſolùm proditioſè, ſed etiam ſacrilegè, abſtulit et extinxit. Nam circumſtantia multùm aggravat delictum, ut in ſancta eccleſia et in corporis ipſius Chriſti præſentia commiſſum. Inconſultè enim vicecomes ſtatuit ſuam curiam teneri in eccleſia: quia, ut ait GREGORIUS X. "Decet domum Do-"mini ſanctitudo. Decet, ut cujus in pace factus eſt locus, ejus cultus "ſit cum debita veneratione pacificus. Ceſſent igitur in eccleſia univerſitatum et ſocietatum quarumlibet contentiones et concilia ac pu-"blica parliamenta; ceſſent vana, et multo fortiùs, fœda colloquia,

"nego-

" negotiationes, et fora, omniumque ſecularium judiciorum in ea ſtre-
" pitus conquieſcat; ne ubi eſt peccatorum venia poſtulanda, ibi pec-
" candi detur occaſio, aut peccata deprehendantur committi." Hæc ipſe. Cujus quidem Alexandri mortis cauſam dediſſe, unà cum ceteris, regis inadvertentia ſive negligentia, ne dicam inconſtantia, plures arbitrantur: qui priùs antedicto Willelmo, et poſtea Alexandro memorato, contulit indiſcretè vicecomitatum Tevidaliæ. Et ſicut à die conflictûs de Kilblene uſque ad mortem ipſius Alexandri, in omni eventu guerrarum cuncta proſpero exitu agebantur; ita, ipſo de medio ſublato, verſâ vice, omnia attemptata pro regni utilitate protinus infelicem capiebant effectum. Per mortem namque ipſius Alexandri, quaſi immortalis lis et interminabilis diſcordia ortæ ſunt in regno, non ſolùm inter proceres, ſed etiam mediocres; ita quòd extunc mutuâ cæde ſe invicem trucidantes viciſſim gladio ceciderunt. Quo etiam tempore * D. Willelmus de Bullok capellanus ſingulari prudentiâ, et compendioſi ſermonis eloquentiâ, præ omnibus ſuo temppore claruit. Primò cum Eadwardo de Balliolo camerarius et ceterorum Anglicorum † theſaurarius, poſtremò cum rege David camerarius Scotiæ, et inter primos conſiliarios maximus, et, propter periti conſilii acumen, nominatiſſimus fuit, atque quaſi alter Chuſi habebatur commendabilis.‡ Sed cùm ſe ſtare putabat, diverſis et variis fungens officiis regno et reipublicæ permaximè neceſſariis, invidiâ procerum et aliorum multorum apud regem de infidelitate delatus, de mandato ejus per David Berklay capitur, et cum Molmaran et aliis iniquis deputatus in Lochindorb, cuſtodiæ mancipatur, et fame et frigore ad modum dicti Alexandri de Ramſay defecit. Poſt quorum mortem triſtia felicibus in regno ſuccreverunt.

CAP. LI.

De peſtilentia Gallinarum.

ANNO Domini milleſimo trecenteſimo triceſimo ſexto, tanta erat peſtilentia gallini generis, ut omnes gallos gallinaceos et gallinas, tanquam immundos et lepra perfuſos, comedere, vel etiam videre, homines penitus abhorrerent. Ac propterea genus illud fere deletum eſt de regno. Eodem anno Adam Carale, abbas de Scona, v. Non. Octobris obiit. Hic canonicus Sancti Andreæ profeſſus per duos canonicos de Scona electus eſt, ceteris canonicis in Priorem proprii monaſterii ſua vota dirigentibus. Sed electione ipſius Prioris, per proceſſum juris ritè caſſatâ, prædictus Adam, per proviſionem epiſcopi Sancti Andreæ, ſive vicarii generalis, monaſterii de Scona præficitur in abbatem; præſertim quia nullus tunc de dicto collegio ad tantæ dignitatis regimen idoneus eſt repertus.

* Induſtrioſus et maxima callens induſtrioſa prudentia W. Bullok capellanus, Zaechæus ſtatura, *&c. MS. Cupr.* † Sibi fautorum, *pro* Anglicorum, *ibid.* ‡ *Addit idem MS.* Sed, O invidia Diaboli! qua mors intravit hoc ſeculum nequam, expertum eſt quod dicitur;

" Invidus alterius rebus marceſcit opimis."

Antiquitus proverbialiter dici ſolet de Scotis, quod neque dives, neque fortis, ſed nec ſapiens Scotus prædominante invidia diu durabit in terra. Iſtud verificatum eſt in dicto D. Willelmo Bullok, qui cum firmiſſime ſtare putabat, *&c.*

Rex

Rex autem David moleſtè tulit mortem Alexandri de Ramſay, et miſit ſæpiùs armatam manum ad ipſum Willelmum capiendum: ſed ipſe, cautè inſidias declinans, regis gratiam non valuit obtinere, donec nepos regis Robertus Stewart, multiplicatis interceſſionibus, et expoſitis quanta pertulit in ejus abſentia pro libertate regni, tandem regem ſibi pacatum reddidit et tranquillum: qui etiam ſibi cuſtodiam caſtri de Roxburgh cum vicecomitatu Tevidaliæ commiſit. Quod caſtrum à morte dicti Alexandri cuſtodivit uſque tunc Johannes Berkelay.

Interea venit quidam de Anglia, qui fingens ſe filium cujuſdam burgenſis de Abirden, et, ſupprimens nomen proprium, per quatuordecim annos in carcere ſe fuiſſe dicebat. Hic taxatâ redemptione et datis plegiis pro pecunia ſolvenda, multos de regno, et præcipuè communitatem, per plura interſigna et evidentias perſpicuas fecit intelligere et firmiter credere, quòd in veritate erat Alexander de Bruee, qui, poſt varias riotas et diverſa colloquia cum rege habita et quibuſdam magnatibus, timens mortem ſibi inferri per eos qui ejus terram occupabant, ut dicebat, ſeceſſit in partes de Carrik: ubi de mandato regis captus, et apud Are deductus, tanquam ſeductor et fraudis commentor, ibidem, in præſentia Roberti Stewart et Malcolmi Fleming ac aliorum multorum, ſuſpendio vitam finivit menſe Julii; non tamen, ut quidam ferunt, juris ordine uſquequoque obſervato. Propter quod multi adhuc ipſum putant verum fuiſſe Alexandrum, et ob ipſius terras retinendas iniquâ morte damnatum. Hoc anno Alanus de Wynton vi et raptu cepit juvenculam dominam de Seton; quem in facto ſuo manutenebat Willelmus de Moravia cuſtos caſtri de Edinburgh. Propter quod tantum diſſidium et diſcordia orta ſunt in Laudonia, quòd infra unum annum centum, ut dicitur, aratra ſequeſtrata ſunt à cultura. Conqueſtum eſt propterea de raptu, per parentes raptæ, domino regi; et apprehenſo dicto Alano, rege præ tribunali ſedente, oblati ſunt ad eligendum juvenculæ gladius et annulus: quæ annulum arripiens, adjudicata eſt Alano ad uxorandum; de qua ſuſcepit filium nomine Willelmum, et filiam Margaretam. Verùm tamen, propter inſidias uxoris ſuæ amicorum, ad Terram Sanctam ſeceſſit, et ibidem in Domino obiit peregrinus.*

EXPLICIT LIBER DECIMUS TERTIUS.

* *Addit liber Cupr.* Willelmus etiam filius ſuus, poſtea miles inſignis, Hieroſolymis fuit, et obiit veteranus. Cujus filius Johannes Seton, acerrimus miles, Anglis, dum vixerat, infeſtus: cujus etiam filius dominus Willelmus interfectus eſt in Francia apud Vernolze; cujus filius dominus Georgius miles adhuc ſuperſtes. Hos quatuor milites bene cognovi ego qui hæc chronicis collegi: de quibus tres primi ſtatura proceri et valentes fuerunt.

Incipiunt tituli capitulorum libri decimi quarti.

De bello de Creſſy, et de conſilio domini Willelmi de Douglas dato regi David et neglecto. CAP. I.
De diſpoſitione ad bellum de Durham, et de apparitione S. Cuthberti regi David. CAP. II.
De bello de Durham, et captione regis David. CAP. III.
Quòd rex non ſequatur conſilium juvenum. CAP. IV.
De periculo excommunicationis. CAP. V.
De initiis D. Willelmi de Douglas, primi comitis de eodem. CAP. VI.
De prima mortalitate, et interfectione D. Dav. de Berklay. CAP. VII.
De occiſione domini Willelmi de Douglas. CAP. VIII.
De nunciis regis Franciæ miſſis Scotiæ. CAP. IX.
De captione Berwici per comitem Anguſiæ. CAP. X.
De conflictu inter triginta Gallicos et totidem Anglicos. CAP. XI.
De hoſtili adventu regis Angliæ in Scotiam, et reſignatione prætenſi juris Eadwardi de Balliolo. CAP. XII.
De tyrannide regis Angliæ, et claſſis ſuæ periclitatione, et miraculo noſtræ Dominæ Albæ eccleſiæ. CAP. XIII.
De eodem, et de miraculoſa evaſione canonicorum Sanctæ Crucis de manibus Anglorum. CAP. XIV.
De provinciis ad fidelitatem regis per dominos de Kyle et Douglas reductis, et reditu regis. CAP. XV.
De bello de Poyteris, et captione regis Franciæ Johannis. CAP. XVI.
De liberatione domini Archibaldi Douglas de manibus Anglorum, et de Blak-monnonday. CAP. XVII.
De liberatione et redemptione regis David de Anglia. CAP. XVIII.
De quadam dominatione ruſticorum in Francia. CAP. XIX.
De interfectione Rogeri de Kilpatrick. CAP. XX.
De inundatione in partibus Laudoniæ, et nunciis regis Scotiæ miſſis ad Papam, pro impetratione decimæ regni pro ejus redemptione ſolvendæ. CAP. XXI.
De tranſitu regis Angliæ in Franciam, et tractatu ſuper deliberatione regis Franciæ. CAP. XXII.
De eodem, et de flebili querela regis Franciæ ſuis duciparibus facta in parliamento. CAP. XXIII.
De ſecunda mortalitate, et captione caſtri de Kildromy per R. David. CAP. XXIV.
Quomodo rex David in parliamento ſuggeſſit ſtatibus regni de ſucceſſione fienda. CAP. XXV.
De clementia, patientia et indulgentia in rege multùm commendabilibus. CAP. XXVI.
De renovatione fidelitatis regi præſtita, et forma juramenti. CAP. XXVII.
Quomodo rex deſponſavit dominam Margaretam Logy, et de eorum divortio. CAP. XXVIII.
Quomodo uxor eſt regenda, corrigenda, et diligenda. CAP. XXIX.
Quibus mala mulier comparatur. CAP. XXX.

De

De proprietatibus colubri. CAP. XXXI.
De eodem. CAP. XXXII.
Quòd gratæ ſunt bonæ mulieres. CAP. XXXIII.
De morte regis David. CAP. XXXIV.
De epitaphio ejuſdem. CAP. XXXV.
De coronatione Roberti II. regis. CAP. XXXVI.
De ruptione treugarum, et vindicta de Anglis ſumpta per comitem Marchiarum. CAP. XXXVII.
De vili ſubterfugio domini Henrici Percy. CAP. XXXVIII.
De Sancta Brigitta, et libro revelationum ejus. CAP. XXXIX.
De epiſtola comminatoria miſſa Papæ per pugiles et ſoldanos Turcorum. CAP. XL.
Excommunicati ſunt, per bullam Papæ, omnes qui rapiunt bona epiſcoporum decedentium. CAP. XLI.
Copia literæ regis David. CAP. XLII.
De combuſtione villæ de Pennir, et tertia mortalitate. CAP. XLIII.
De ambaſſatoribus regi Franciæ miſſis. CAP. XLIV.
Ad idem. CAP. XLV.
De dominatu ruſticorum in Anglia, et fuga ducis Lancaſtriæ in Scotiam. CAP. XLVI.
De captione caſtri de Lochmaban. CAP. XLVII.
De vindicta Anglis per Sanctum Columbam illata. CAP. XLVIII.
De adventu domini Johannis Vian cum navigio ad ſuccurſum Scotiæ de Francia miſſi. CAP. XLIX.
Quomodo Angliæ rex Richardus ſecundus combuſſit monaſteria Scotiæ. CAP. L.
De quadam antiqua carta, et probitate domini Willelmi de Douglas de Nyddiſdall. CAP. LI.
De eodem. CAP. LII.
De bello de Ottirburn. CAP. LIII.
De victoria Scotorum habita ſuper Anglicos. CAP. LIV.
De bello de Ottirburn in metro. CAP. LV.
Quomodo Robertus C. de Fife effectus eſt gubernator Scotiæ. CAP. LVI.
De nunciis regum Franciæ et Angliæ miſſis regi Scotorum pro treugis capiendis. CAP. LVII.

LIBER XIV.

CAP. I.

De bello de Creſſy et Durham.

EODEM anno, ſcilicet Domini milleſimo trecenteſimo quadrageſimo ſexto, rex Franciæ ſcripſit regi David, ſupplicans ſibi, ut cum omnibus ſuis viribus accommodis, gratiâ ſui, guerram feralem contra regem Angliæ moveret; quia promiſit ſe obſidionem ponere circa oppidum de Cales, ut ſic undique rex Angliæ anguſtatus, ſive angulatus, viribus et violentiâ attenuaretur. Cujus petitioni rex David annuens, collegit undique grandem exercitum, cupiens ultra modum

modum cum Anglis habere congreſſum. Convenerunt hinc inde ex omni parte regni, et monſtrationem armorum fecerunt apud Perth. Quo inter ceteros affuit, cum exercitu ſuo, comes Roſſenſis. Et in monaſterio de Elquho hoſpitatus eſt Raynaldus de Inſulis cum ſuis. Ad quem de nocte ex inſidiis miſit comes de Roſs certos ſicarios, qui ipſum Raynaldum, cum aliis ſeptem ſomno ſoporatis, interemerunt: ipſe verò comes cum exercitu ſuo quantocius proprias partes petiit, rege relicto. Propter quod conſultum fuit regi expeditionem intermittere, cùm diceretur * pro malo omine tam infortunabile principium habuiſſe. Noluit autem rex eorum conſiliis acquieſcere, ſed cœptum iter peragere feſtinavit, et municipium de Lidallis, quod apud Marchias erat, obſeſſit et cepit, unà cum Waltero de Selby ex parte Anglorum ejuſdem cuſtode, et ipſam ad terram proſtravit.

Conſiderans autem nobilis Willelmus de Douglas, qui tunc peritiâ armorum ceteros præcellebat, infortunium caſûs interfectionis Raynaldi, et honorem aſſecutum regi per captionem municipii, regi conſuluit planè loras retorquere, et denuo, ſi ſibi et conſilio ſuo videretur, expeditionem repetere. Cui aſtantes ſatrapas ſic ferunt reſpondiſſe: Tu ſatis abundas de bonis Anglorum, nec velles in lucro ſocios habere, ſed in bello. Non eſt qui nobis reſiſtet, cùm citra Londonias non habentur homines guerris aſſueti, quia quotquot valentes de Anglia cum ſuo rege ſunt in Francia; nec domi remanent niſi presbyteri, fratres et clerici, ſutores et mechanici †. Veritas enim fuit, quòd Eadwardus de Windeſour rex Angliæ, cum Eadwardo primogenito ſuo principe Walliæ et domino Cornubiæ, ac univerſis fere proceribus et nobilibus Angliæ, in regno tunc Franciæ guerris inſiſtebant; actibus bellicis indulgendo, terras, villas et oppida, per quæ tranſivit, depopulando, obſiſtentes ſibi interficiendo, capiendo, vel in fugam convertendo: et poſt captionem Cadomi, quæ erat villa plena populo, ſatis opulenta, divitiis ac bonis omnibus affluens et fœcunda; quibuſdam de valentioribus, qui ad defenſionem et cuſtodiam ejuſdem deputati fuerant, interfectis, quibuſdam tunc captis et in Angliam miſſis carceribus mancipandis, cum Francorum rege Philippo de Valoys, in cujus comitiva fuerunt duo reges, Bohemiæ viz. et de Mailogre ‡, ac duces, comites et barones, necnon alii de majoribus Franciæ, præter communem populum ad numerum exceſſivum, juxta foreſtam de Creſſy, in locis planis et campeſtribus confligendo. In quo quidem conflictu prædicti duo reges, et alii quamplurimi de majoribus totius regni Franciæ, ceciderunt, præfato rege Philippo per fugæ præſidium evadente. Contigit etiam caſu, quòd electi fuerunt de Anglia eo tunc decem millia ad transfretandum in ſubſidium regis Angliæ, expectantes ad portus auræ congruitatem. Qui, audientes quòd rex Scotiæ intraverat eorum terras, intermiſerunt paſſagium et de noſtris victoriam obtinuerunt: aliàs Anglici qui remanſerant non proponebant cum noſtris congredi, quamvis pro tunc Eboracum petiviſſent Scoti.

* Apud quamplures ſuſurratum exſtitit quod pro malo omine, &c. *MS. Cupr.* † Qui nec ſunt in arte pugnandi fortes, nec bello efficaces, *addit idem MS.* ‡ *Sive* Majoricarum.

CAP.

CAP. II.

De diſpoſitione ad bellum, et de apparitione S. Cuthberti regi Dævid.

PRO his omnibus volens prædictus rex David vindictam de Anglis expetere, relicto conſilio dicti D. Willelmi de Douglas, prævaluit conſilium aliorum, et ad monaſterium de Exham properantes, ac minarum in Anglos ſpirantes, ibidem recenſitæ ſunt turmæ bellatorum, et reperta ſunt tantùm niſi duo millia *, vel eo circa, excellenter armatorum, quamquam ſemiermium, grandis exercitus ſummabatur. Procedens igitur rex David cum exercitu ſuo, caſtrametatus eſt apud Ryton. Cui in ſomnis apparuit Sanctus Cuthbertus adhortationem benignam inferens, ne Scoti terras ſuas invaderent aut damnificarent. Sed ipſe rex de revelatione ſibi divinitùs oſtenſa, cum majoribus ſuis de conſilio ſermone habito, more aſpidis, ad vocem incantantis obturantis improvidè aures ſuas, regnum Angliæ, quod credebat enervatum viribus, vacuatum hominibus, et omni auxilio deſtitutum, cum ea multitudine armatorum et peditum, cui non credebat poſſe reſiſtere gentes utriuſque regni, Franciæ ſcilicet et Angliæ, etiam ſi in unum redigerentur, ac ſi vires ſuas concorditer conflaviſſent. † Cùm igitur rex Scotiæ partes boreales Angliæ hoſtiliter invaſiſſet, et omnes partes per quas tranſitum fecerat, feralibus gladiis et incendiis per quindenam devaſtaret; ad terram eccleſiaſticam Dunelmenſem tandem Scoti devenerunt, ubi de dietis quod ſupererat continuando, et proteriam quam in Angliam conceperant et inchoaverant exercendo, die decimo ſexto Octobr. venerunt, circa horam nonam, prope Dunelmum ſuper moram de Beaurepair, oſtendentes ſe per acies diſpoſitas, vexillis diſplicatis, quaſi paratos, ut videbatur, ſi qui ſe oppoſuiſſe voluerant, ad pugnandum. Sed ſtatim, ſine pluribus, reficiendi gratiâ ſe apud dictum manerium de Beaurepair convertebant, per totam illam noctem infra parcum, nullo eorum extra remanente, vitatis periculis, ſecuriùs dormituros; archiepiſcopo Eboracenſi, Henrico de Percy, Johanne de Moubray, Radulpho de Nevil, ac dominis de Ferraris, Rukby et Lucy, Coupland et Ogil, ac ‡ viris armatis et pedeſtribus qui ad hoc fuerant adunati infra parcum de Hauchland, à præfato parco de Beaurepair, per ſex diſtantem milliaria, nocte collocantibus ſe occultè: qui quidem archiepiſcopus cum ſuis, die luceſcente, congredi cum Scotis, ipſis de hoc nihil præcogitantibus, decreverunt. Sic denique parcum exeuntes, et quendam collem juxta Meryngtonam videntes, quem pro congreſſu hujus congruum reputabant, illum aſcenderunt, an Scoti eſſent ibidem expectandi, ad invicem tractaturi. Sed, durante hujuſmodi tractatu, primipilis vexilla ferentibus, ac aliis qui cum eis fuerant paulatim pro-

* *Deſiderantur verba*, vel eo circa, *in MS. Col. Edinb.* † *Addunt MSS. Cupr. et Perth.* Contigit enim tunc caſu, quod electi fuerunt de Anglia decem millia virorum fortium, ad transfretandum in ſubſidium regis Angliæ, expectantes ad portus auræ congruitatem. Qui illico audientes, quod rex Scotorum intraverat hoſtiliter eorum terras, intermiſerunt paſſagium, et de noſtris victoriam, ut infra dicetur, cum aliis obtinuerunt: Alias utique, ut dictum fuit, ceteri omnes Anglici qui remanſerant non proponebant cum noſtris congredi, quamvis etiam pro tunc Eboracum Scoti petiviſſent. ‡ Ac aliis quampluribus, tam magnatibus quam eccleſiaſticis viris, *ibidem.*

cedentibus, ſequebantur et illi, quaſi ſcienter neſcii; ita quòd, antequam adverterent ubi eſſent, fuerunt à loco ubi tractare incœperunt per magnum ſpatium elongati: et ſic uſque Pontes de Sundirland lentis paſſibus proceſſerunt. Juxta quos quendam collem alium aptum eis pro bello committendo fore perpendentes, convenerunt majores ad invicem tractandi gratiâ, an ad expectandum Scotos eſſent inibi remanſuri. Quibus ſuper materiâ hujuſcemodi tractare inchoantibus, illud idem, quod in alio loco ipſis contigerit, accidit et in illo. Unde, Scotis interim ad pugnandum ſe parantibus, ſuper moram de Beaurepair, ab eis per duo milliaria duntaxat tunc diſtantem, appropinquaverunt, et illi ad eandem moram ſe in quodam loco, juxta crucem quæ Nevilcroſs dicitur, prope Dunelmum, à dictis Scotis per modicum diſtante ſpatium collocantes, gentes ſuas in tres turmas, ſicut pugnare diſpoſuerant, dividendo.

CAP. III.

De eodem.

INterea dum ſic ſe Angli pro bello diſpoſuiſſent, rex Scotiæ cum ſuis in parco adhuc remanens, de approximatione Anglorum nihil conſcius, miſit de mane dominum Willelmum de Douglas ad depopulandam terram eccleſiaſticam de Durham, et ad prædas exercitui ſuo reficiendo corrogandas. Qui inſcius in hoſtes irruens, obviaverunt ſibi, tam ſubito quàm mutuo, ad locum qui vulgariter dicitur le *Fery of the hill*. Sed quia non ſuppetiit dicto domino Willelmo de Douglas copia congrediendi cum tanta multitudine adverſariorum, ad regem cum ſuis fugam iniit, in qua quingentos de Scotis viris validioribus amiſit in loco qui Sundirlandis nuncupatur: ſed et ipſe Douglas manus eorum feliciter evaſit. Quod audientes Scoti mirabiliter conſternati, diviſi ſunt et ipſi in tres turmas, quarum rex præfuit uni, comes de Moravia et dominus Willelmus de Douglas alteri, tertiæ verò comes de Dunbar et Seneſcallus Scotiæ.

Approximantes autem ad aciem cunei, petiit dominus Johannes de Graham centum equeſtres lanceatos, ad interrumpendum Anglorum ſagittarios, ut vel ſic expedicitiùs hoſtes rex invaderet. Sed, ut verum fatear, nec unum quidem obtinere potuit *. Propter quod irâ commotus, ſolus inter ſagittarios, vibratâ haſtâ, equitavit, et eos ab invicem ferociter diſperſit: ubi ejuſdem nobilis equus † à ſagitta volante interficitur, et, vix vitâ comite, ad regem revertitur. Diſpoſitis denique cunctis, et audito claſſicorum ſonitu, agmen illud, cui comes Moraviæ præficiebatur, impetitur, et inter foſſata et ſepes dira pugna committitur; comes interficitur, et ſui devincuntur. Dehinc illa turma Anglorum, in qua, præter armatos, ſummabantur decem millia ſagittariorum ‡, regem David invaſit: qui cum ſuis inter foſſata irretitus, non ſine grandi pugna et miſerabili cæde ſuorum, à Johanne Coupland capitur, priùs tamen duobus de ſuis dentibus ictu regis evulſis, rege nihilominus duabus ſagittis graviter vulnerato, quarum unius ferrum nulla arte me-

* Quod nullus ſe tanto diſcrimini auſus eſt committere, *addunt MSS. Cupr. et Perth.*
† Emiſſarius *pro* equus, *ibid.* ‡ Arcitenentium *pro* ſagittariorum, *ibid.*

dicorum

dicorum potuit avelli, donec rex ad Sanctum Monanum, devotione conceptâ, illuc adiit peregrinus, et intentus orationi ſtans coram imagine ejus, ferrum, tanquam cum impetu extractum, non tam mirabiliter quàm miraculoſè, profiliit in longinquum. Cujus occaſione rex, ut non ingratus tanti beneficii eſſe videretur, eccleſiam ejus, ut in præſentiarum cernitur, nobiliter conſtruxit, et poſſeſſionibus peramplis regaliter dotavit.

Scotis igitur de duabus procellis tam atrociter per Anglos infeſtatis et fugientibus, reliquis eorum captis vel interfectis, Seneſcallus Scotiæ, nepos viz. regis *, et comes Patricius †, ſaniori uſi conſilio, ſalvaverunt ſe declinationis præſidio, incolumes ad propria ‡ redeuntes. Ecce quàm infeliciter, propter invaſionem ⸸ terrarum eccleſiaſticarum Sancti Cuthberti, rex Scotiæ David, cum ſuo exercitu, devictus eſt et captus! Capti ſunt etiam cum rege quatuor comites, viz. de Fife, Suthirland, Wigton, et Menteth, qui ❋ poſtea, equis tractus et diverſis pœnis cruciatus, interiit. Capti ſunt etiam Willelmus de Douglas, Walterus de Haliburton, et multi alii nobiles, barones, milites ſtrenui, et armigeri electi. Interfecti ſunt autem Johannes Ranulphi comes Moraviæ, ac etiam comes de Strathern, conſtabularius Scotiæ, mareſcallus Scotiæ, camerarius Scotiæ, cancellarius Scotiæ, David filius et heres D. David de Lindeſay, Rogerus Cameron, Gilbertus de Inchmartin, Willelmus Fraſer, Andreas Buttergask, Johannes de Bonavilla, et Michael Scotus, milites, cum aliis baronibus, militibus, armigeris, et valentibus perſonis, ad numerum mille hominum.

CAP. IV.

Quòd rex non ſequatur conſilium juvenum.

QUanta igitur mala, ex præſumptione peſtifera et juvenili conſilio, in hac expeditione provenerunt, ſequentia declarabunt. Conſilium expertiſſimum Douglas refutatum fuit, et conſilium inexpertorum admiſſum. Cognovit enim Willelmus Douglas calliditatem et potentiam Anglorum, et utile conſilium dedit: ſed non valuit; quia rex, præſumptuoſus ſuæ animoſitati, ſeducentes quamplures habebat aſſentatores; quem ** aſſimilare potero Artaxerxi regi Medorum bellum Græcis indicenti, cui unus familiarium dicebat, " Græcos adventum " initii belli non expectaturos, ſed ad primam adventûs famam terga " verſuros." Alius dicebat, " Græciam non vinci, ſed obrui mole " exercitûs." Alius dicebat, " Timendum eſſe ne urbes vacuas et " deſertas inveniret: non habiturum regem, ubi tantas vires exercere " poſſet." Alius dicebat, " Vix illi naturam rerum ſufficere: anguſta " eſſe claſſibus maria, militibus caſtra, explicandis copiis equeſtribus " campeſtria, cœlum vix patere ſagittis." Dum in hunc modum regem, nimiâ exiſtimatione ſui furentem, confutarent, dixit Damaratus, cui Douglas poteſt eſſe aſſimilatus; " Multitudo iſta quæ tibi placet,

* Et rex futurus, cum comite Patricio, &c. *MSS. Cupr. et Perth.* † Comes Patricius Marchiarum, *ibid.* ‡ Ad propria cum ſuis revertentes, *ibid.* ⸸ Propter invaſionem, ut dicitur, terrarum, &c. *ibid.* ❋ Qui quidem comes de Menteth, poſtea de proditione convictus, equis tractus, &c. *ibid.* ** Quem non incommode, *ibid.*

" tibi

" tibi metuenda est: verum est enim permagna nunquam posse regi, " nec diu durare potest quod regi non potest. Nihil tam magnum " quod perire non possit." Sic contigit ut dixit Damaratus. Nam Artaxerxes, ut fugax animal, pavido regressu, paucitate devictus, regnum proprium repetere est coactus. Exemplum potest esse regibus inexpertum consilium juvenum, hoc quod scriptum est de Roboam filio Salomonis, tertio REGUM XII. de quo etiam quidam sic vulgariter ait:

Kyngis state giff zou will lede,
Till ald mennis consall tak gude hede:
Roboam his kyngdam lesit,
Zonge mennis consall for he chesit.

Sed nunquid anile fuit consilium regi David apud Ryton, ut prædicitur, per B. Cuthbertum sibi divinitus susurratum? Quod consilium quia contempsit, et terras ecclesiasticas ejusdem Sancti Cuthberti, timore Dei postposito, invadendo destruxit, pœnam propterea non evasit: quia tanquam excommunicatum Angli eum invaserunt, quem monachi Dunelmenses pro tali forte denunciaverunt. Et est certè multum timenda excommunicatio; quia etiamsi sit injusta, cùm contemnitur incurritur: et ideo, sive justa, sive injusta, est timenda; ut XI. Q. iij. C. *quibus*, et C. *quoniam injustè*. Exemplum ad hoc utile in medium proferamus: scribit enim ODO monachus Cluniacensis, quòd Theodosius ille famosissimus imperator, sicut Tripartita refert Historia, quadam vice à quodam monacho, qui, ut credo, non bene compos mentis suæ erat, pro quadam ejus querela, quam non statim expedierat, excommunicatus est. Et monachus quidem, excommunicatione in pittaciolo descriptâ, et, quò ab imperatore inveniri possit, projectâ, discessit. At imperator non illum gyrovagum, sed cœlestem potius regem, cujus auctoritate solet excommunicatio fieri, in causam considerans, prandere nullatenus, cùm quidem incumberet hora, præsumpsit: multisque episcopis coram astantibus, et cum illo episcopo, ad cujus diocesim prædictus pertinebat monachus, licentiam dantibus, cogi non potuit ut aliquid gustaret, donec monachus, diu multumque quæsitus, et aliquandiu repertus imperatori licentiam dedit. Velim ut istis personis ex obliquo personas componant, quatenus causam à contrario verius discernant. Ecce imperator, non qualiscunque, sed Theodosius, omni seculo post se mirandus, observavit excommunicationem, non rationabiliter sed inepte prolatam, neque à quolibet qui vel tenuem excommunicandi potestatem habuerat, sed à stulto monacho fortuitò injectam. Isti verò degeneres homunciones, nullumque, saltem apud vulgares, signum honestatis habentes, excommunicationem contemnunt, non fortuitam sed ecclesiasticâ censurâ, non solùm ritè per curatos, sed per pontifices medicinaliter decretam: quæ quando non contemnitur, medicinalis est, et non eradicans sed salubris disciplina, et ideo non est contemnenda; quia ipsam non ligat, sed Christus.

VINCENTIUS. Quidam comes Angliæ duxit cognatam suam; correptus à S. Dunstano, eam non reliquit: Excommunicatur. Rex episcopo mandavit ut absolveretur; qui noluit, quin gravius eum excommunicavit. Illi Romam cum multis muneribus miserunt. Apostolicus

ſtolicus mandavit Dunſtano, ut eum abſolveret. Reſcripſit ſibi, quòd inceſtuoſam non dimitteret. Abſit, inquit, hoc, pater ſancte, ut cauſa alicujus mortalis hominis contemnam legem Dei mei. Quod videns comes pœnituit, et uxorem repudiavit; nudiſque pedibus, laneis indutus, virgaſque manu gerens, cecidit ad pedes Dunſtani generale concilium celebrantis: et tunc primò abſolutus eſt.

CAP. V.

De periculo excommunicationis.

CErtè quia dies mali ſunt, in quibus, ut ait Apoſtolus, " exiſtunt " homines ſeipſos amantes; qui auditum à veritate avertentes, " ſanam doctrinam non recipiunt:" inde eſt, quòd pondus Divinæ auctoritatis parvipendunt, et non ſolùm Dei miniſtros, ſed ipſum etiam per ipſos admonentem, more Cain, ſpernunt. Quia verò de uno rege ſive imperatore, qui mirâ humilitate excommunicationem, licet ineptam, obſervavit audivimus; nunc de alio quid contigerit audiamus. Legitur in hiſtoria gentis Anglorum, quòd quidam epiſcopus duos fratres, Palatinos viros, pro repudio uxorum excommunicaverit. Contigit autem, ut rex ipſius gentis juxta domum ipſorum tranſitum haberet; qui multis delinitus blandimentis, ut apud eos ad prandendum diverteret, tandem conſenſit. Expleto autem convivio, cùm viam rediret, obvium habuit epiſcopum qui fratres illos excommunicaverat. Quem cùm vidiſſet, intremuit, et exiliens de equo, in media ut erat via, proſtravit ſe coram epiſcopo. At ille appropians ad eum, ferulâ, quam manu tenebat, tetigit eum dicens; O rex! non eſt meum ignoſcere tibi, quia contra Deum feciſti, quando te excommunicatis ſcienter ſociaſti. Idcirco iſta ſententia eſt de te. Hoc anno mori habes, in ipſa domo in qua excommunicationem contempſiſti. Quod et factum eſt, ſicut ibi legitur. Ecce rex non potuit habere reatum niſi moriendo expiare. Sed ecce nec epiſcopus proſtrato regi in pulvere potuit ignoſcere.

Ex his igitur colligendum eſt, quòd nec ipſe epiſcopus cujus excommunicatio contemnitur, ſine graviſſima pœnitentia, hujuſmodi facinus ignoſcere poteſt. Cùm igitur, juxta Innocentium IV. excommunicatio, ſi non contemnitur, medicinalis ſit, reſtat quòd contempta efficitur mortalis, ideo quia contempta. Lucas medicus eidem regi David contrariatur, cùm ſiquidem ipſum bellum et in die S. Lucæ commiſſum ſit. Unde, ante hoc per magna tempora, prophetatum fuit:

Nitens per guerras Anglorum perdere terras,
Teſtis erit culter, David capietur adulter.
Suſpicans et clerus penetrans cognomine verus,
Viſcera Scotorum penetrabunt belligerorum
Auguſti ſpatâ, ferientur vulnera lata:
Sed Lucas medicus Scotis non fiet amicus;
Davide namque duce, vincentur veſpere Lucæ.
Teſte novâ cruce villæ, latitant ſine luce.
Cum pauca gente, Chriſto vexilla ferente

Mundatâ mente non ſit victoria lentè.
Sacri cornuti, Divino dogmate muti
Sub ſigno ſcuti, ſient hoc tempore tuti.
Non erit et mutum Scotis ſolviſſe tributum.

Vitent ergo Scoti * offenſam Sancto Cuthberto irrogare: quia cùm ipſe in Hibernia natus, in Scotia educatus, et in Melros monachatus fuerat, regem Eadgarum, filium Sanctæ Margaretæ, invaſorem † regni evincere inſtituit, et multa alia bona aliàs Scotis exhibuit: unde ingrati ſibi nequaquam exiſtere debuerunt; quia, cùm gratus ſit ipſe gratis, ingratis reperitur interdum et iratus. Ideo ſubſcriptos verſiculos commendet memoriæ quilibet Scotus ‡ memor ſui:

Terras Cuthberti qui non ſpoliare verentur,
Eſſe queunt certi quòd peſte malâ morientur ┼.

Incontinenti poſt bellum reddita ſunt caſtra Anglis; domino namque de Percy redditum eſt caſtrum de Roxburgh per Taſſy Loran Scotum, ejuſdem tunc cuſtodem. Ad cujus exemplum redditum eſt eiſdem caſtrum de Hermitage: et, ut breviter dicam, ad deditionem eorum devenerunt Marchia, viz. Tevidalia, Twedalia, Forreſta, vallis Annandiæ, et Galweya. In tantum fines ſuos dilataverunt, ut infra breve marchias ad Colbranſpeth et Soltré ponerent. Deinde uſurpando ad Karlynlippis et Croſſecryne. Sed eorum violentiæ viriliter reſtitit Johannes Kenedi cum Alano Stewart, qui Galwidienſes in tantum conſtrinxerunt, ut in modico Scotis obfuerunt.

CAP. VI.

De initiis domini Willelmi de Douglas comitis ejuſdem.

EO tempore Eadwardus de Balliolo moram traxit in Galweya apud Brinthile, qui, adunatis ſibi Galwallenſibus, cum domino de Percy, hoſtiliter Laudoniam invaſit, ipſam igne et ferro crudeliter devaſtans: et à Fawkirk ad Glaſgw pertranſiens, ſimili furiâ invectus per Conynghame et Nyddiſdale, in propria eſt reverſus. Propter hujuſmodi direptiones et hoſtiles invaſiones, reelectus eſt Seneſcallus Scotiæ in cuſtodem. Qui propterea de novo vicecomites, ballivos et officiarios inſtituit, et cuſtodiam Caſtri Puellarum domino David de Lindeſay commiſit *. Eâ tempeſtate Willelmus de Douglas filius Archibaldi, Tyneman vulgariter nuncupati, fratris herois Jacobi ** qui à Paganis occiſus eſt, reverſus eſt à Galliis ††, (hic etiam fuit primus comes de Douglas) venit ad Douglaſdale, terram ſuam nativam, tunc recenter Anglicatam: et confeſtim ſuæ opinioni eos reflexit; et poſtea totam foreſtam de Ethrick ſibi attraxit. Cujus felicibus auſpiciis invidens Johannes de Coupland tunc de Roxburgh capitaneus, congregatâ ar-

* Vitent ergo Scoti terram eccleſiaſticam invadere, et maxime offenſam, &c. *MSS. Cup. et Perth.* † Donaldum Ban invaſorem, &c. *ibid.* ‡ Quilibet Scotus Angliam invaſurus, *ibid.* ┼ Ferientur, *ibid.* * Committens, non ſegniter regit, ſed pro tutela regni multum laborioſum ſe reddidit, *ibid.* ** Fratris herois D. Jacobi de Douglas, bellatoris victorioſiſſimi, qui, &c. *ibid.* †† Poſt infelix bellum de Poicteris, *addunt iiſdem MSS. at perperam, iſtud enim bellum accidit A. D.* 1356.

matorum

matorum multitudine, ad Tevidaliam ſe tranſtulit, ſperans perinde Tevidalenſes ad fidem Anglorum confirmatos exhibere. Sed mentita eſt iniquitas ſibi. Nam contra eum Tevidalenſes unanimes cum Douglas aſſurgentes, ad fugam Coupland cum ſuis pepulerunt, et, ad perſuaſionem Douglas, fidem regi David firmaverunt. Iſte Willelmus fuit valde bellicoſus, et quando maximè deſiderabat pacem, et marchias ſuas ſervari in libertate, movebat acriter guerram. In hoc ſecutus eſt doctrinam AUGUSTINI ad Bonifacium dicentis; "Non quæritur pax "ut bellum exerceatur, ſed bellum geritur ut pax acquiratur. Eſto "ergo bellando pacificus, ut eos, quos expugnas, ad pacis utilitatem "vincendo perducas.*"

CAP. VII.

De prima mortalitate, et interfectione domini David ſe Berkelay.

ANNO Dom. MCCCXLIX. tanta peſtilentia et mortalitas hominum in regno Scotiæ erat, et etiam annis pluribus præcedentibus atque ſubſequentibus generaliter in toto orbe prævaluerat, quanta à mundi primordio huc uſque nuſquam audiebatur, aut in codicibus, ad futurorum notitiam, eſt comperta. In tantum enim peſtis illa malitiam exercuit, ut fere tertia pars generis humani debitum naturæ ſolvere compelleretur. Mirum etiam in modum ac inſolitum nutu Divino moriendi hoc accidit detrimentum, ut vix biduo, ex quadam carnis inflatione turgida, ægrotantes curſum vitæ præſentis elongarent. Sed hoc in mediocribus præcipuè ac popularibus, et rarò in magnatibus ubique locorum contingebat. Agitabantur denique univerſi quaſi tanto pavore, ut filii parentes, in extremis laborantes, et è converſo, metu quodam contagionis, veluti à facie colubri fugientes, non audebant viſitare. Quo in anno, ſicut Domino placuit, de ærumnis vitæ præſentis, ſecundùm generalem conditionem carnis, viginti quatuor canonici profeſſi clauſtri canonicorum Sancti Andreæ ſunt educti, qui ſacerdotio fungebantur ſinguli, præter tres: fuerunt quaſi omnes viri ſufficienter literati, in ſpiritualibus, et temporalibus circumſpecti, et morum conſpicui honeſtate. Hujuſmodi peſtilentiæ interdum proveniunt propter peccata hominum. Unde quidam:

Propter peccata venient diſcrimina lata.
Heu quod peccatum tantum mundo ſit amatum!
Mors pro peccato ruet in terram veterato.
Me fere delirum credas, ſi dixero mirum:
Mors faciet girum per terras undique dirum.

Sicut accidiſſe Romæ legimus, tempore quo Sanctus Chilianus Scotus Winzibrogenſis epiſcopus claruit. Hæc quoque peſtilentia Ticinum adeo depopulata eſt, ut, civibus per juga montium fugientibus, intra præfatam urbem herbæ naſcerentur atque fruteta. Tunc etiam viſibiliter multis duo apparuerunt angeli, bonus et malignus, pergentes per civitatem; quorum malignus angelus venabulum magnum ferebat: qui,

*In hoc Douglas aſſecutus eſt illud proverbii; Si vis pacem, præpara bellum: *addit lib. Cuprenſ.*

quoties

quoties de venabulo illo oſtium cujuſque domûs, boni angeli juſſu percuſſiſſet, tot de eadem domo ſequenti die hominum cadavera trahebantur. Sed quibuſdam viris in eadem urbe per revelationem dictum eſt, quòd non priùs peſtis illa quieſceret, quàm in baſilica beati Petri Apoſtoli, quæ Ad Vincula dicitur, Sancti Sebaſtiani martyris altare conſtrueretur. Factumque eſt ita. Nam delatis ab urbe Romana beati Sebaſtiani martyris reliquiis, mox, ut in jam dicta baſilica conſtitutum eſt ipſius altare, peſtis illa quievit.

A. Dom. milleſimo trecenteſimo quinquageſimo, occiſus eſt nobilis vir et potens dominus David de Berkelay miles, inhumaniter et proditioſè apud Aberden nocte Carniſprivii, per Johannem de Sancto-Michaële et complices ſuos, ex procuratione, ut fertur, domini Willelmi de Douglas, tunc in Anglia captivi exiſtentis, in ultione viz. Johannis de Douglas fratris ſui, et patris domini Jacobi de Douglas ſenioris de Dalketh, quem Johannem idem David fecit interfici apud Forgy-wod. Porrò prædictus Johannes de Sancto-Michaële ac omnes alii fautores ſui, qui ejuſdem intererant occiſioni, non poſt multum temporis intervallum, gladio vindice, unus poſt alium conſumpti ſunt; nec unus quidem illorum hujuſmodi mortem evaſit.

A. Đ. MCCCLIII. obiit Matildis de Bruce, ſoror regis David, apud Aberden, in feſto beatæ Margaretæ virginis, et ſepulta eſt in Dunfermelyn cum parentibus ſuis. Quæ nupſit cuidam armigero, nomine Thomæ Iſaac; qui genuit ex ea duas filias, quarum major, nomine Johanna, nupſit nobili ac potenti viro Johanni de Lorn domino ejuſdem: qui procreavit ex ea filios et filias. Minor filia ipſius Matildis, nomine Katerina, apud Strivelyne rebus exempta eſt ab humanis.

CAP. VIII.

De occiſione nobilis Willelmi de Douglas et abbatis de Dunfermelyn.

MEnſe Auguſti ejuſdem anni occiſus eſt nobilis Will. de Douglas de Liddaliſdale, vir ſtrenuus in armis: qui multa paſſus fuit pro libertate regni; gnarus in guerris, et fidus in promiſſis; flagellum Anglorum, et Scotorum murus. Occiſus eſt autem in foreſta de Ethrick apud Galvord, cùm venatum tranſiret, non minus crudeliter quàm infeliciter, per conſanguineum ſuum et filium ſpiritualem Willelm. de Douglas, dominum et poſtea comitem ejuſdem, quem de ſacro fonte levavit; in vindictam, ut dicitur, mortis nobilis Alexandri de Ramſay, et domini David de Berkelay, ſive propter alias inimicitias, quas inter illos ambitio dominandi peperit, extinctus eſt. O quàm inhumanum eſt et humanæ naturæ contrarium, ut homo ſibi ſimilem extinguat! nam cetera animantia, quæ in ſuo genere prope degunt, congregare videmus et ſtare contra diſſimilia. Leonum feritas inter ſe non dimicat; ſerpentium morſus non petit ſerpentes; nec maris quidem belluæ ac piſces niſi in adverſa genera ſæviunt. Sed homo cùm in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt utinam jumentis inſipientibus; ſed, ſi auderem dicere, homicida diſſimilior factus eſt illis: hoc enim videtur ab homine degenerare, et in beſtiam tranſire, qui ſanguinem humanum ſitit. Unde SENECA: Ferina rabies eſt iſta, ſanguine et vulnere lætari; hoc eſt, abjecto homine in ſilveſtre animal tranſire.

Eodem

Eodem anno obiit Alexander Ber abbas de Dunfermelyn, qui, ob cauſam generalis indulgentiæ obtinendæ, viſitavit perſonaliter limina beati Petri *; qui, redeundo ab urbe Roma, mortuus eſt apud villam Sancti Stephani in parva Lombardia, cum quodam monacho ſocio ſuo, ac univerſa familia ad eum pertinentibus, pariter cum eo in Domino dormientibus: qui ſtetit in officio ſuo per viginti duos annos ſe ac ſuos utiliter regens. Quo audito, conventus monaſterii prædicti, prout eis incumbit de jure et conſuetudine, per licentiam patroni domini regis, et conſilio dioceſani, elegerunt ſibi in abbatem dominum Johannem Blak cellerarium ejuſdem; qui confirmatus, et ad propria reverſus, pro tempore quo ſtetit domum ſibi creditam gratioſè gubernabat. Eodem tempore monachus quidam ejuſdem monaſterii, Johannes de Stramiglaw nomine, ſtudens Pariſius, timenſque diſpendium imminere monaſterio ſuo, propter reſervationem generalem factam per ſummum Pontificem de omnimodis dignitatibus eorum qui deceſſerunt in hujuſmodi peregrinatione, ne iſta dignitas devolveretur in manus cujuſdam extranei, curiam Avinionenſem adiit, et impetravit abbatiam de Dunfermelyn per bullas Apoſtolicas. His verò auditis, dictus dominus Johannes Blak, conſultus per ſeculares et dominos temporales ne cederet dignitati ſuæ abbaciali aut ipſi Apoſtolico quoquomodo, diſſimulavit; ſed cognitis reſervationè Apoſtolicâ et collatione factâ per bullas ſibi Papales, dum ipſe Apoſtolicus cœmeterium monaſterii cum paucis intravit, abbas præfatus, de conſilio fratrum ſuorum, pro conſervatione indemnitatis monaſterii, eccleſiaſticis ornatus indumentis et mitratus procedens ei obviàm, conventu proceſſionaliter ſubſequente, ipſam mitram capiti Apoſtolici et baculum paſtoralem manu ejus impoſuit, cùm TE DEUM LAUDAMUS canorâ voce ad chorum et altare perduxit, et, factâ oratione, eum inſtallari, non minus humiliter quàm hilariter, effecit, obedientiam manualem, flexis genibus, priùs præſtitit, aliis conſimiliter ſubſecutis. Cui vice verſâ dictus Apoſtolicus ſe gratum exhibebat, ſibi de honeſta penſione providendo: qui poſtea in Priorem de Urchard eſt electus. Qui quidem Johannes de Stramiglaw, pro taxatione ſui monaſterii facta in curia, ſolvit cameræ Apoſtolicæ quinquaginta marcas Sterlingorum. Et notandum eſt, quòd dignitatem illam ex liberalitate ſedis Apoſtolicæ ita recepit, ut in poſterum, ſicut priùs ab initio, jus electionis monaſterio remaneret, et domino epiſcopo jus confirmationis ita clarum, ſanum et integrum, ſecundùm quod ab antiquo, et prima domûs fundatione, abſque diminutione ſui juris, præjudicio vel exactione quacunque.

CAP. IX.

De nunciis regis Franciæ miſſis Scotiæ.

ANNO Dom. milleſimo trecenteſimo quinquageſimo quinto, poſt feſtum Paſchæ, venit quidam miles nobilis et expertus armis, nomine Eugenius de Garenceris, cum quibuſdam militibus prælectis, et valentibus armigeris, numero ſexaginta, miſſus à rege Franciæ et

* Limina Apoſtolorum, *MS. Cupr.*

conſilio Franciæ ad cuſtodem et nobiles Scotiæ, non tamen manu vacuâ, ſed auri pondo ingenti copiâ, viz. quadraginta millia mutonum auri, eidem cuſtodi et regni proceribus ex parte domini ſui regis liberaliter conferenda: ita tamen, quòd gens Scotorum pacem cum Anglis non componerent, vel aliquo modo pro tempore cum eiſdem concordarent, immò fortiùs debellarent. Quod utique ad placitum eorum erat expeditum * per diverſos tractatus et conſilia, in diverſis regni locis celebrata, antequam prædictum aurum in Flandria dimiſſum, in partes Scotiæ ad manus cujuſcumque deveniret. At Scoti, qui crebro per denarium amittunt ſolidum, auri cupiditate illecti, Angliam debellare promiſerunt; ſed poſtea in effectu modicum quid dignum memoriâ perfecerunt. Acceptum igitur à Gallicis illud aurum majores regni inter ſe ex condicto diviſerunt, et alios mediocres dimiſerunt inanes. Pro qua quidem ſponſione, et auri aviditate, non ſecundùm exigentiam perſonarum partiti, deſtructio quaſi totius Laudoniæ per regem Angliæ paulo poſt ſecuta eſt.

Eodem anno, menſe Auguſti, dominus Patricius comes Marchiæ et Willelmus de Douglas, dominus ejuſdem, prædationem terrarum dicti comitis, nuper per Anglicos perpetratam, graviter ferentes, miſerunt quendam ſtrenuum et armis † probatum, Willelmum viz. de Ramſay de Dalwolſy militem, cum pluribus ad marchias, ad prædandam villam de Norham totamque terram circumjacentem, et inhabitantes eam: quod et factum eſt. Cúmque didiciſſet adverſarios poſt eum in proximo adventuros, cum ſuis paululum ſubſiſtebat, et ſubito hoſtes eum acriter inſequentes, quaſi fugam ſimulando, uſque ad locum quendam qui dicitur Nesbit in Mercia, ubi dominum de Douglas ſupradictum cum Scotis et Gallicis bene noverat latitantem, et rei exitum præſtolantem, ex induſtria et condicto protrahebat. Qui etiam Willelmus Ramſay in quodam montis latere hoſtes declinans, ad Scotos uſque pervenit, bonum portans nuncium de adventu Anglorum. At Scoti de ſedibus ſuis illico procedentes, obviàm Anglicis alacriter properarunt. De quorum inopinata viſione Angli ſtupefacti, ſigna vexillaque dicti domini de Douglas peroptimè cognoſcentes, et jam fugere cum honore non valentes, animas ſuas in propriis manibus committebant, Scotis viriliter reſiſtentes ‡. Et quoniam neceſſe eſt, ut fortes à fortioribus ſuperentur, ac pars infirmior ſupplantetur, Scoti, Deo gratias, adverſus eos ipſo die prævalebant, ſubactis omnibus ac proſtratis, paucis quidem interfectis; ⸸ excepto quòd quidam miles Gallicus Anglos à Scotis captos, ſoluto auri pretio, nonnullos emebat, et ipſos trans montem deductos decapitavit, in vindictam patris ſui paulo ante per Anglos in Francia interfecti. Reliqui ſani, præter paucos qui fugerunt, ducti ſunt captivi, et per diverſa loca arctiùs cuſtoditi, poſtmodum multo pretio * ſunt redempti. Quo die cecidit ex parte Scotorum vir fortiſſimus et bellicoſus Johannes de Haliburton, Anglicis ſemper infeſtus, necnon valens armiger Jacobus Turnbull. Capti ſunt autem ex parte altera,

* Et finaliter promiſſum per regem, primores, *addit editio Hearnii, ubi forte* per regni primores *legendum.* † Actibus, *ibid.* ‡ Scotos viriliter debellando, *ib.* ⸸ Sequens pericope à continuatore additur, et deſideratur in edit. Hearnii. * Auro et argento ac rebus aliis, *edit. H.*

Thomas

Thomas Gray miles nobilis, cum Thoma filio ſuo et herede, et unus armiger fortis et famoſus, nomine Jacobus Darres, cum aliis pluribus valentibus armigeris, &c.

CAP. X.

De captione villæ Berwici per Thomam comitem Anguſiæ.

EOd. An. circa feſtum omnium Sanctorum, Tho. Seneſcallus comes Anguſiæ, diutinâ machinatione præconceptâ, ac per diverſos portus Scotiæ navium conductâ multitudine, brachio potenti, ac robuſtorum vallatus catervâ navali vehiculo ſecum ſubvectâ, ſub quodam noctis ſilentio, prout inter ipſum et comitem Marchiæ erat condictum, ad portum Berwici appulerunt. Qui, exeuntes clàm de navibus, ad terram pervenerunt, ſcalas ſecum portantes ad hoc negotium præparatas; et excubantes ſub muris oppidi, tempus congruum faciendi ad quod venerant expectabant. Tandem in diluculo diei ſequentis, ſuper ſcalas erectas apud *le Cowzate* viri virtutis protinus aſcendentes, quorum præaſcenſor fuit Willelm. de Turribus, ubi, non ſine pugna, oppidum viriler intraverunt, licet murorum vigiles intrantibus plurimum nocuiſſent: (quod eiſdem proſperè non ceſſit; nam ibidem interfectus fuit filius nobilis Roberti de Ogle, cum nonnullis aliis muros defendentibus) et finaliter proſtratis omnibus qui pro urbe præſidium ferre conabantur. Omnes denique oppidani de ſubito adventu gentis Scotorum pavore perterriti, de lectis ſuis ſurgentes inſignati, ſeipſos ultra muros præcipitabant, relictis Scotigenis auro et argento ac divitiis infinitis: at illi ſine miſericordia tractabant, quæ ſibi multo tempore Anglici congregârunt. Multique de Anglis fugientes per *le Douglas-Tour*, recepti et ſalvati ſunt in caſtro. Rumore igitur captionis villæ adaucto per Marchiam, adierunt Johannem Coupland, auxilium ejus et conſilium flagitantes. Qui in multitudine congregati, propoſuerunt de nocte habere aditum in caſtro, et per *le Douglas-Tour* tranſitum facere; et ſic inopinatè Scotos, in oppido diſperſos, circumvallare et confundere. De quorum propoſito Scoti præmuniti, affiliebant viriliter *le Douglas-Tour*, et obtinere; ac, in contrarium caſtellanorum et ſupervenientium Anglicorum, tam oppidum quàm turrim defendere. Veruntamen caſtrum oppugnantes nullatenus capere potuere. Hujuſmodi obſidioni interfuerunt dominus Eugenius de Garenceris et ſui confrancigenæ, qui magnum auxilium captioni villæ impederunt. Ad quam confeſtim poſt captionem adiit cuſtos Scotiæ Robertus Seneſcalli, ordinans et diſponens de ipſius cuſtodia, reducenſque abinde ſecum Francos, quos honorificè pro modulo ſuo tractavit, et ad propria remiſit.

CAP. XI.

De conflictu inter triginta Gallos, et totidem Anglicos.

EOdem tempore contigit in Britannia minore, quòd quidam conflictus ſatis ferox movebatur inter Francos et Anglos: quo quamvis Angli plures erant numero Francis, tamen ſuccubuerunt in campo; ubi quidam miles magnanimus, Johannes de Beaumareris Gallicus, quendam

quendam arrogantem Angliæ militem bello cepit; et quamvis cuſtodiæ deputatus, petulanter tamen illatis improperiis Francos parvipendit, dicens, unum Anglicum in bello duobus Francigenis poſſe et æquiparari debere; non obſtante quòd pro tunc Franci de Anglis * triumphaverunt. Ad hujuſmodi verba indignabunda Francus aliqualiter motus dicebat, de facili Gallicum inveniri, qui, in juſta querela, cum Anglico contenderet, et ſuam partem uſque in finem viriliter ſuſtineret. Fateor, inquit Anglicus, in eventu ſic poſſe contingere, uni cum unico contendendo. Sed demus quinque contra quinque, decem contra decem, viginti vel triginta contra totidem, et ſic realiter probabitur, quæ natio dominabitur. Quid ultra moror? concordatum eſt quòd triginta contra triginta dimicarent, et pars victa victrici redemptionem ſolveret; et interim miles Anglicus liber conſiſteret, redemptionem nequaquam ſoluturus niſi contingeret ipſum denuo captivari. Locus in Normannia eligitur; dies ad hoc ſtatuitur: fortiter hinc inde dimicatur. In primordiali namque congreſſu, pro Anglis de victoria præſumitur, ubi quidam Gallus de acie ſubito ſe ſubtraxit, et, aſcenſo equo, juxta ſe armato, credentibus ſociis quod aufugeret, ſubducens talos pro calcaribus equum, aëra clamore replens, clipeumque pectori prætendens, vibratâ dirâ lanceâ, Anglos ex improviſo invaſit, et eorum cuneum, ad modum hericii conglobatum, ſecurus penetravit, ab invicem ſeparavit, et eorum nonnullos ad terram vehementer proſtravit. Cujus quaſi ſolius animoſitate ſocios ſuos dilapſos reſarcire procuravit; et ſic victoriam de inimicis fieri concauſavit. Ubi, novem de Anglis interfectis, ceteriſque captivatis, unus tantùm de Gallis occubuit. Et ſic, ob ſuperbiam unius, ruina magna patuit multis; et unius arrogantia fuit humiliatio multorum. Propter quod quidam:

Actibus et verbis, homo, quicumque ſuperbis,
Hoc retine verbum, Frangit Deus omne ſuperbum.

CAP. XII.

De hoſtili adventu regis Angliæ in Scotiam, et reſignatione juris Eadwardi de Balliolo.

ANNO Dom. ſupradicto, primo die menſis Febr. rex Angliæ Eadwardus III. poſt conquæſtum, Windeſour vocatus, moleſtè ferens captionem villæ Berwici, timenſque quòd ſi dimitteret ſic Scotos, tollerent ſibi locum et gentem, quàm citius potuit congregato exercitu LXXX. millium armatorum, ipſo etiam tunc in remotis agente, virtute magnâ ad Marchias uſque pervenit, ipſam villam de Berwico obſeſſurus. Quod videntes villæ cuſtodes, et ipſam defendere non valentes, tum quia pauci erant, tum quia victualia non habebant, tum quia prædicti regis Angliæ feritatem vehementer formidabant, tum quia ſuccurſum à gente ſua, propter principum diſcordiam, habere deſperabant, ſapienti uſi conſilio ſic finaliter tractaverunt, quòd ſalvis ſibi vitâ et membris ac rebus omnibus ibi conquiſitis, eidem regi Angliæ oppidum reddiderunt. Et ſic, quaſi unuſquiſque mirabiliter locupletatus, expeditè ad propria

* Fortuito caſu triumphaverunt, *MS. Cupr.*

remeavit.

remeavit. Nec prætereundum eſt, quòd ſtatim poſt deliberationem villæ prædicto regi Angliæ, apud Roxburgh perſonaliter exiſtenti, priuſquam ulteriùs in terram Scotiæ progrederetur, Eadwardus de Balliolo tanquam leo rugiens occurrebat, et vix ſeipſum præ ira capiens, in hæc verba, omni morte acerbiora, prorupit, dicens: "O rex, præpotentiſſi-" me princeps! quem præ ceteris mundi mortalibus his diebus novi " excellentiorem, cauſam meam et omne jus quod habeo, vel habere " potero, in regno Scotiæ, merè, ſimpliciter et abſolutè tibi tribuo, " ut ulciſcaris me de inimicis meis, gente viz. Scoticana, nationum " iniquiſſimâ, qui me abjicerunt ne regnarem ſuper eos." In cujus facti evidentiam coronam regiam *, terramque et lapides de humo Scotiæ propriâ manu offerebat, dicens; "Hæc omnia in ſignum veſti-" turæ tibi dono: tantùm viriliter age, et eſto robuſtus, ac regnum, " olim mihi debitum, tibi quæras in perpetuum." Qua in re hoc quoque notandum eſt, quòd nihil à ſe dedit; quia nullum jus ab initio habuit. Et ſi quid habuerit, jam in manus alterius reſignavit: quod utique facere, etiam ſi rex verus fuiſſet, nullo modo potuit; quia non tenet renunciatio vel reſignatio, niſi fiat illi cujus eſt inſtitutio. Modò inſtitutio nunquam pertinuit regi Angliæ: quin etiam diverſi reges Angliæ renunciaverunt omni juri competibili ſibi ad regnum Scotiæ; ſicut et nuper fecit pater iſtius regis Angliæ, ut patet libro præcedenti, cap. xiij. Etiam dato, ſed non conceſſo, quòd verus rex fuiſſet, adhuc non tenet reſignatio, quia non potuit renunciare, niſi de licentia ſuperioris domini, &c. Item juravit Eadwardo † tyranno, quòd jus in regno ‡ Scotiæ nunquam vendicaret. Ut patet ſuprà lib. XI. cap. xxvij. Rex nihilominus Angliæ Eadwardo de Balliolo, pro tam magnifico dono, magnificè gratias reddidit. Et inde cum exercitu progrediens, velut urſa, raptis fœtibus, et in ſaltu ſæviens, terram Scotiæ crudeliter intravit, et uſque ad burgum de Haddington, cum potentia magna et majeſtate pervenit.

Nullum jus ad regnum habuit, patet: quia mater ejus fuit baſtarda, et illegitimè nata. Prò quo notandum eſt, quòd dominus de Allerdes habuit duas filias, Mariotam et Genildam. Mariota fuit ſponſa Ochtredi filii Ferguſii domini de Galweya; de qua genuit dominum Rotholandum, patrem magni Alani de Galweya: et Genilda fuit ſponſa David comitis de Huntington; de qua genuit Johannem Scotum comitem de Garviach, præmortuum patri, et tres filias, ſciz. Margaretam, Iſabellam et Adam. Margaretam deſponſavit dictus Alanus de Galweya: quorum filia fuit Dervorgilla, deſponſata Johanni de Balliolo; quorum filius fuit ille Johannes qui poſtea fuit rex. Cujus filius fuit Eadwardus de Balliolo, qui prævaluit apud Duplyn. Prædicta Margareta attingebat ſponſo ſuo Alano ſecundo et tertio gradibus conſanguinitatis: propter quod miſſi fuerunt nuncii ad curiam Romanam, pro diſpenſatione impetranda, qui ſubmerſi fuerunt in aqua Anandiæ; et ſic ceſſavit impetratio. Unde clarè conſtat, quòd præmiſſus Eadwardus nullum jus habere potuit ad regnum. Contrarium hujus vide ſuprà, libro XI. cap. xiij. et libro IX. cap. xlij.

* De capite ſuo avulſam, *addit MS. Cupr.* † Eadwardo avo iſtius regis Angliæ, *ibid.*
‡ Vel ad regnum, *additur ibid.*

CAP. XIII.

De tyrannide regis Angliæ, et classis suæ periclitatione, et miraculo Mariæ.

MORAM igitur faciente dicto rege apud Hadington, et in viciniis ejus, per decem dies, et suum navigium victualia ferens præstolante; ventus validus venit à regione deserti, hoc est ab Aquilone, quia *ab Aquilone pandetur malum*; irruit in classem suam versus North-Berwicum anchoratam. Et cùm vela versus portus salubriores divertissent, insurrexerunt contrarii venti in classem, et in brevi totam societatem dissipaverunt. Periclitabantur igitur naves infra maria, pro majori parte submersæ; quæ verò tantum periculum evaserunt, huc illucque in diversis ferebantur regionibus, ubi venti impetus impellebat. Rex igitur victualibus destitutus, cum exercitu suo paulo post panis penuriâ nimium laborabat: et inde sua movens castra, combusto priùs burgo et toto monasterio, ac solenni ecclesia fratrum Minorum de Hadington, opus certè quod sumptuosum erat, mirique decoris, ac totius patriæ illius solatium singulare, (cujus chorus quidem, ob singularem pulchritudinem et luminis claritatem, Lucerna Laudoniæ communiter vocabatur) direxit iter suum per Laudoniam, circumquaque cuncta comburens ac devastans, et nihil pro posse salvans, usque ad burgum de Edinburgh perveniret. A quo abscedens, et omnia combustibilia incinerans, propterea vulgo *Le burnt Candlemas* data datur, ad propria sine honore remeavit. Non tamen sine gravi damno suorum nobilium, ac periculo proprii corporis, in foresta de Ethrick lociſque vicinis, per insidias ante à Scotis præparatas. Cujus perfectio intentionis ac propositi erat, si naves suum cursum prosperè direxissent, terram Scotiæ, tam procul quàm prope, dissipare, demolire, ac perdere, immò funditùs devastare. Cujus rei effectum Deus distulit in longinquum. Quod utique, secundùm humanum judicium, tempore illo facere potuisset, nisi miserorum remedium, mater et virgo genti Scotorum, ut sequentia declarabunt, in hoc casu celeriùs subvenisset. Nam eodem rege adhuc apud Hadington existente, et Scotorum sanguinem sine intermissione sitiente, fons et origo pietatis, virgo singularis, à filio suo, qui dixit; "Sine me nihil potestis facere:" Et alibi,

Proficit absque Deo nullus in orbe labor:

illius venti violentiam, ac aëris ipsius inclementiam, piis precibus procuravit, ut naves præmissæ, undivagis vorticibus et scopulis conquassatæ, ac etiam ab invicem submersæ et separatæ, victualia regi nusquam vectitarent. Etenim paulo antè, piratæ quidam Anglici, filii Belial, de navibus exeuntes irruerunt in nostræ Dominæ Albam Ecclesiam, apud baroniam de Hamyr situatam, illius imaginem, quam in malo nullus hominum impunè attigerat, aureis monilibus, annullis, et armillis, aliisque pretiosis ornamentis decoratam, quæ fidelium piâ oblatione ipsa decenter gestabat, Deum præ oculis non habentes, sed propriæ salutis timore postposito, spoliabant.

CAP.

CAP. XIV.

Adhuc de eodem.

MOdus autem ſpoliationis imaginis Virginis hujuſmodi erat, ſicut qui vidit teſtimonium perhibuit, et credo, quia verum eſt teſtimonium ejus: nam fide dignus erat valde, et etiam multis honeſtis viris et me, hujus libri conſcribâ, audientibus ſic retulit, dicens; Quòd eo tempore fui puer duodennis apud Quhytkirk, quando ſubito piratæ Anglici illuc advenerunt: quorum ſubitatione inſperati adventûs multæ matres perterritæ filios ſuos parvulos, inter quos, inquit, eram tunc unus, in quodam vetuſto furno inter mœnia antiqua, ob metum Anglorum, cum nonnullis utenſilibus, quò non putabant velle Anglos devenire, abſconderunt. Sed tandem unus eorum barbaricæ conditionis furno introſpiciens, cum ſude acuta pueros, ætate teneros, atrociter pupugit et eliſit. At illi, vagitibus altiſonis vociferantes, audierunt nebulonem hujuſmodi verba proferentem: Pro uno halece ſcaturiente tot de vobis occidere non curarem, quot de albis piſis comedere potuiſſem. Ad vocem igitur miſerandam puerorum, quidam Anglicus, perſpicuæ honeſtatis perſona, ſuperveniens, et ruditatem nocentis puerulos cohibens * cum quadam ferula, quam manu geſtabat, inſequentem parvulos † capite percuſſit. Deinde manu puerulos extrahens et blandè eos conſolans, ad eccleſiam perduxit, et eos coram imaginis ‡ altari ſtatuit, præcipiens ne quis eis ultrà nocere præſumeret. Denique præmiſſi pueruli circumſpicientes, et notitiam de lædente eos habentes, attendunt ſtatim eundem ⸸ eccleſiam intrare, et pavore perterriti cœperunt clamare. At ille, illis comminatis et ſilentio refrenatis, majus altare pedibus calcans, annulum ⁎ de digito imaginis quæ ſuper erat præripiens, unum de ipſius digitis violenter effregit; et dehinc ſuper caput imaginis irreverenter pedem affigens, ſolarium deſuper aſcendit, ac res peculiares, quas miniſtri altaris et ſervi capellæ, ob metum furum ſive raptorum, in cuſtodiam ſub protectione noſtræ Dominæ intromiſerunt, ſurripuit, et ſuis quibuſdam complicibus, in choro expectantibus, ad ſervandum projecit: quibus de eccleſia recedentibus, infauſtus ille homuncio ſecutus eſt. Sed, mira res! nam cum his ſacrilegus cancellariam exiens, et inde, tanquam captâ pretioſâ prædâ, exiliens, ſubito à deſuper cecidit quædam imago vix bipedalis crucifixi, ultoris matris ſuæ ſpoliatæ, et lethaliter eliſit infelicem, cerebrum cum vita in momento eructantem. Clamor tunc attollitur, cùm infelix moritur, et Maria per filium mirificè glorificatur. Paulo ante prædæ-nautæ duos canonicos Sanctæ Crucis, qui in illo loco deſervire beatæ virgini fuerant deputati, ad naves protrahunt vinculatos. Secundo igitur die diſceſſionis eorum, nautæ in virginis ſervulos ſuam exercentes tyrannidem, uſque ad nuda corpora ipſos diſpoliantes diviſerunt ab invicem, quibus ſæpiſſimè, niſi magnam pecuniæ ſummam ſolvant, minati ſunt ſubmerſionem. Sed canonici, mirabiliter confortati dulcedine recordationis Mariæ, inter minas et ſupplicia, nuditates et algores, ſteterunt imperterriti.

* Redarguens, *MS. Cupr.* † Barbarum illum capite percuſſit, *ibid.* ‡ Coram imagine noſtræ Dominæ, *ibid.* ⸸ Eundem veſpilionem, *ibid.* ⁎ Annulum aureum, *ibid.*

Qui,

Qui, ut poſtea ambo juraverunt, in tantum confortabantur per beatam Virginem †, ac ſi eandem tunc præſentem aſpexiſſent. Dum hæc itaque agerentur, et de ſubmergendo canonicos pro concluſione definirent, ſtatim fragor * tempeſtas antedicta in vindictam præmiſſorum ſequebantur; et navis quæ execrandam rapinam perpetravit, quæ raptores et res peculiares ſervitorum virginis abreptas continebat, coram portu de Tynmouth, multis intuentibus, periit et in profundum deſcendit. Sed paulo ante, Deo diſponente, dicti canonici ad aliam navem ſunt tranſlati, et à diræ charibdis voragine erepti, ac ad locum profeſſionis ſuæ de Anglia libere redire ſunt permiſſi, ad laudem Virginis ‡, cui laus ſit in ævum.

CAP. XV.

De provinciis ad fidelitatem regis, per dominos de Douglas et Kyle reductis, et reditu regis.

POST receſſum regis Angliæ de Scotia dominus Willelmus de Douglas, ſatis in factis vigilans, non ſegniter laborabat ad reducendum Scotos Anglicatos ad fidem regis. Unde collectâ multitudine non modicâ armatorum, ſeceſſit in Galweiam, ubi ſic finaliter tractavit, quòd Dovenaldum Macdowell, et totam terram Galweiæ, ad fidem regis retraxit; quem in eccleſia de Cumnok fidelitatem gardiano jurare inſtruxit; quod juramentum uſque in præſentem diem fidè regi ſuo ſervavit. Quo etiam in tempore nobilis Rogerus de Kirkpatrick totam terram de Niddiſdale firmam ad fidem regis tenuit; caſtra de Dalſwynton et Karlaverok de manibus adverſariorum vi et virtute cepit et ad ſolum proſtravit, et ſe propterea gratum et amatum regi ſemper exhibebat.

Circa idem tempus rex David, dimiſſis in Anglia certis obſidibus, ad Scotiam eſt roverſus, cum ſuis proceribus et regni ſtatibus de redemtione ſua tractaturus: qui nihil ad libitum proficiens, ad Angliam abſque mora, remiſſis obſidibus, properavit. Poſt cujus de regno abſceſſum, Johannes Stewart filius gardiani, dominus de Kyle, et poſtea comes de Carrik, noviſſimè autem rex Scotiæ, Robertus tertius vocatus, collegit exercitum, et in Anandirdale tamdiu moratus eſt, quouſque totam gentem illius ad fidem et pacem domini noſtri regis firmam fecit, et eidem fidelitatem præſtare procuravit.

CAP. XVI.

De bello de Poicteris, et captione regis Franciæ Johannis.

ANNO Domini milleſimo trecenteſimo quinquageſimo ſexto rex Franciæ, Johannes nomine, audiens Eadwardum IV. filium et heredem regni Angliæ ac principem Walliæ, in manu forti ac robuſta fines regni ſui hoſtiliter intrâſſe, ad ipſum debellandum, ac totam terram Galliæ ſuo patriſque ſui imperio ſubjugandum; collegit ex omni

† Ad recordationem piæ matris Mariæ, *MS. Cup.* * Ventus vehemens, fragor rabidus et tempeſtas valida, in vindictam præmiſſorum experti ſunt, *ibid.* ‡ Laudem Virginis et gloriam celſi tonantis:

"Gloria magna Patri ſemper ſit, gloria Nato,
"Cum Sancto Spiritu: gloria magna Patri." *Idid.*

parte

parte regni ſui, regionibuſque aliis quæ ſuæ ditioni ſubjacebant, exercitum copioſum. Ad quem gratis venit nobilis et potens Willelmus de Douglas, dominus, et poſtea comes ejuſdem, natione Scotus, præfato regi Franciæ auxilium impenſurus, multos de Scotia viribus electos, ac bello doctiſſimos, ſecum ducens ad reſiſtendum præſumptioni principis Walliæ. Quem * Willelmum idem rex, in expeditione poſitus, cinxit cingulo militari. Interea prædictus rex cum ſuis præfatum principem, cum ſibi adhærentibus patriam ſuam deprædantem, per diverſa loca inſecutus eſt, quouſque ad Poicteris deveniret: qui, fixis ibidem tentoriis, adverſarios ex adverſo poſitos, ne fugerent, obſervans, aliquamdiu morabatur. Tandem prænominatus princeps cum ſuis, qui, reſpectu Francigenarum, pauciſſimi erant, in arcto poſitus, ac deſperans ſe poſſe evadere, necnon multitudinem partis adverſæ pertimeſcens, primo cum eiſdem Gallicis, qui in aciebus ſuis ſtabant, congredi apertè non audebant: ſed excogitatâ cautelâ, ac ingenio ſubtili, ut illis ab invicem ſepararent, per aliam viam prope illos ſe finxerunt velle reverti in regionem ſuam. Quod cùm Francigenæ comperiſſent, et eos fugere arbitrantes, diviſi ſunt per cuneos, ut unuſquiſque de ſpoliis Anglicorum ac præda ſaltem modicum quid acciperet, æſtimantes eos, quaſi culicem unum, deglutire. Sed, proh dolor! ipſis diviſis ad Anglicos feſtinantibus patuit perditio et confuſio magna. Nam mariſcallus Franciæ comes de Claro-monte, cum multis de melioribus regni, putans ſe fortiter facturum per ſepes et vineas, quæ ibidem plures erant, ad Anglicos ardenter venire deſiderans, cum omnibus ſe ſequentibus per ſagittarios, et alios artis bellicæ diros inſultus, in invio et in via devicti occubuerunt. Quo facto, ultra quam credi poteſt Angli exhilarati, ad locum certaminis futuri alacriter et intrepidè, ubi rex Franciæ cum ſuis ſtetit immobilis, properârunt. Ubi ſtatim commiſſo inter partes gravi bello, in menſe Septembri, primogenito regis cum omnibus aliis ab ipſo fugientibus, in campo ſolus rex remanſit cum parvulo filio ſuo Philippo; qui, quia ibidem gladium evaginavit, ſemper poſtea à Gallis *Philip Hardy* dictus eſt. Rex ſine mora ab hoſtibus comprehenſus, ac regalibus ſpoliatus, paulo poſt ad regem Angliæ eſt tranſmiſſus, principe Walliæ cum ſuis uſque ſequens Paſcha in Francia debacchantibus, et ubique regnum depopulantibus. Commilitones verò et homines prædicti domini de Douglas, prævidentes in prælio quod futurum erat, de medio pugnæ dominum ſuum rapientes, ſecum inde invitum abduxerunt; pluribus de melioribus ſuis in bello interemptis, aliiſque captis et redemptis. Captus etiam fuit ibidem Archibaldus de Douglas, filius nobiliſſimi domini Jacobi, qui cum corde inclitiſſimi regis Roberti Bruce à Paganis extinctus eſt †; qui poſtea fuit dominus Galweiæ, et comes de Douglas ‡; et ſubtiliter de manibus inimicorum liberatus.

* Quem idem rex, cum multis aliis, ante congreſſum pugnæ cingulo militari et ordine honorabiliter ſublimavit, *edit. H.* † Hic Archibaldus dicebatur Grym, *MS. Cupr.*

‡ Conſtans in geſtis, et firmus in promiſſis, gnarus et prudens, conquæſtor et opulentus; qui ſubtiliter, &c. *ibid.*

CAP. XVII.

De liberatione Archibaldi de Douglas, et de Blak Mononday.

CUM igitur inter ceteros dictus Archibaldus, captus in manibus Anglicorum, nobili armaturâ ceteris Scotis concaptivis præfulgeret, et tanquam magnus dominus propterea reputaretur; cùm ſerò die belli debuit ab Anglis ſpoliari, affuit etiam ibi dominus Willelmus Ramſay de Colluthi miles: qui, quaſi indignanter intuens Archibaldum, finxit ſe furiâ agitatum: quem indignabundè vocavit, dicens; O maledicte et homicida damnande, unde ex parte Diaboli provenit tibi armaturis domini tui tam ſuperbè inſigniri? Accede huc, et abſtrahe botas meas. Qui, tanquam tremulus et perterritus, flexis genibus unam de botis pede eripuit; quam manibus miles apprehendens, egregie miniſtratorem cum ipſa caſtigavit. At Angli qui circumſtabant, putantes militem amentem, concitò intervenerunt, et à cædibus Archibaldum defenderunt, dicentes, quòd percuſſus, tam nobiliter armatus, generoſus erat et dominus. Nequaquam, ait alter, lixa eſt et ribaldus, qui dominum ſuum ficariè, non dubito, interfecit. Vade, inquit, furcifer ad campum, et inquire dominum tuum, meum conſanguineum, et cùm inveneris eum, renuncia mihi, ut ſaltem cadaver exanime decentiori commendem ſepelitioni. Quid ultra morer? redemit eum ibi pretio quadraginta ſolidorum, et egregie colophizatum avolare coëgit. At ille patienter ictus ſuſtinuit, et ſic prudenter manus æmulorum, quos ante ſæpiùs infeſtavit, evaſit. At princeps Walliæ ob prædictam victoriam de Poicteris lætior effectus, peremptorum ſpoliis Francorum Anglos ditat, ditatos in turmas recolligit, et recollectos per provincias Franciæ, prædando et depopulando, tranſmittit; affectans ſic Gallias ſibi penitus ſubjugare. Suppoſito igitur civitatibus et urbibus igne ipſas incendit, agros depopulatur, ſtragem miſerandam, tam urbanis quàm ruſticis, civibus et plebanis, eccleſiaſticis et ſecularibus, ſine diſcretione, infert, intendens totam Galliam ſuæ ditioni et regibus Anglorum perpetuè ſubjugare.

Ac dum igitur tali clade plures provincias Franciæ affeciſſet, in die Sanctæ Paraſceves pervenit ad quandam villam, quæ Pune de Pane nuncupatur, ubi celebre cœnobium fuiſſe dicitur; cujus quidem monachi, cum ceteris villæ preſbyteris, eccleſiaſticis induti, omnes in eccleſia monaſteriali convenerunt, cum cruce erecta, reliquias Sanctorum nudis ferentes pedibus, miſericordiam principis, ob reverentiam illius hanc Paraſceven patientis, pro ſalute populi civitatis et indemnitate cœnobii ſuppliciter implorаturi. Mox, ut præſentiam ipſius habuere, flexis genibus, omnes eum in communi deprecati ſunt, ut pietatem ſuper contritione populi exhiberet, et prædationi bonorum monaſterii parceret: qui ſtatim victus pietate petitioni eorum decrevit acquieſcere: ſed conſilio virorum Belial, *Waunt de Baner*, conclamantium devictus, nec ſacris diſtulit loco, tempori, vel religioni; ſed propter ſuperveniens ſacroſanctum feſtum Paſchæ in ipſo monaſterio, cum proceribus ſuis et eorum equis, ſeſe recepit, exercitu in campeſtribus et in villa hinc inde collocato. Et ecce, adveſperaſcente die Paſchæ, cùm

in

in craſtino ſummo mane ad Angliam propoſuiſſent ſe transferre, ſubductis atris nubibus, aër ſubitò immutatur; et è regione Aquilonali ventus urens, cum imbribus gelidis, et pruinoſis ſtillicidiis, aſperrimis, immixtis grandinibus, juxta exercitum Anglorum ſpiritus diſperſit procellarum, ut quotquot extra domus conſtituti per algores et frigora taliter circumplexi ſunt et viribus deſtituti, quòd, deficiente calore naturali, membra eorum gelida contracta, ſive conſtricta, necnon inſenſibilia redderentur: ita ut plerique eorum, equis interfectis, intralibus inteſtinis, ſive viſceribus, extractis, infra abdita eorum hoſpitium quærerent et aſylum. Alii nervis contracti, alii algentes et tumidi, alii terris congelati, et, ut breviter dicam, tempeſtatis impetu decocti et contacti, die lunæ de mane quaſi omnes extra domorum ambitum inventi ſuffocati et extincti ſunt. Quod videns princeps Walliæ, in craſtino convocato ſuo conſilio dixit; O mali mei conſiliarii morte digni! cùm ego pridie, compatiens precibus religioſorum, volui cum eis mitiùs agere, vos ſpoliis indulgentes clamaſtis *Waunt de Baner!* nunc autem dolenter vobis reſpondeo, *O rere de Baner!* Et cum hoc feſtinanter qui ſuperfuerunt de multis millibus centeni pauci per aliam viam, quàm intenderunt, reverſi ſunt in regionem ſuam. Propter hoc hucuſque in Anglia feria ſecunda Paſchæ *Blak-mononday* vulgariter nuncupatur.

CAP. XVIII.

De liberatione regis David, et redemptione de Anglia.

HIS adhuc diebus rex David in Anglia detinebatur captivus. Tandem, de conſilio regis Angliæ, miſſus eſt ad caſtrum de Berwico, concomitante eum comite de Northamptona. Ad quem proceres et prælati Scotiæ venerunt, de liberatione ejus tractaturi cum dicto comite et certis commiſſariis poteſtatem ad hoc habentibus: qui ſuper materia ſubjecta, per quatuor vel quinque dies continuos conferentes, nihil profecerunt, ſed, infecto negotio, regem David Londonias revocaverunt. Tandem anno MCCCLVII. circa feſtum beati Michaëlis, rex David liberatur à carcere; qui per undecim annos in captivitate fuit, in diverſis Angliæ locis arctiùs cuſtoditus, conceſſis pro redemptione ſua centum millibus marcarum Sterlingorum, ad terminos decem annorum immediatè ſequentium, ſine fraude, perſolvendarum. Interim et pro tanto tempore treugis inter regna inviolabiliter obſervandis, ſine aliquo alio contractu, homagio, regni demembratione ſeu ſubjectione, vel exactione aliquali. Ad cujus ſummæ pecuniæ ſecuritatem regno Angliæ integraliter perſolvendæ, dati ſunt obſides filii et heredes omnium penè nobilium ac procerum regni Scotiæ in manus Anglicorum, necnon comites et barones in propriis perſonis quamplures; qui pro domino ſuo in Anglia diu obſides remanſerunt. Sed et dictus rex David, antequam liberatur, obligatione et promiſſione coactus fuit quæque caſtra et munitiones infra Niddiſdale proſternere, quæ illis diebus maxima Anglicis damna intulerunt. Qui quidem rex juxta promiſſum, cùm ad propria rediſſet, caſtra ſciz. de Dalſwynton, Drumfres, Morton et Duriſdere, cum aliis novem, ad terram proſtravit; quæ adhuc remanent inædificata pro majori parte.

Eodem

Eodem anno obiit domina Chriſtiana de Bruce ſoror regis Roberti, et uxor quondam incliti Andreæ de Moravia, boni cuſtodis Scotiæ, nobiliſſima matrona in ſenectute bona; ſepultaque eſt in Dunfermelyn cum parentibus et progenitoribus ſuis, quorum locus proprius eſt ſepulturæ, An. Dom. MCCCLVII. domina Johanna de Turribus, regina Scotiæ, et Eadwardi de Windeſour regis Angliæ ſoror; petitâ licentiâ à David rege ſponſo ſuo Angliam petiit, et, ibidem aliquanto tempore commorata, obiit peregrina. Iſto anno, ſciz. MCCCLVII. ſolemniſſimam propoſitionem fecit Armachanus primas Hiberniæ coram domino Papa, contra defectus fratrum mendicantium, et quòd voluntaria mendicitas contrariatur legi divinæ; et de confeſſione et ſepultura, &c. Iſtud propoſuit viij. die Novembris.

CAP. XIX.

De quodam dominatu ruſticorum in Francia contra nobiles.

EOdem anno conſurgentes ruſtici ignobiles, et degeneres viri, fere de omni parte regni Franciæ, juxta quod intra ſe, coadunato ſecretiori conſilio, contrectabant, ſibi ducem, principem et preceptorem, moribus et natu ceteris ruſticiorem, *Jak Bonhomme* nomine, eligentes, cui in omnibus ut obedirent, de more bellantium, ſtatuerunt: qui graviter et injurioſè ferentes regem Franciæ ſolum, apud bellum de Poicteris inanem dimiſſum, nullo generoſo ſecum in campo comitante cùm caperetur, ultionem ex eis, eâ ratione, et ne regnarent ſuper eos, animo præſumptuoſo expetere volentes, omnes ingenuos et generoſo ſtemmate natos debellantes atrociter peremerunt. Ubicunque etiam in oppidis, caſtris, maneriis vel villis, quibus eorum rabies approximabat, quoſcunque titulo clari ſanguinis et gentilitatis clamantes repererant, crudeliter morti nefariæ tradiderunt; dominari avidè anhelantes, quibus competiit ſervitus à natura. In tantum enim tunc excreverat ruſticorum malitia, ut ſpecioſiores et elegantiores mulierum et dominarum nobilium eligentes, in conſpectu maritorum turpi lenocinio fœdarent: et, quod dictu horrendum eſt, poſtea abſciſſis brachiis, naſis, auribus, vel articulis, membratim eas gladiis decerperent, vel in fluminibus ſaccatas dimergerent, aut aliàs inhoneſtioribus modis morti darent. Juvenes etiam et virgines, ſenes, et infantulos in cunis vagientes, in ſummitatibus lancearum, ad ſpectaculum ingenuorum transfixos, ætati non parcentes, nec miſereri ſcientes ab hac luce fecerant alienos. Inſuper alienigenas viatores, et de provincia in provinciam gradientes, quoſcunque capere poterant, abire non ſinebant, niſi priùs præſtito juramento, quòd generoſitatis origine caruiſſent. Sic ipſis inſatiabiliter proborum mortem et interitum ſitientibus, miſericors et miſerator Dominus diſpenſative de remedio providebat: qui ſæpe, cùm iratus fuerit homo, miſeretur Deus, ſuſcitans ſpiritum unius nobilis viri ex regali ſtirpe progeniti, qui, adjunctis ſibi quibuſdam de nobilioribus et fortioribus, irruit in degeneres, et, animoſitate reſumptâ, eos inſecutus eſt, perdens et trucidans quoſcunque ex eis invenire poterat, nemine ex eis parcens, ſed ſine miſericordia occidens, quouſque univerſos de toto regno

Franciæ,

Franciæ, ſicuti male egerant et meruerant, penitus aboleret; ipſumque ducem, principem prænominatum, apprehendens, cum tripode ferreo, ad inſtar urentis flammæ calefacto, ejus funeſtum caput in modum coronæ circumcinxit; ſicque exuſtus, vitæ finem miſerabiliter dedit, vertens *Jak Bonum* in *Kai Malum*.

CAP. XX.

De interfectione nobilis Rogeri de Kirkpatrick.

ANNO ſupradicto, circa feſtum nativitatis B. Johannis Baptiſtæ, occiſus eſt nobilis armiger Rogerus de Kirkpatrick, apud caſtrum de Karlaverock, per dominum Jacobum de Lindeſay militem, ſecum eâ nocte hoſpitatum; et poſt cœnam, vino hauſto in lætitia, et hinc inde valefacto, Rogero in lecto collocato, nil mali præmeditante, et oſtio cubilis clauſo, neſcitur quo inſtinctu, dictus miles cereis ardentibus pulſavit, thalamumque intravit, et, ſine plure, Rogerum lectulo inhumaniter jugulavit. Qui quidem Jacobus, de milite tyrannus effectus, poſt illud injurioſum commiſſum, fugere et ſe ſalvare pro meliore deliberans, à dicto caſtro nocte ſeceſſit, et per totam illam noctem teterrimam, miniſter noctis, equitando aufugit, ſperans ſe longa terrarum ſpatia impunè peragrâſſe; ſed à caſtro ſupradicto per tria milliaria in craſtino, ſole lucente, vix diſtabat. Nec mora, ab interfecti amicis regis David conſpectui præſentatur per ſponſam dicti Rogeri interfecti, et à rege legis exigitur implementum: ſtatimque per dominum regem ordinatâ aſſiſâ, per quam proximi ſanguinis reus inventus, apud Drumfres ſententiâ punitur capitali. Propter quod notandum eſt, quòd præmiſſi Jacobus et Rogerus, primogeniti ſive heredes fuerunt illorum qui cum Roberto Bruce complices fuerunt internecionis Johannis le Red Cumyn, in eccleſia fratrum de Drumfres. Et ſic hîc completur quod in ſpiritu audivit ſenior frater in choro fratrum de Dumfres, ſequente nocte interfectionis ejuſdem domini Johannis Cumyn, cùm audiret vocem vindictam imprecantem: cui reſponſum fuit; Modicum exſpecta, quia transfertur ad heredes ut ſuprà, lib. XII. cap. vij. Pro iſto etiam vide lib. XII. cap. xix. viz. quomodo filii puniuntur pro commiſſis patrum, et ut, in hujuſmodi factis, non mireris judicium Dei, quod eſt abyſſus multa; audi quod ſcriptum eſt libro quæſtionum dominæ Brigittæ; cui dicit Dominus, quod multoties contingit quòd filii imitantur peccata parentum: et ideo quandoque puniuntur peccata patrum in filiis; non quia peccata patrum in ipſis impunita erunt, licet pœnæ peccatorum transferantur ad tempus, ſed unuſquiſque in peccato ſuo morietur et punietur. Quandoque etiam peccata, ſicut ſcriptum eſt, viſitantur in quartam generationem; quia Divina juſtitia mea eſt, ut cùm filii nec pro ſe, nec pro patribus, ſtudeant mitigare iram meam, puniantur cum patribus. Deus etiam, propter unius perſonæ malitiam, aliquando flagellat unam totam multitudinem. Exemplum, GENES. XX. quòd tota domus Abimelech ſterilis facta fuit, propter demeritum ejus: et totus populus Iſraël, pro peccato Achor furis, punitus fuit, JOSUÆ VII. et XXII. Ex quo patet, quòd Deus aliquando punit innocuos, pro peccato alterius, temporaliter, ſed non æternaliter.

CAP. XXI.

De inundatione in partibus Laudoniæ, et nunciis regis miſſis ad Papam pro impetratione decimæ.

ANNO Domini milleſimo trecenteſimo quinquageſimo octavo, in vigilia nativitatis noſtræ Dominæ, tanta ac talis inundatio pluviæ et aquæ in partibus Laudoniæ ſubito erupit, qualis à diebus Noë uſque in præſens non apparuit; in tantum ut aquæ intumeſcentes alveos, ripas ac receptacula ſua tranſgredientes, in agros, villas et urbes ac monaſteria ſe diffunderent, impetuque ſuo muros lapideos, pontes fortiſſimos, necnon vicos ac domos firmiſſimas funditùs everterent et delerent: nihilominus quercus excelſas et arbores robuſtas, prope flumina ſituatas, alluvione aquæ à radice evulſas, uſque ad maria confinia vehemens unda protraxit; ſegetes et ſtipula abſciſſas, et in loco ſectionis ad ſiccandum expoſitas, de locis vicinis ac remotis ab uſibus hominum damnabiliter abſtraxit ac delevit.

Hoc etiam contigit in Hadingtona, quòd aqua intumeſcens totum quaſi vicum de Nungate, ripis valde ſupereminentem, delevit et ſolo coæquavit; ubi quidam vir, Johannes Birley nomine, aquâ domum ejus invadente, et nimium prævalente, ſuperiorem partem tecturæ ejus aſcendens, et ſummitati domûs ſuæ lignis firmiter trabeatæ et laqueatæ innixus, tranſvectus fuit uſque ad pontem monialium de Hadington. Cui vir domum equitans et approximans, et in ejuſdem cacumen ſecedens, ac epiſtylium fortiter apprehendens *, ſe ſalvavit, cato, cane et gallo ſecum individuè concomitantibus †. A quo, cùm aquæ decreſcerent, quæſitum fuerat quomodo ſe haberet, reſpondit ut ſequitur, quod huc uſque inibi proverbialiter frequentatur, viz. *Now row we merely, quoth John Birley.* Sed quia hæc præmiſimus pro mirabili, audite quod ibi accidit miraculi. Nam, procellâ illâ undivagâ ſuccreſcente, et alvei terminos prætergrediente, quædam monialis ſimplicitate quadam fatua, ſed mente, quamvis non ſecundùm ſcientiam, devota, cùm aqua minitaretur ſubmerſionem cœnobii, aſſumptâ de eccleſia virginis Mariæ imagine, pernici gradu cucurrit ad dimergendum eam, niſi Maria à profluvio defenderet abbatiam. Cùm igitur aqua officinarum fores attingeret, monialis imaginem elevans ad jactandum; et ecce in momento aqua curſum retorquens fugantem aufugit, et, mirabile dictu, nuſquam reſtiterat, donec ad conſuetum terminum refluxiſſet.

Anno ſequenti miſit rex David ambaſſatores ſuos, viz. dominum Robertum de Erſkin militem, et Normannum Leſly armigerum, cum quibuſdam aliis viris induſtribus, ad Apoſtolicam ſedem ad impetrandam decimam omnium fructuum eccleſiaſticorum et reddituum totius eccleſiæ Scoticanæ, in ſubſidium ſolutionis redemptionis ſuæ. Quam quidem petitionem ſummus Pontifex per tres annos tantùm, immediate ſequentes, benignè conceſſit: ita tamen ut à clero regni, pro totali redemptione ſua, non exigeret vel amplius peteret ab eodem. Nuncii verò liberaliter expediti cum bullis papalibus, clero Scotiæ ſuper eodem negotio deſtinatis, læti ad propria redierunt.

* Sic à rapaci gurgite, *MS. Cupr.* † Univerſis domus ſuæ aliis ſubmerſis animantibus, *addit idem.*

CAP.

CAP. XXII.

De tranſitu regis Angliæ in Franciam, et tractatu ſuper deliberatione regis Franciæ.

ANNO ſupradicto Eadwardus Windeſour rex Angliæ, retento apud eum rege Franciæ, circa feſtum B. Michaëlis, cum omni gloria potentiæ ſuæ, ac totius Angliæ mira multitudine, regnum Franciæ crudeliter intravit: qui viz. Anglici faciem terræ, quaſi locuſtæ, operuerunt, nulli provinciæ vel loco parcentes: monaſteria etiam eximia*, et alia religionis diverſa loca inſignia, deletis cunctis eorum ſubſtantiis ſuper terram, ad interminabilem redigerunt vaſtitatem. Contra quos nullus de regno Franciæ caput levare præſumebat, ſeu aliqualiter repugnare; ſed inoffenſo pede in urbes et oppida, civitates et villas, ſtrages innumeras exercebant: et ſic plagâ nimis magnâ factâ in populo Dei, uſque ad civitatem Pariſienſem nobiliſſimam hoſtiliter † pervenerunt. At illi de civitate, ſibi in futuris præcaventes, cum eodem rege tractabant de pace et ſui regis liberatione. Verùm rex Angliæ prædictus, prævidens maximum commodum ſibi et regno ſuo ex contractu eodem perpetuò proventurum, utiliori conſilio acquieſcens, receſſit ab eis, Angliam petens, ſanus rediit ſine damno, ditatus prædis et ſpoliis infinitis.

Anno igitur ſequente, Domini MCCCLX. modico temporis curſu tranſacto à reditu regis Angliæ de Francia, quidam cardinalis, et omnes natu majores, ac totius Galliæ nobiliores, conſilioque concordes, tractatum et regis ſui negotium executioni debitæ cupientes demandare, miſerunt legatos ſuos ac nuncios ſolennes prædicto regi Angliæ, pro ſui principis liberatione. Qui videlicet rex, et omnes de conſilio ſuo, vias poſſibiles et conventiones utiliſſimas pro ſuo honore, ex parte altera ſibi oblatas providè decernentes, habito priùs inter ipſos diligenti tractatu deliberationeque maturâ, eiſdem internunciis, plenam commiſſionem habentibus, aſſenſum præbere decreverunt, et regem ipſorum, datis obſidibus, ad propria redire permiſerunt: non tamen ſine maxima regni Franciæ demembratione, ac bonorum omnium confuſione. Nam pro ſua redemptione de terrris ac dominiis ſubſcriptis, cum multis aliis ‡, regem Angliæ ſuoſque ſucceſſores inveſtivit et ſaiſivit, ac de regno Franciæ perpetuò alienavit, viz. totam Gaſconiam cum pertintiis liberè et abſolutè ſibi et heredibus ſuis conceſſit, ac de fidelitate et homagio, priùs ſibi debitis, penitùs abſolvit. Dedit etiam eidem ducatum de Guyene, id eſt Aquitaniæ, dominium de Berri, id eſt Bituricenſe, et oppida de Cales et Gynez, cum multis aliis terris et poſſeſſionibus: inſuper aurum et argentum multùm nimis, ac theſauros infinitos de ærario regis Franciæ, ſicut de ſumma concordatum eſt, extraxit, ſcilicet tres miliones, eidem largitus eſt. Veruntamen omne jus quod habuit rex Angliæ, ſuper quo guerrabat in regno Franciæ, pro ſe et heredibus ſuis imperpetuum reſignavit; ac armis, quibus priùs uſus eſt, et quæ ſibi, ut verus ac legitimus heres et rex Galliæ de facto aſſumebat, cum dedecore renunciavit.

* Et alia diverſi ordinis et religionis loca ſolemnia, necnon ſanctimonialium abbatias, deletis, &c. *edit. H.* † Cum lætitia non modica, *addit eadem.* ‡ Quas ſcriptor præſentis chronicæ ſcire non potuit, *addit eadem.*

CAP.

CAP. XXIII.

De eodem.

HIS igitur ſic appunctuatis, et obſidibus in Anglia conſiſtentibus, rex Franciæ parliamentum ſuum convocavit. Ubi proceribus ſuis de infortunio ſuo, et deſtructione domûs Franciæ, lamentabiliter querelam peroravit. Inter cetera talia dicens: " O Francigenæ, commilitones " intimi, olim cunctis nationibus ut victorioſi prædicabiles, quonam " devenit fortitudo veſtra! quò terror potentiæ veſtræ! cùm ecce jam " vincimur ab illis, qui nobis olim colla ſubjectionis ſponte dedere, " qui nobiſcum pacem cupiere! Ubi ſunt, O Francia! priſci patroni " tui, fortes et armipotentes athletæ, propugnatores et pugiles, veluti " Rotholandus et Oliverus, Scotigillemore et Eugelius, Gaiferus et " Goniboldus, Orgerus et Garrinus?" Et cum lacrimoſis ſingultibus imber ſtilliferus genas regias madidârunt. Ad continentiam igitur regis, proceres gemibundi et ſilentio longo omnes ſoporati, quidam emeritus miles ſic loqui exorſus eſt: " O princeps inclite ducum! parlbus, pri- " moribus et proceribus reghi tui objurgando, nequaquam impingas; " nec movearis quòd ſervus tuus loquatur, et quod in mente retinet. " Cauſaris enim et accuſas degenerositatem athletarum Francigenarum, " quærendo, ubi ſint incliti bellatores et pugiles, ut olim Rotholandus, " &c. Et ego dico tibi, oſtendas mihi Carolum, et adducam tibi Ro- " tholandum et Oliverum." Expoſitis igitur ibi demembratione regni, et conventione ſcripti inter regna, ut præmittitur, confectis, exoriuntur novæ difficultates circa contractûs obſervantias; et abhinc, remiſſis regi Angliæ de modo aſſecurantiæ novis expoſitionum ‡ quæſtionibus, tractatus priſci retractantur, et rex Franciæ Angliam remittitur, et obſides abſolvuntur. Et ecce paulo poſt, Deo diſponente, rex Franciæ captivus Angliæ moritur. Et ſic totum negotium infectum redditur et imperfectum †.

CAP. XXIV.

De ſecunda mortalitate.

ANNO Domini milleſimo trecenteſimo ſexageſimo primo, quidam frater ordinis Minorum, Johannes nomine, in curia Romana exiſtens, ſanctiſſimo patri noſtro Innocentio quinto vices Apoſtolicas gerenti, de tribulationibus et miſeriis multis in univerſum mundum, propter peccata hominum, infra novem annos continue futuros, ſuperventuris prophetavit: qui ob hoc incarceratur, donec annorum numerus compleretur, et ipſius prophetiæ effectus et exitus videretur. Nam in regno Scotiæ evenit ut prædixit; quia ſecunda mortalitas permaxima incœpit à feſto purificationis noſtræ Dominæ, et uſque ad natale Domini immediatè ſequens continuavit; quæ vires et virulentias ſuas, tam in proceribus et magnatibus, quàm in popularibus et aliis mediocribus perſonis, in tantum exercuit, ut, humano judicio, fere tertia pars

*Propoſitionum, *MS. Capr.* † *Addit idem MS.* Dominia tamen adhuc per fas vel nefas neſcio, Deus ſcit, remanent cum Anglis in poſſeſſione.

humani

humani generis, ex prima peſtilentia remanentis, debitum naturæ reddere cogeretur, eodem modo et eâdem formâ, in his qui infirmantur, ut priùs curſum habens. Rex autem David, habens in comitatu ſuo plures de melioribus et nobilioribus regni, ſeceſſit in partes aquilonales ejuſdem regni, tum propter horribiles viſus et auditus multitudinis infirmorum et mortuorum, tum propter infectionem aëris et impuritatem, tum propter timorem et metum illius peſtilentiæ, tunc in partibus auſtralibus regni ingruentis; quam devitare ſalubriter propoſuit. Qui, tempore quo ibidem morabatur, ob quandam diſcordiam, motam inter ipſum et Thomam comitem de Mar, caſtrum de Kildromy obſeſſit. Quo in brevi accepto, ipſum per quendam militem ſuum dominum Walterum Monyhe et Ingeramum de Winton cuſtodiri pro tempore demandavit. Comes verò, juxta beneplacitum regis, de regno receſſit, ſed poſt condictum tempus repatriavit, et in gratiam regis receptus eſt, reſtitutis ſibi caſtro et poſſeſſionibus. Hoc anno tenuit rex natalis feſtum celebre in monaſterio de Kinloſs. Quo etiam anno in ipſa peſtilentia mortuus eſt Thomas Seneſcalli comes Anguſiæ, in caſtro de Dunbretan; qui per regem ibidem incarceratus fuit ante per annum, ob inquietudines et injurioſos actus per ipſum communitati perpetratos. Et quia, relicto ſeniorum et prudentum conſilio, effrenatorum luſibus ſe jungebat, et ad petulantium complacita ſe irrigebat: tum etiam quia ſuſpectus habebatur de conſenſu et ſcientia interfectionis Catharinæ de Mortuo-mari Wallenſis, quam in comitiva regis venientis de Anglia, homines ſui viz. Richardus Holly et Deuar nequiter occiderunt: quam, præ ceteris mulieribus, rex prætulit in amore. Propter quam nimium regina ſua neglecta, et complexa concubina. Adulterii igitur magnitudo et periculum patet ex tribus; viz. ex legis antiquæ gravi punitione, prolis perverſæ procreatione, datæ fidei violatione. De primo LEVIT. XX. " Si mœchatus fuerit aliquis " cum uxore alterius, et adulterium perpetraverit cum uxore proximi, " morte moriantur mœchus et adultera." Secundùm etiam leges civiles pro hujuſmodi delicto non recipitur aliqua redemptio: quam graviter etiam punitus fuit rex ſanctus David pro hoc vitio. Dicit Dominus, " Non recedet, inquit, gladius de domo tua uſque in ſempiternum, " eo quòd deſpexeris me, et tuleris uxorem Uriæ," II REGUM XII. Secundò, patet hujus criminis periculum ex prolis perverſæ procreatione; quæ ſolet eſſe frequenter mala et inhoneſta, tum propter parentum imitationem, tum propter caſtigationis defectum: quia tales pueri vel dimittuntur cum matre, quæ non caſtigat filium, vel cum extraneis perſonis, qui de moribus pueri nihil curant: unde fiunt inſolentes, ingrati, degeneres et vitioſi. Et hoc eſt quod Anglicis comminatur Bonifacius martyr, et ponitur in canone LVI. *Si gens Anglorum.* Pro hoc vide ſuprà libro III. cap. lvij. Tertiò, patet hujus criminis magnitudo ex datæ fidei violatione. Violatur enim fides data conjugi in ſacramento conjugii. Unde mulier adultera peccat in Deum, violando matrimonii ſacramentum. Peccat in virum dupliciter, viz. fidem ſibi frangendo, et falſos heredes ſubſtituendo. Peccat etiam in prolem, quam damnificat, reddens eam ignobilem et inhabilem ad eccleſiaſticam dignitatem. Peccat in proximum, quem admittit: et frequenter de adulterio naſci-

tur occiſio et membrorum mutilatio. Unde ſanctus David, cùm in adulterium cecidiſſet, præcepit fideliſſimum militem ſuum occidi Uriam. Propter quod in Eccleſiaſtico ſcriptum eſt: "Omnis mulier re-"linquens virum ſuum peccabit, ſtatuens heredem ex alieno matri-"monio." Unde, et præter præmiſſa, ſic ſcribit veridicus poëta:

Ex iſtis pœnis plectetur quiſquis adulter,
Aut erit hic pauper, aliàs ſubito morietur:
Aut erit infamis, per quod ſit carcere vinctus.
Aut aliquod membrum caſu vel vulnere perdet.
Hoc lex condemnat, prohibet Deus, hoc quoque punit.

Et ſi iſtud vitium quemcunque ſimplicem dedecoret, quia infamis eſt; quantum putas dedeceat regem! Dicit enim VEGETIUS; "Quòd "omnis principatus habet ſuum ordinem, et exceſſus illius parat ty-"rannidem." Nunc ad propoſitum redeamus.

CAP. XXV.

Quomodo rex David propoſuit ſtatibus de ſucceſſione.

EOdem etiam anno, præmiſſâ mortalitate in Anglia nimiùm prævalente, mortui ſunt quidam de melioribus et natu Scotiæ nobilioribus, obſides pro rege ſuo David, viz. Johannes de Suthirland, unicus filius comitis ejuſdem, nepos regis, apud Lincolniam, circa feſtum nativitatis noſtræ Dominæ; et dominus Thomas comes de Moravia in civitate Londonienſi, circa feſtum Sancti Michaëlis; et alii quamplures nobiles et proceres, quorum mors regno Scotiæ lugubris exſtitit et damnoſa. Eodem anno mortuus eſt Johannes de Eglemore epiſcopus Moravienſis, qui eccleſiam ſibi creditam, tempore quo ſtetit, laudabiliter rexit: cui ſucceſſit magiſter Alexander Bur, doctor decretorum, vir egregiæ ſcientiæ, canonicus ejuſdem eccleſiæ, canonicè electus.

Anno Dom. milleſimo treceſimo ſexageſimo tertio, rex David parliamentum in Scona convocavit; ubi tribus ſtatibus proponendo ſuggeſſit, ut, poſt mortem ejus, unum de filiis regis Angliæ aſſumerent in regem, quàm multipliciter et ſingulariter recommiſſo per eundem Leonello filio prædicti regis; perſuadendo exinde perpetuam pacem regno poſſe pervenire, cùm et ipſe libere regnum protegeret, et rex Angliæ, pater ejus, pro ſe et heredibus ſuis, à modo et in ſempiternum nunquam jus aut clamium ad ipſum regnum, quibuſcunque titulo vendicaret vel colore. Cui breviter, et ſine ulteriori deliberatione aut retractione, reſponſum fuit per univerſaliter ſingulos et ſingulariter univerſos de tribus ſtatibus, "NUNQUAM SE VELLE CONSENTIRE ANGLICUM "SUPER SE REGNARE; arguentes improvidam regis propoſitionem: "attento quòd heredes regni apparentes virtute et ætate præeminentes "ſuperfuerunt, quibus aſtricti erant tres ſtatus, virtute talliarum, in-"terpoſitis maximis juramentis, fideliter adhærere." Propter quod rex, ut apparuit commotus, divertit ſe ad alia.

Hujuſmodi igitur propoſitio ſeminarium et fomitem cujuſdam ſiniſtræ zelotypiæ erga regem in liegiis generavit; quamquam rex, ut præſumendum eſt, nunquam in mente habuit hujuſmodi factum anormalum

malum velle ad effectum proceſſiſſe. Fortè enim *, antequam de manibus inimicorum Anglorum evaſerat, talia proponere promiſerat; et quantum in ipſo fuerat fecit, quod debebat. Unde rex, reddendo ſingula ſingulis, promiſſum Anglis ſervavit, et de inconceſſa petitione in corde non pœnituit. Sed ſive ob hoc, ſive ob alia, magna conjuratio et ſeditio fuit in regno concepta per magnates. Nam in unam ſententiam convenerunt principes et majores adverſus regem, dominum ſuum, et inter ſe conſilium inierunt, ut ipſum ſuper ſua repetitione eorum opinioni aut flecterent, aut de regno exularent. Et ne quis illorum ab iſto propoſito reſiliret, editæ ſunt indenturæ ragmannicæ † hinc inde firmiter roboratæ. Verùm conceptam intentionem, ne dicam proditionem, ſtatim operibus demonſtrantes, in manu armata et multitudine gravi, ſe crudeliter erexerunt, ut intentum ſuum vi et metu obtinerent. Porrò regi adhærentes, qui maleficiis ſuis aſſentire nolebant, ubicunque locorum erant inventi, capiebant conjurati, captoſque carceribus mancipabant, in villas et burgos totamque in patriam hoſtiliter irruentes, et ſpolia populi dividentes inter ſe, ac mala alia damnabiliter perpetrantes, ad illum finem, ut rex toties compaſſionis gladio confoſſus, de plebeiorum miſeria condolendo, faciliùs eorum votis, ſaltem nunciis, condeſcenderet ‡.

Sed rex propriæ excellentiam poteſtatis recognoſcens, manum miſit ad fortia, eorum temeritati † obviare volens, ac ſibi præcavens in futurum, ne aliàs hujuſmodi inſolentia aliis ſuccederet in exemplum, ſi tantum attemptatum remaneret *, impunitum, et tanta ſtrages ulteriùs invaleſceret, ac reipublicæ ſtatus deficere videretur; à quatuor plagis terræ ſuos collegit fideles, in ſtipendiis illorum expoſitâ multâ pecuniâ, ut præſumptionem eorum frangeret, et conſilium diſſiparet: priùs tamen, juxta conſuetam clementiam ſuam, edicto publicè proclamato, quòd ipſi et illorum fautores ab hujuſmodi ſtultitia deſiſterent ac ſilerent. Sed ipſos in obſtinatione ſua induratos, et facta ſua defendentes, inſecuti eſt.** Et viri virtutis, mori citiùs cupientes quàm videre mala gentis ſuæ et terræ deſolationem, arma capeſcunt, et inſurgentibus viriliter obviant ex adverſo. Sed adverſarii cum rege et ſuis apertè congredi non audebant, (attendentes quod dicit SALOMON, quòd *Terror regis ſicut terror leonis: qui provocat eum peccat in animam ſuam*;) miſſâ ſibi legatione, poſtquam perficere quod inceperant non valebant, rogabant ea quæ pacis erant, ſubmittentes ſe et ſua pro ſuæ placito voluntatis. At ille, ut erat vir manſuetiſſimus, mallens ignoſcere quàm ulciſci, recepto ab eiſdem fidelitatis juramento, ne talia de cetero facere attemptarent, vel communitas ulterius majora damna pateretur, pro illo tunc ſapienti uſus conſilio, ipſis *† decrevit indulgere, quod ſine plure fecit, et ſic quaſſatio illa ceſſavit.

* Forte enim, et, ut dicitur, antequam, *MS. Cupr.* † Literæ ragmannicæ ſigillis firmiter roboratæ, *ibid.* ‡ Et exorbitantem petitionem eorum concederet, *addit idem MS.* at contra mentem primi ſcriptoris. † Temeritati contraire contendens, *ibid.* * Sub diſſimulatione tranſiret impunitum, et conſimilis ſtrages, &c. *ibid.* ** Inſecutus eſt viriliter ſimiliter ſui fideles et viri virtutis, &c. *ibid.* *† In eum malignantibus decrevit indulgere; quod ſine plure fecit, et ſic quaſſatio illa ceſſavit, *ibid.* Et ſic tribulatio illa quievit, *edit. H.*

CAP.

CAP. XXVI.

De clementia, patientia et indulgentia multum in rege commendabilibus.

MUltum mihi videtur quod rex in hoc facto eſſet commendandus, qui, tanquam legiſlator, et qui debuit et potuit tranſgreſſionem punire, attamen, miſericordiâ motus, ignoſcere præelegit. Et quamvis canones dicant, Quòd expedit reipublicæ ne crimina remaneant impunita; tamen AUGUSTINUS, recitans quomodo quidam poëta in laudem Cæſaris exſurrexit, dicit, " Longè meliùs et humaniùs, et piorum " ſenſibus accommodatiùs, in Cæſaris laudem loquutus eſt, ubi ait; " Nulla de virtutibus tuis nec mirabilior nec gratioſior miſericordiâ. " Rex enim clementiæ et miſericordiæ indulgens, de facili non poteſt " deperire: quia, ut ſcriptum eſt PROVERB. XX. *Miſericordia et ve-* " *ritas cuſtodiunt regem.*" Nam, ut dicit SENECA, lib. de Clementia, " Officium regis principaliter eſt, ut remittat. Unde dicit; Nullum " ex omnibus clementiâ magis, quàm regem, decet. Peſtifera, inquit, " vis eſt præeſſe ad nocendum: nam principum crudelitas bellum eſt, " clementia verò, in quamcunque domum introierit, eam felicem et " tranquillam præſtabit." IDEM; " Si Dii æqui et placabiles delicta " potentium non fulminibus perſequuntur, quanto æquius eſt homi- " nem, homini propoſitum, miti animo exercere imperium!" His attentis, poteſt non inconvenienter ratiocinari, quòd vindicta malevolentiæ mundialis hominis patientis injuriam, quâ ſuccenſus, non vult remittere proximo, nec ultionem committere Deo, ſed ipſemet omnino vult ſemetipſum vindicare, eſt injuſta, ſecundùm jura, tam humana, quàm divina: et ratio eſt, quia nullus bonus judex, durante offenſâ, ſimiliter nullus poteſt eſſe judex ſuiipſius: unde TULLIUS; " Nemo " fere eſt qui in ſua cauſa judex eſt, qui non ſibi ſe æquiorem (ſed et " favorabiliorem) quàm reo præbeat." Hinc Chriſtus Jacobum et Johannem increpavit durè ſatis, quando ignem de cœlo petiviſſe volebant, in ultionem injuriæ, quando Samaritani Chriſtum recipere recuſabant. In quo datur nobis intelligere, quòd non ſemper in eos qui peccaverunt in nos eſt exercenda vindicta. Ratio autem, quia in ſua injuria nemo bene judicat, patet per exemplum: quando nubes interponitur inter ſolem et oculum noſtrum, ex motu ſive tremore tanto, in nube media apparet nobis ſol tremere, et dicunt ſimplices ſolem tripudiare: et cauſa hujus deceptionis eſt tremor in medio, per quod viſus fit. Iſto modo moraliter, quando homo conſiderat injuriam illatam ſibi, durante offenſâ, ſive rancore, in ſenſualitate conſiderat juſtitiam ſuam per medium tremulum et nebuloſum, et neceſſario errat in judicando. Hæc igitur vindicta eſt nobis interdicta ſub pœna graviſſima, videlicet, " Quòd ſi non remiſerimus proximo, remiſſionem non con- " ſequemur à Deo, dicente; Serve nequam, omne debitum dimiſi " tibi, quoniam rogaſti me. Nonne ergo opportuit te miſereri con- " ſervi tui, ſicut et ego tui miſertus ſum? Et iratus Dominus ejus tra- " didit eum tortoribus, quoad uſque redderet univerſum debitum. Sic " et pater meus faciet vobis, ſi non remiſeritis unuſquiſque fratri ſuo " de cordibus veſtris." Propter enim miſericordiam factam liegiis ſuis,

poſt

poſt tam obſtinatam conſpirationem, rex ſemper, dum vixerat, allexit ſibi corda omnium regnicolarum, glutino ſummæ dilectionis inſerta. Unde quidam ſic reſcripſit:

David donavit dominus ditiſſima dona:
Amavit David, et flavit aurea zona.

CAP. XXVII.

De renovatione fidelitatis regi præſtita, et de forma juramenti.

AT ſibi rex præcavens in futurum, eodem anno apud Inchemurdach, convocatis omnibus regni optimatibus, novam ab eis fidelitatem exegit, decimo quarto die menſis Maii. Et, propter aliorum exemplum, nepotem ſuum primo, deinde reliquos jurare fecit, hujuſmodi ſub tenore:

CUNCTIS pateat evidenter, quòd ego Robertus Seneſcallus Scotiæ, comes de Strathern, decimo quarto die menſis Maii, A. D. milleſimo trecenteſimo ſexageſimo tertio, apud Inchemurdach, in præſentia venerabilium in Chriſto patrum dominorum Dei gratiâ Willelmi epiſcopi S. Andreæ, Patricii epiſcopi Brechenenſis cancellarii Scotiæ, Johannis abbatis de Dunfermelyn, magiſtri Walteri de Wardlaw archidiaconi Laudoniæ domini noſtri regis ſecretarii, magiſtri Gilberti Armeſtrang præpoſiti Sancti Andreæ, dominorum Roberti de Erſkyn camerarii Scotiæ, Archibaldi de Douglas, Roberti de Ramſay, Thomæ de Fauſide militum, Normanni de Leſly, Alexandri de Lindeſay, et plurium aliorum, corporale ſuper ſancta Dei evangelia præſtiti juramentum, quòd fidelis ero, pro toto tempore vitæ meæ, domino meo domino David, Dei gratiâ regi Scotorum illuſtri, in omnibus cauſis, motis ſeu movendis, ipſum dominum meum, et ſuos miniſtros ac fideles, quoſcunque, viz. quos ipſe dominus meus rex ſuos fideles dicere voluerit et vocare, pro totis viribus meis, contra omnes viventes, cujuſcunque conditionis ſeu ſtatûs exſtiterint, juvabo, defendam, manutenebo et ſuſtinebo; non obſtantibus quibuſcunque obligationibus, ligamentis vel juramentis, per me factis et exhibitis Patricio comiti Marchiæ et Moraviæ, Willelmo comiti de Douglas, Johanni ſeneſcallo de Kyle, et Roberto ſeneſcallo de Meneteth, filiis meis, ſeu quibuſcunque aliis, expreſſè et omnino renunciavi, et imperpetuum renuncio per præſentes; obligans me, et promittens per juramentum meum prædictum, quòd de cetero nullam obligationem, ligamentum vel juramentum cum ipſis, vel ipſorum aliquo, aut cum quocunque aut quibuſcunque faciam, niſi priùs ſcire fecero dictum dominum meum regem, et ipſius licentiam et voluntatem ſuper hæc petiero et obtinuero ſpecialem: nec contra dictum dominum meum regem, vel ipſius miniſtrorum ſeu fidelium aliquem, conſilium, auxilium, favorem vel defenſionem, clàm vel palàm, cuicunque vel quibuſcunque impendam; ſed quandocunque et quotieſcunque ſcivero vel audiero aliquos contra dictum dominum meum regem rebelles exiſtere, aut ſibi obtemperare nolle, ipſos pro totis viribus meis et potentia compeſcam, puniam, refrænabo, et uſque ad condignam ſatisfactionem, ad voluntatem dicti domini mei regis, di-

ſtringam et compellam. Et ad hæc omnia et ſingula præmiſſa firmiter et inviolabiliter facienda, perimplenda ac obſervanda, obligavi me, et obligo per præſentes, ſub pœna exheredationis omnium terrarum mearum, reddituum et poſſeſſionum; ac ſub pœna amiſſionis omnis juris ſucceſſionis regni Scotiæ, et quorumcunque aliorum dominiorum, ſeu terrarum, quæ mihi competit quocunque jure, titulo vel ordinatione, vel contingere poterit in futurum, ſine ulla ſpe gratiæ vel favoris obtinendæ; et ſub pœna perjurii, dehonorationis, reprobationis, et defactionis militis et armorum. In cujus rei teſtimonium, præſentibus ſigillum meum eſt appenſum, anno, die, et loco ſupradictis.

Sub iſto tenore juraverunt ceteri, mutatis tamen certis terminis, prout perſonarum qualitas expoſtulavit.

CAP. XXVIII.

Quomodo rex David deſponſavit dominam Margaretam Logy, et de eorum divortio.

VOlens igitur rex David providere pro ſucceſſione regni, de fructu ventris, ſi Deus dederit, elegit unam ſpecioſiſſimam dominam, Margaretam Logy filiam* Johannis Logy, fortè non tam bonitate virtutis femineæ, quàm voluptate formæ appetitivæ: cùm tamen matrimonium non de facili, ſicut expedit, ſine gratia prævia et magna providentia præcedentibus, contrahendum eſt. Et ideo uxorem ducturus iſta quatuor noſcet, quæ perfectè rex David non prævidit, viz. qualiter

eligenda,	Eſt enim uxor	eligenda diſcretè,
dirigenda,		dirigenda manſuetè,
corrigenda,		corrigenda ſecretè,
diligenda.		diligenda completè.

Ut ſit electio per		diſcretam deliberationem,
		manſuetam gubernationem,
		ſecretam informationem,
		completam communicationem.

Primò igitur eſt uxor eligenda diſcretè, non ſubitò nec præcipitanter capienda; quia talis fervor in principio parit pœnam in futuro. Exemplum habemus GEN. XXXIV. de Sichem filio Emor, qui, ad primum conſpectum Dinæ filiæ Jacob, eam rapuit, et mori voluit, niſi eam ducere poſſet: quod et fecit in tanto fervore, quòd, pro ejus amore, ſe et populum ſuum totum circumcidi permittit. Ob cujus facti præcipitationem interfectus eſt cum populo per fratres Dinæ. Non igitur in eligenda uxore habeatur talis aſpectus ad formam vel ad ſpeciem mulieris: quia "Propter ſpeciem mulieris multi perierunt." ECCLES. IX. Nec etiam ad divitias, vel ad parentes, ſed præcipuè ad bonos mores. Nam in tantum eſt generoſum negotium bene nubere, quòd, teſte Salomone, donum Dei propriè reputatur. Unde SALOMON; "Domus et divitiæ dantur "à parentibus, à Domino propriè uxor prudens." Dicit autem ARISTOTELES, ſciz. Ethicorum III. Species amicitiæ, viz. propter utile,

*Reliſtum, *MS. Cupr.*

delectabile,

delectabile, honestum; hoc ultimum est propter bonos mores: et ista sola perfecta est amicitia. Et quicquid boni est in duabus primis speciebus, totum est in ista. Unde ista sola propriè est amicitia. Propter utile, quomodo est senum mercatorum, transit beneficium utilitatis, cessante utilitate. Est et amicitia propter delectabile, quæ est propriè juvenum; quæ cessat velociter, delectatione transeunte. Et ideo dicit ARISTOTELES, quòd amicitiæ juvenum sunt de facili transmutabiles, propter duo: primò, quia secundùm ætatem variatur delectatio; non enim eadem delectatio placet adolescenti, quæ placet puero. Secundò, quia incipiunt amare, non ex perfecto judicio rationis, sed ex passione. Passio autem cito transit; et velociter amant, et velociter ab amore cessant. Sed tertiò, amicitia quæ est propter honestum, habet istas conditiones, quia est mansura et rara, quia fundatur super bonos mores, qui in virtuosis semper manent. Rara autem est, quia pauci sunt virtuosi; et indiget hæc amicitia longo tempore, et convictu, et experientiâ morum. Cùm igitur viri ad uxorem debeat esse amicitia maxima, non poterit fundari super pulchritudinem formalem, quia illa cito transibit: unde PROVERB. XXXI. "Fallax gratia, et vana pulchritudo est: "mulier timens Deum ipsa laudabitur." Nec poterit fundari super divitias, quia illa amicitia est propter utile; et est amicitia per accidens, quia bona diliguntur, et non persona. Unde HIERONYMUS scribit, quòd Marcia, Catonis filia minor, cùm quæreretur cur, post amissum maritum, denuo non nuberet; respondit, Se non invenire virum, qui se magis vellet quàm sua. Quo dicto, inquit Hieronymus, eleganter ostendit divitias magis eligi quàm pudicitiam. Certè modernis temporibus non pudicitia, nec honestas morum, movent ad nuptias, sed tantùm divitiæ, vel libido: et ideo nec perseverat amicitia, nec provenit proles; quòd si proveniat, non tamen apta inter conjuges tales, ut frequenter. Unde CHRYSOSTOMUS super matrimonio, homiliâ primâ, exponens istud Matthæi primo, *Salmon genuit Booz ex Ruth*, "Quia, "inquit, secundùm imperium Dei accepit uxorem, et à Deo promis- "sam, in virtute generat filios, et in seipsos virtutem exercentes, Booz "enim *robur* interpretatur. Qui autem accipiunt uxores ex promis- "sione Diaboli, vel nunquam generant, vel in infirmitate generant, "nec valentes nec fortes, nisi in malo et ad pœnam suæ irregularitatis, "non ad gaudium et consolationem, videantur filios genuisse." Et infra; "*Booz ex Ruth genuit Obed*, qui interpretatur *subditus*. Nunc "autem qui divitias eligunt, et non mores; pulchritudinem, et non "fidem; et, inquit, quod in meretricibus solet quæri, hoc in conju- "gibus optant. Propterea non generant filios subditos vel sibi vel "Deo, sed contumaces et contra se et contra Deum, ut filii eorum "non sint fructus justæ conjunctionis eorum, sed pœna condigna irre- "gularitatis eorum." Hæc ille. Hoc exemplum habemus expressè TOBIÆ VI. ubi legimus, quòd Sara, filia Raguelis, septem viris tradita fuerat, quos singulos primâ nocte dæmon quidam, Asmodæus nomine, suffocavit, virgine manente intactâ: et ideo cùm Raphaël suggereret juniori Tobiæ ut eam duceret, et quòd sibi debebatur uxor, timenti Tobiæ dixit; Audi me Tobia, et ostendam tibi qui sunt quibus prævalere poterit dæmonium: hi namque qui conjugium ita suscipiunt,

diunt, ut Deum à se et sua mente excludant, et suæ libidini vacent, sicut equus et mulus, in quibus non est intellectus; habet potestatem super eos dæmon. Tu autem cùm ceperis eam, ingressus cubiculum per tres dies continens esto ab ea, nihil aliud nisi orationibus vacabis. Transactâ autem tertiâ nocte, accipies virginem cum timore Dei, et magis amore filiorum, quàm libidinis, eam ducens, et habebis in uxorem, ut in semine Abrahæ, in filiis benedictionem consequaris. Et notandum, quòd hæc fuit prima occasio quare filii Seth recesserunt à Deo, et quare diluvium inundavit, GENES. VI. " Cùm cœpissent " homines multiplicari super terram, et filios procreassent; videntes " filii Dei filias hominum, (id est, filii Seth filias Cain) quòd essent " pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus quas elegerant." Sic ergo primò volenti nubere est uxor eligenda discretè. Exemplum quomodo Abraham Eleazar oneravit, quòd non acciperet uxorem filio suo Isaac de filiabus Canaan. Jacob etiam, cùm matura deliberatione sibi de uxoribus providit, serviens pro eis quatuordecim annis.

CAP. XXIX.

Adhuc de eodem, et quòd uxor regenda est, &c.

DIxi secundò quòd uxor regenda est mansuetè, non cum tyrannide, de austeritate vel terrore, rigore, verbis vel verberibus, sed amore non timore, sed dulcedine non amaritudine. COLOS. cap. iv. " Viri " diligite uxores vestras, et nolite esse amari ad illas." Unde formata fuit mulier, non de capite, nec de pede, sed de costa, de latere; in signum quòd nec debet esse domina nec ancilla, sed socia viro suo. Tria enim sunt in quibus Spiritus Sanctus dicit sibi beneplacitum esse, ECCLESIAST. XXV. " In tribus beneplacitum est Spiritui meo, quæ " sunt probata coram Deo et hominibus, concordia fratrum, amor " proximorum, et vir ac mulier sibi consentientes." Tertiò est uxor corrigenda secretè, non cum confusione vel verecundia publicè vel contemptibiliter arguenda. Unde VARRO, in quadam comœdia; Vitium conjugis aut tollendum est, aut ferendum: qui tollit vitium, commorem conjugem efficit; qui fert, seipsum efficit meliorem. Et ideo meritò arguenda erat severa austeritas trium virorum, de quibus narrat VALERIUS; quorum primus vocabatur Sulpicius Gallus: hic publicè uxorem repudiavit, quia in publicum prodierat discooperto capite. Secundus dicebatur Sempronius Sophus, qui similiter uxorem repudiavit, quia ausa est ludicra spectare, ipso ignorante. Tertius dicebatur Metellus: hic uxorem, pro eo quòd vinum bibisset, fuste percussam interemit. Non sic sanctus JOB uxorem, licet pessimam, arguebat, sed secretè et modestè, " Quasi, inquit, una de stultis mulieribus loquuta es." Non dixit quòd fuit stulta, sed quasi una de stultis loquebatur. Quocirca est uxor diligenda completè. Istam completionem dilectionis et amicitiæ, quæ debet esse inter virum et uxorem, Apostolus mensurat tripliciter; primò per dilectionem Dei ad ecclesiam, quæ fuit maxima: unde EPHES. V. " Viri diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit " ecclesiam. Tradidit enim semetipsum pro ea." Alio modo per dilectionem

dilectionem viri ad corpus proprium: unde ubi ſuprà; " Viri debent " diligere uxores ſuas ſicut corpus proprium." Tertio modo, per dilectionem viri ad ſemetipſum: unde, " Unuſquiſque diligat uxorem " ſuam, ſicut ſemetipſum." Sed hæc audiens uxoratus, habens vipeream conjugem, mihi poteſt reſpondere; Quomodo diligam eam, cùm ſemper ſit contraria operibus meis? Reſponſum eſt ſuprà, per Varronem: plus ad reſponſum intexere ſuperſedeo. Sed quia homo debet eſſe cautus in nubendo, nulli dubium, quin mulieres de facili cognoſci nequeunt; quia, ſi ſemel divertit ſe mulier ad nocendum, verificabitur quod dicit Scriptura, viz. " Brevis omnis malitia ſuper malitiam " mulieris: ſors peccatorum cadet ſuper eam." Unde, in eodem capitulo paulo ante, comparat eam Sapiens tribus beſtiis multum nocivis; et tamen dicit eam excellere omnes in malitia. Comparatur enim mulier colubro, leoni, draconi. De colubro dicit ſic: " Non eſt caput " nequius ſuper caput colubri; et non eſt ira ſuper iram mulieris." De leone et dracone dicit ſic: " Commorari leoni et draconi placebit, " quàm habitare cum muliere nequam:" et ſubintelligitur *magis*.

CAP. XXX.

Quibus mala mulier comparatur.

COmparatur igitur mala mulier primò colubro, quadruplice ratione. Nam coluber dicitur, quia colit umbras; et mala mulier tenebras diligit plus quàm lucem. Secundò, coluber totum venenum habet in capite; et mulier ornamentum ſuum præcipuum in velis, peplis, reticulis, coronis, gemmulis, unguentis, ſpinctibus: et, quod deterius eſt, cornua in capite ſuo portat, ut oculos intuentium valeat intoxicare. Quare multum Deo diſplicet, quando videt ſignum ſuperbiæ, quod eſt vexillum Diaboli, in ſuperiori parte caſtri ſui, ſcilicet in capite mulieris; et videt vexillum ſuum remotum eſſe à loco illo, in quo potiùs voluit illud eſſe, humilitatem pœnitentiæ. Unde EZEK. IX. " Signa tau T ſuper frontes " virorum gementium." In ſignum hujus rei, fit ſignum crucis in illis qui baptizantur, et illis qui confirmantur in fronte; et, in capite jejunii, cinere capita aſperguntur. Signum etiam eſt malæ mulieris et infeſtæ exaltare pepla cornuta, vel quæ alienam cæſariem apponunt capiti, vel innaturalem colorem, more meretricio, ſtibiatè ponunt in facie: apponere enim cornua vel crines capiti, vel dare colorem faciei, ſpecialiter pertinet ad Deum. Qui autem talia faciunt, cum Lucifero, ſimiles volunt eſſe Altiſſimo. Ipſi ſunt vel tauri feroces, qui alios cornubus impetunt; vel ſicut ſimiæ, quæ, dum volunt ſe decorare, ſpiritualiter ſeipſas jugulant. Ipſi etiam ſunt angeli tenebrarum, transfigurati in angelos lucis. Contra illas, quæ colorem innaturalem ponunt faciebus ſuis, videtur eſſe dictum illud ECCLES. IV. " Ne accipias faciem ad- " verſus faciem tuam." Facies quam fatua mulier ſumit contra faciem interiorem animæ eſt, quia eam deturpat: dum enim exteriùs vult habere faciem pulchram, interiùs aſſumit faciem diabolicam, juxta illud P. " Et facies peccatorum ſumitis." De tali picta ſive ſtibiata muliere ait HIERONYMUS: Quali fiducia erigit ad cœlos vultum, quem conditor non agnoſcit? Talibus enim mutuantibus alienas crines com-

minatur Propheta, dicens; " Decalvabit Dominus verticem filiarum " Sion, et crinem earum nudabit." In præſenti etiam quandoque, juſto Dei judicio, crines earum nudantur. Unde accidit Pariſius, in quadam ſolemni proceſſione, quòd quædam ſimia cuidam dominæ peplum, cum alienis crinibus quas deferebat, coram toto populo abſtulit, et turpis ac depilata, ad modum corniculæ, depoſitis alienis plumis, remanſit: et meritò hoc ei accidit. Unde Propheta; " Væ qui prædaris; " nonne prædaberis?" Nam

Rebus in humanis non eſt lex æquior ulla,
Quàm necis artifices arte perire ſuâ.

Talis fatua vult illud facere ad contumeliam Dei, et damnum propriæ animæ, quod nullo modo faceret propter honorem Dei et ſalutem propriam: nam ſi injungeretur alicui mulieri pro penitentia, quòd haberet per noctem ad caput ſuum manum alicujus mortuæ mulieris, nullo modo diceret hoc ſe facturam, quia ex hoc in tantum terreretur et amens fieret: crines autem mulieris mortuæ vult habere in nocte ad caput ſuum, in Dei contumeliam, et contra voluntatem eccleſiæ; nec terretur inde, neſcio quo diaboliço miraculo. Exemplum igitur poteſt eſſe talibus mulieribus, et præcipuè principiſſis et reginis, regina Heſter; quæ quamvis, ad placendum regi, certis diebus ſolemnibus induit ſe cultioribus, attamen diſplicuit multum conſcientiæ ſuæ, quia timuit hujuſmodi ſignum ſuperbiæ diſplicere Deo. Unde ait, HESTER XII. " Domine Deus, tu ſcis neceſſitatem meam, quòd abominer ſignum " ſuperbiæ et gloriæ meæ, quod eſt ſuper caput meum in diebus o- " ſtentationis meæ, et deteſter illud quaſi pannum menſtruatæ, et non " portem in diebus ſilentii mei." Quidam etiam ferunt, quòd venenum habet in cauda ſuperba mulier, ſicut jam multas videmus quæ longas caudas poſt ſe trahunt, pretioſis veſtibus terram induentes, et de nuditate Chriſti in pauperibus non curantes, caudis ſuis pulveres et pulices colligunt, et pulverem hominibus movent; Chriſtum verò, quem in tot pauperibus nudum inſpiciunt, non operiunt. Timendum eſt ne in caudis earum Diabolus nidificet. Unde legitur de quodam Sancto, quòd ipſe vidit quendam diabolum ridentem, et quæſivit ab eo quare rideret. Reſpondit; Vidi ſocium meum equitantem ſuper caudam illius dominæ pertranſeuntis, quæ dum traheret ad ſe caudam, cecidit ſocius meus in lutum, et inde riſi. Quid igitur fiet de hujuſmodi colubrinis dominabus mitratis et caudatis? Reſpondit Propheta, dicens; " Veniet dies quando auferet Dominus ornatum calceamentorum, et " lunulas, et torques, et monilia, et armillas, et mitras, et diſcriminalia, " et periſcelides, et murenulas, et olfactoriola, et inaures, et annulos, " et gemmas in fronte pendentes, et mutatoria, et pallia, et linteamina, " et acus, et ſpecula, et ſindones, et vittas, et theriſtra." Quid ergo erit eis poſt hoc? ſequitur ad ſuprà: " Et erit pro ſuavi odore fœtor, " pro zona funiculus, et pro criſpanti crine calvitium, et pro faſcia " pectorali cilicium." Hoc eſt, ut quidam vulgariter dicit;

" *And for ſwet ſmell at thi noſe, ſtink ſall thou find;*
" *And for thi gay gylt girdyll, a hard ſtrop ſal thé bynd;*
" *And for thi criſp kell, and fair hair, all bellit ſall thou be;*

" *And*

" *And as for wild and wanton luk, nothing ſall thou ſé;*
" *And for thi ſemat ſemand cote, the hair ſall be unſet:*
" *For thy pantit face and proud heart, in hell ſall be thy ſet.*"

CAP. XXXI.

De proprietatibus colubri.

TErtiò, coluber totum venenum ſuum colligit in fauces, ut per eas effundat: et mala mulier per os et fauces ſuam totam malitiam, mentiendo, contendendo et detrahendo, effundit. Væ igitur copulato malitioſæ mulieri, quia, ut ait Chryſoſtomus ſuper id, MATTH. XIX. " Non expedit nubere;" Quid aliud eſt, inquit, mulier niſi amicitiæ inimica, ineffugalis pœna, neceſſarium malum, naturalis temptatio, deſiderabilis calamitas, domeſticum periculum, delectabile detrimentum, mali natura boni colore depicta? Ergo ſi dimittere illam peccatum eſt, tenere autem vere tormentum eſt. Neceſſe eſt autem ut aut dimittentes, adulteria faciamus; aut tenentes, quotidianas pugnas habeamus. Quartò, coluber ſibilat ut noceat, et mala mulier cantando et adulando mirabiliter multos fallit. Propter quod AUGUSTINUS, de ſingularitate clericorum, ait; De carbonibus ſcintillæ diſſiliunt, de ferro rubigo nutritur, morbos aſpides ſibilant, et mulier fundit concupiſcentiæ peſtilentiam. In riſu aliquando diſſolvitur, nunc blanditias exhibet; et, quod eſt venenoſius ſuper cuncta, pſallere delectatur aut canere: cujus cantu tolerabilius eſt audire baſiliſcum ſibilantem.

Secundò, mala mulier comparatur leoni, propter tria; primò propter iracundiam, quia ſicut leo, ſine vindicta ſubſecuta, placari non poteſt; ſic nec mulier: unde ECCLESIAST. V. " Non eſt ira ſuper " iram mulieris." Secundò, leonis oſſa ſi ad invicem collidantur cauſant ignem: ſimiliter mulieris verba, confabulationes et colloquia, quantumcunque videantur ſolida, ignem voluptatis accendunt. Propter quod cuicunque continere volenti ait poëta:

Non ſtes, nec ſueris, nec cum muliere loqueris;
Ignibus ureris Veneris, ſi tu mulieris
Verba, jocos ſequeris, quamvis nec ames nec ameris.

Et ſicut leonis oſſa ad invicem colliſa cauſant ignem, ſic oſcula et tactus viri et feminæ: propter quod ait poëta;

Ni fugias tactus, vix evitabitur actus:
Hos igitur vita, ne moriaris ita.

Sed fortè tu, vir eccleſiaſtice, dicis in animo, quòd fidenter ſine periculo cum muliere converſari potero. Attende igitur quod præmiſi dictum AUGUSTINI dicentis, quòd de veſtimentis tinea procedit, et de carbonibus ſcintillæ diſſiliunt. Et ſi dictum Auguſtini pertranſieris, illud Bernardi cogitare non differas, dicentis; Quotidie latus tuum ad latus juvenculæ in menſa, oculus tuus ad oculum ejus in ſermone, manus tua ad manum ejus in opere; et tu vis continens videri? ſcis quid ſis. Ego tamen ſuſpicione non careo, quòd omnis inconveniens ſodalitas mulieris gluten eſt inviſcatum, et viſcus intoxicatum, quo Diabolus aucupatur

aucupatur ad miſeras animas captivandas. Tertiò, leonis cautela eſt, quòd caudâ veſtigia ſua tegit; et hoc eſt proprium mulieris, crimina ſua excuſationibus et mendaciis operire. Et ideo ſignanter dicitur; In medium mulierum noli commorari: de veſtimentis enim procedit tinea, et à muliere iniquitas viri.

Tertiò, comparatur mala mulier draconi, propter quatuor: habet enim draco os parvum, inficit aërem, incedit triſtatus, et ſpecialiter elephanti inſidiatur. Eodem modo mulier os habet parvum, per verborum et vultûs ſimplicitatem in principio: etiam ſi ſit comeſſatrix et guloſa, ſimulât ſe in aula tanquam appetitu careret comedendi. Inficit aërem aſpectu ſuo, ſicut baſiliſcus, qui hominem ſolo viſu interficit: quæ non ſolùm cùm videt, ſed etiam cùm videtur, occidit. Ad literam mulier menſtruata aſpectu ſuo inficit ſpeculum, ſecundùm ARISTOT. ſecundo *de Somno et Vigilia*, et facit in eo maculam. Eodem modo mulier mala virum, quantumcunque ſpeculum ſit ſcientiam omnem repræſentans, inficit et maculat, ſi mulieris conſortio ſe immiſcet. Exemplum de ſapiente Salomone, per mulieris illecebras infatuato; de quo ſcriptum eſt, " Inclinaſti mulieribus femora tua, et poſuiſti maculam " in gloria tua." Tertiò draco incedit criſtatus; et mulier fatua criſtas in capite habens, coronis, cornibus, gemmis et cruſtulis aureis mitrata cedit. Propter quod BABIO, in ſuis comœdiis, de tali ſic prophetatur, dicens, quòd occurrit

Indiſciplinata mulier {
Cornuta capite, ut hœdus;
Effurens fronte, ut taurus;
Oculis venenata, ut baſiliſcus;
Facie blanda, ut ſcorpio;
Auribus indiſciplinata, ut aſpis;
Signo fallax, ut vulpes;
Ore mendax, ut Diabolus.
}

Quod eſt vulgariter dicere:

" *The unlatit woman the licht man will lait,*
" *Gangis coitand in the curt, hornit lik a gait:*
" *Als brankand as a bole in frontis, and in vice;*
" *Mair venumit is hir luke than the coketrice.*
" *Blyth and bletherand, in the face lyk ane angell,*
" *Bot a wiſle in the taill, lyk a draconell.*
" *Wyth prik zoukand eeris, as the awſk gleg;*
" *Mare wily than a fox, pungis as the cleg.*
" *Als ſikir for to hald as a water eeil;*
" *Bot as trew in her toung as the mekyl Devil.*"

Quartò, draco inſidiatur elephanti. Elephas eſt animal caſtiſſimum, et tantùm, ſecundùm Naturales, ſemel gignit. Si femina fuerit impregnata, mas ei non appropinquat. Iſti animali draco inſidiatur, et pedes ſuos ſuâ caudâ conſtringens occidit. Moraliter, quantumcunque homo ſit caſtus, ſi mulierum malam familiaritatem diligat, conſtringent pedes affectionis ſuæ et occident. Unde,

Femina

Femina fax Satanæ, roſa fœtens, dulce venenum:
Urit in vultu, riſu, viſu, cute, cultu.
Hujus ab inſultu, quantum potes, eſto procul tu.

Propter quod HUGO, in libello ad ſocium volentem nubere, ſuper id PROVERB. v. " Favus diſtillans labia meretricis, et nitidius guttur " ejus oleo;" dicit ſic:

CAP. XXXII.

De eodem.

IN favo enim duo ſunt, mel et cera; et in facie mulieris duo, ſciz. decor et gratia, hæc eſt pulchritudo oris, et dulcedo ſermonis. Cera ſuccendit ignem, mel præbet dulcedinem: ſic pulchritudo fatuæ mulieris ignem libidinis inflammat, blandimento lenocinantis ſermonis mentem ſubvertit. Stillat mel et cera, dum mulier ſua verba mollit et facit dulcia. Hanc autem dulcedinem æternæ mortis amaritudo comitatur: unde ſequitur ibi, " Noviſſima illius amara quaſi abſinthium, " et acuta quaſi gladius biceps." Diligit mulier ut decipiat, decipit ut capiat: amat quod habes, non quod es. Hæc ille. Ideo ſi ſolutæ conjungeris, mors et damnatio eſt; ſi nuptæ, bellum inteſtinum. Propter quod HIERONYMUS contra Jovinianum; Uxorem pauperem alere difficile eſt; divitem ferre tormentum eſt. Quid prodeſt diligens cuſtodia, cùm uxor ſervari impudica non poſſit? Et ideo VALERIUS, ſcribens ad Rufinum, ſic concludit epiſtolam ſuam, dicens; " Amice " ne longo diſpendio te ſuſpendam, lege Aureolum Theophraſti, et " Medeam Jaſonis, et vix pauca invenies impoſſibilia mulieri. Amice, " det tibi Omnipotens Deus omnipetentis feminæ fallaciâ non falli." Et ideo BABIO in comœdiis inſinuat, dicens;

In fide, dente, pede, mulieris, equi, canis, eſt fraus.

Hoc ſic vulgariter eſt dici:

" *Till horſis ſote thou never traiſt,*
" *Till hondis tooth, no womans faith.*"

Propter quod BABIO, de ſe et ſua conjuge, ſuam telam threnoſam orditur in hunc modum:

Femina perfida, femina ſordida, digna catenis;
Mens mali conſcia, mobilis, impia, plena venenis;
Vipera peſſima, foſſa noviſſima, mota lacuna:
Omnia decipis, omnia recipis, omnibus una.
Horrida noctua, publica janua, ſemita trita.
Igne rapacior, aſpide ſævior eſt tua vita.
Mens tua vitrea, plumbea, ferrea, ſaxea, nequam:
Fingere, fallere, perdere, prodere reputas æquum.
O miſerabilis, intolerabilis, inſatiata!
Credere qui tibi vult, mala ſunt ſibi plura parata.
Me mihi vivere, pace quieſcere ſunt mea vota;
Conſului me, conſule tu tibi, ſis tua tota.

Summa potentia deſtruet omnia funditùs ante,
Quàm mea ſumere, quàm mea demere, ſuſtineam te.

Tum ſic concludit, dicens;

Sume tibi frænum, fugiens muliebre venenum;
Nam ſaniei plenum vas eſt quod credis amænum:
Babio teſtis adeſt. Hæc ultima verba tenete;
Sunt incredibiles, uxor, alumna, cliens.

CAP. XXIII.

Quòd gratæ ſunt bonæ mulieres.

SED quia de conditionibus nequam mulieris aliqua diſſerimus, reſtat ut in laudem bonarum pauca interponamus. Sunt enim bonæ mulieres viris ſuis gratæ in multis, viz. in convivendo, condolendo, commorando. Pro primo narrat VALERIUS, de quadam regina, uxore Mithridatis, quòd in tantum, effuſis dilectionis habenis, virum amavit, quòd tonſis capillis, habituque virili aſſumpto, equis et armis ſe aſſuefecit, ut virum fugientem continuè per terras extraneas ſequeretur. Narrat ibi gratitudinis exemplum exceſſivum, quomodo quidam Romanus duos apprehendit angues, maſculum ſciz. et feminam. Certificatus fuit per aruſpicem, ut unum amitteret, vel ambo conjuges interirent; et quòd dimiſſo maſculo uxor ſua celeriter moreretur, feminâ dimiſſâ ipſe moreretur. Ille ſtatim feminam dimitti juſſit, ſuſtinuitque in conſpectu ſuo ſeipſum interitu ſerpentis occidi.

Secundò ſunt gratæ in condolendo. Narrat enim qui ſuprà, quòd cùm Lacedemoniis à Spartanis Minyæ eſſent capti, et ad decollandum in carceres ſervati, conjuges eorum illuſtris ſanguinis, velut allocuturi perituros viros, intraverunt carcerem, impetrato à cuſtodibus aditu, commutata veſte, atque per ſimulationem doloris, velatis capitibus, eos abire paſſi ſunt; et ita ipſæ et ipſi ſalvabantur.

Tertiò ſunt gratæ in commorando. Narrat HIERONYMUS contra Jovinianum libro primo; Vidit, inquit, ut omnes pene barbari uxores plurimas habent apud Indos, quorum lex eſt ut uxor cariſſima cum marito defuncto cremetur. Hæ igitur contendunt inter ſe de amore viri; et ambitio ſumma certantium eſt, ac teſtimonium caſtitatis, dignam morte decerni: itaque victrix, in habitu ornatuque cultiori, juxta cadaver ſedebat, amplectens illud et deoſculans, et ſuppoſitas ignium flammas pudicitiæ laude contemnens. Et ſi tanta laus attribuatur paganæ mulieri, quid fiet Chriſtianæ? dicit enim Scriptura, ECCLESIAST. XXXVI. "Mulieris bonæ beatus vir." Audivi dictum de quodam juvene filio burgenſis, qui mortuo patre pubeſcens, uxorem juvenculam cepit, quæ improperio mordaciori et evectione procaciori ſemivirum ſuum uſque ad deſperationem quotidie quaſi anxiata eſt: qui ejus ſanguinolentæ linguæ refragari non audens, etſi dolore adintra ſuffoſſus, patienter eam tamen ſuſtinuit, donec è medio ſublata eſt. Quâ morte, laqueo funebri contrito, et ipſe liberatus, apud ſe diffinivit nunquam jugo matrimonialis copulæ ſubmittere collum: ſed et quia unicam et virginem deſponſavit, tranſtulit ſe ad ſcholas, ut exinde preſbyter effectus, Deo liberius deſerviret. Ubi

contigit

contigit eum ſemel cum ſodalibus debere conſtruere unuſquiſque, in ordine ſuo, caſum bibliæ; tandem deventum eſt ſibi, ad exponendum illud ECCLES. XXXVI. " Mulieris bonæ beatus vir;" in ſe, vel veriùs à ſe, reverſus ſubſtituit, ac quaſi exſtaticus factus, et ad tertium cœlum raptus ſubſtitit, nec unum verbum proferre valuit. Cui ait magiſter; Exponas, fili, lectionem. Ad hujuſmodi verba ſæpiùs repetita vix compulſus eſt reſpondere, dicens; O magiſter, cogito, cogito. Quid, inquit, miſer, cogitas? lectionem exponas. Noviſſimè verò in fletum prorumpens, exclamavit voce ſonorâ, dicens; Per Deum Omnipotentem, domine, pauci ſunt beatus vir. Ne igitur, propter bona conjugii ſupradicta, aliquis inconſultè ad nuptias moveatur. Notanda ſunt verba HUGONIS DE SANCTO VICTORE, in quodam libello quem ſcripſit ad quendam ſuum familiarem nubere volentem, ita dicens: Non eſt uxor ducenda ſapienti; primò quia ſtudia prophetiæ impedit, nec poteſt quiſquam libris et uxori inſervire. Multa ſunt quæ in matrimoniorum uſibus ſunt neceſſaria, viz. pretioſæ veſtes, aurum, gemmæ, ſumptus, ancillæ, ſupellex varia, deinde per totas noctes garrulæ quæſtiones. Illa ornatior procedit in publicum: hæc honoratur ab omnibus; Ego in conventu feminarum miſera diſpicior. Vicinam aſpiciebas: quid cum ancilla loquebaris? De foro veniens, quid mihi attuliſti? Alterius amorem ſuum ſuſpicatur odium. Et infra, Nulla eſt uxoris electio, ſed qualis advenerit, talis eſt habenda. Si iracunda, ſi fatua, ſi deformis, ſi ſuperba, ſi ſuſpicioſa, ſi fœtida, quodcunque vitium eſt, poſt nuptias diſcimus. Equus, aſinus, bos, et viliſſima mancipia priùs probantur, et ſic emuntur: ſola uxor non oſtenditur, ne diſpliceat, antequam ducatur. Unde quidam:

Conjugis et nati vitium vix noſſe valemus;
Quodque domi geritur poſtremò forte ſciemus.
Cùm conjux, natus, ſervus peccat, vel alumnus,
Cantica vulgus habet, nos tantum iſta latenter.

CAP. XXXIV.

De morte regis.

HANC igitur dominam Margaretam de Logy rex David apud Inchemurdach deſponſavit, et in reginam magnificè exaltavit; cum qua parvo * tempore habitavit: ſed, propter quaſdam ſimultates inter eos conceptas, divortium celebravit cum eadem circa feſtum Carniſprivii, anno Domini milleſimo trecenteſimo ſexageſimo nono. Propter quod ipſa, aſcenſâ clàm navi in aquam de Forth,† curiam petiit Apoſtolicam; et Avinionem, ubi tunc curia exſtiterat, devenit, et per appellationem cauſam ſuam illuc devolvit, et totum regnum ſuâ proſecutione commovit. Procuratoribus itaque regis ad Apoſtolicam

* Anno &c. LXIII. prædictus dominus David rex Scotiæ quandam magnam dominam, Margaretam de Logy, honeſtis ac nobilioribus ortam natalibus, de regno ſuo oriundam, apud Inchmachac duxit uxorem; quam multis terris et poſſeſſionibus ditavit, ac regio diademate ſecum regnaturam honorabiliter ſublimavit, *edit. H. Si ita, tempore non adeo parvo cum ea habitavit.* † Multum bene auro munita, *addit MS. Cupr.*

ſedem

ſedem tranſmiſſis, acriter altercatum eſt, et inter oratores partium contendentium proceſſus in tantum protelatus eſt, quòd liber inde confectus, et notariorum ſignis ſignatus, præcellit in ſcriptura, judicio meo qui proceſſum vidi et hæc ſcripſi, continentiam literaturæ quatuor Pſalteriorum. Multum enim fuit cauſa ejus in auribus auditorum et cardinalium recommiſſa, ita quòd, ſi ſupervixiſſet, regnum interdicto ſuppoſuiſſet. Sed ipſa Romipeta moritur peregrina. Ad cujus ſuggeſtionem rex nepotem ſuum Robertum Stewart, cum tribus filiis, viz. Johannem, Robertum et Alexandrum, arreſtavit, et in diverſis munitionibus ad cuſtodiendum deputavit. Sed, facto divortio, eos liberavit, et ad priſtinam gratiam recepit.

Poſt hæc rex David regnum ſuum optimis legibus innovavit, rebelles caſtigavit, tranquillâ ſuos pace compeſcuit, et diverſarum linguarum tam Scotos ſilveſtres catervanos, quàm eruditos domeſticos, unius fœderis lege patriâ conjunxit: et hoc non ſine magno ſtudio et induſtria. Nam quia catervani ſilveſtres, tranſmontani et inſulani, quaſi indomabiles ſemper et rebelles regibus Scotiæ, et legiſlatoribus exſtiterunt, hujuſmodi cautelâ uſus eſt rex, viz. componendo et inducendo unum tyrannum ad occidendum vel capiendum, ſive regi alium ſibi ſimilem præſentandum, promiſſis ſibi bonis, tam mobilibus quàm immobilibus interfecti, pro mercede. Quibus utique promiſſis et datis allecti, unuſquiſque rebellium catervanorum alterum ſeriatim fefellit et deſtruxit, donec, regno pacato, malignantium formidine ſublatâ, plebicula tranquillitate et ſecuritate cupitis potiretur. Ipſe autem rex toto anniſu, ad domandum Paganorum feritatem, Terram Sanctam petiturus, cum militari potentia ſpectabili,* decrevit ſe transferre, et in Terra Repromiſſionis vitam præſentem terminare. Nam, ad pium ejus propoſitum atteſtandum, multum et ultra modum milites ſuos et armigeros, qui eo tempore quamplures fuerant, hujuſmodi laboribus deditos et conſcriptos faverat et dilexerat, ac eiſdem propterea largas poſſeſſiones et donativa militaria contulit et conceſſit. Sed tandem, viſitatione Altiſſimi præventus, mors amara ſorti non pepercit regiæ, regem virilitati maturæ vix approximantem, ſub ſua lege funebri extinxit ac concluſit. Et ſic David regem, regnum ſuum regificè regentem, caſus fatalis præpropere, legibus præruptis, ſubjecit, et tenuis ſolutionis anticipans terminum, extorſit, heu debitum ante diem! anno ſcilicet ætatis ſuæ quadrageſimo ſeptimo, regni verò ſui triceſimo nono,† in feſto cathedræ Sancti Petri, anno Domini milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo, apud caſtrum de Edinburgh, et ſepultus eſt in monaſterio Sanctæ Crucis, coram magno altari.

CAP.

* *Poſitis regni cuſtodibus*, addit MS. Cupr. † At doctiſſimus Ruddimannus Edinburgenſis nobis indicavit, ſe Davidis hujus chartas viginti vidiſſe, anno regni XLI. datas; adeo ut revera plus quam XXXIX. annis regnavit, id quod jam antea quoque monuerat Cl. Rymerus. Quid quod et idem amiciſſimus Ruddimannus recte docuit perperam Buchananum aſſeruiſſe Davidem deceſſiſſe ſeptimo die menſis Maii, MCCCLXX. *Februarii nempe viceſimo ſecundo anno ſalutis humanæ* MCCCLXXI. dixiſſe debuit Buchananus; in quem quidem diem incidit feſtum cathedræ S. Petri. HEARNIUS. Idem Ruddimannus poſtea oſtendit in ipſis chartis annos regni Davidis regis, poſt liberationem ejus è captivitate Anglorum, perperam numerari, annumque quem illæ ut quadrageſimum præferunt, re verâ quadrageſimum primum, quemque

CAP. XXXV.

De ejusdem epitaphio.

HIC rex ſub lapide David inclitus eſt tumulatus,
Vir ſtirpis nitidæ, per climata magnificatus.
Non vixit cupidè, ſed dapſilitate probatus:
Geſturæ lepidæ dulcedine mellificatus.
Miles munificus, mitis moderamine, lætus,
Pulcher, pacificus, placidâ probitate facetus:
Ductor dignificus, in ſe pietate quietus;
Fragrans, fructificus, flos fertilitate repletus.
Stemmata ſtellifera ſibi certatim radiârunt;
Germina florigera morum ſibi ſerta parârunt;
Agmina ſcutifera ſive laudes accumulârunt;
Et ſua fructifera fulcimina furta fugârunt.
Ipſum continui veri virtus ſolidavit;
Moris melliflui moderatio mitificavit:
Sanguinis almiflui genus ipſum principiavit;
Et nihil exigui reputaminis ædificavit.
Ipſum largiflua mens multis gratificavit:
Gratum dulciflua comitiva ſequax decoravit.
Vis ſua continua bene regnum pacificavit;
Et loca perſpicua regionis multiplicavit.
Regis conſpicui conſtantia ſe reſeravit,
Regni contigui dum preſſuras toleravit:
In regno tenui res et decus amplificavit,
Nil patiens minui, dum vita virum validavit.
Terræ fertilitas illi fuit obſequialis,
Et maris utilitas, patriotis præſidialis.
Diffugit feritas, luxit lex imperialis:
Acceſſit probitas, in orbe quies generalis.
Suis viſceribus ſapientia nidificavit:
Amplis muneribus adventitios recreavit.
Sub verbis brevibus ſapidè reſponſa paravit:
Fidis faminibus diſcordes unificavit.

quemque illi XLI. numerant XLII. fuiſſe numerandum; atque ita Davidem mortuum anno regni ſui quadrageſimo ſecundo. Rem ita ſe habuiſſe patet; incepit enim vij. Id. Junii, A. D. MCCXXIX. ut ſupra, lib. XIII, cap. xiij. obiitque viij. Kal. Martii, A. D. MCCCLXXI. Hoc quoque tradiderat Johannes Barber, ſcriptor ipſo Forduno paulo antiquior;

" Eſtyr lhys worthy eyme Dawy,
" That regnit TWA zeir and FOURTY."

Ita enim MSS. editores autem, Buchananum tanquam oraculum ſuſcipientes, ejus errores dictis Barberii veridicis commutare auſi ſunt. Porro ex numericis literis, errore ſcribæ in Forduni opere corruptis, ortum duxiſſe ſcriptorum recentiorum hallucinationem potius dixerim, quàm eos à vero deditâ operâ deſciviſſe. In editione certe Hearnii manifeſto errore dicitur rex David regnaſſe annos LVIII. quod forte cum vitioſum eſſe animadverteret exſcriptor ſive interpolator, et medelam quæreret, non ultra cap. XX. libri XIII. incaute retroſpexit. Eum tamen poſteriores, harum rerum ultra modum incuriosi, negligenteſque abſque indagatione ſecuti ſunt. Hoc verisimilius videri poterit, quàm, quod innuunt quidam, eos regum noſtrorum annos regni, à tempore quo ſolemni ritu inaugurati fuerint, dinumeraſſe; rem tunc temporis inauditam, et vel noſtris quidem temporibus raro, ſi unquam, uſurpatam.

Prælatos coluit cleri, tractando decenter:
Et proceres voluit ſibi circumſtare potenter.
Burgenſes ſtatuit ſua commutare licenter;
Et populum ſtuduit ſub jure tenere patenter.
Pro regno voluit fœdus treugale ſubire:
Confratrem potuit regem dulcore linire.
Quod pepegit tenuit, renuit pacta reſilire.
Sic, ſicut decuit, fecit lamenta perire.
Anglis diligitur, et pro valido veneratur;
Verax aſſeritur, et pro bonitate beatur.
Scotia jam quæritur, quia fertilis aura fugatur;
Et timor ingeritur, ac defectus ſociatur.
O dolor! ô gemitus! premitur princeps pretioſus.
O furor! ô fremitus! deceſſit dux dominoſus.
O ſtupor! ô ſtrepitus! ô miles delicioſus!
Ipſe fuit penitus decor in regno rutiloſus.
Ergo pater veniæ, qui miſit aroma reorum,
Ad loca lætitiæ trahat illum rex ſuperorum:
In jubilo patriæ, cum principe pacificorum,
Sub cultu latriæ quieſcat in regno polorum.

CAP. XXXVI.

De coronatione Roberti ſecundi.

POST mortem magnifici principis regis David, tres ſtatus regni convenientes in villa regia de Linlithquu, pro rege futuro ſibi fiendo tractare cœperunt: quorum concors votum exſtit ad præferendum illuſtrem principem dominum Robertum Stewart, nepotem regis David, juxta ſtatum ſuum hereditarium, et intentum talliarum primitùs ſuper hoc confectarum. Sed hujuſmodi propoſito contrarium ſe exhibuit dominus Willelmus de Douglas comes ejuſdem, militari virtute conglobatus, allegans ſibi, ex parte Cuminienſium ſive Balliolorum, regio ſolio competere ſublimari *. Cui dominus Georgius de Dunbar comes Marchiæ, et Johannes frater ejus comes Moraviæ, necnon nobilis miles Robertus de Erſkyn cuſtos caſtrorum de Dunbretan, Edinburgh et Strivelyn, in hoc clameo apertè reſtiterunt. Quibus ſe reſiſtere non poſſe perpendens dictus Douglas, de conſilio prælatorum et procerum, ceſſit ſuæ inconſultæ præſumptioni. Ubi tamen expeditè ſatis tractatum exſtitit, quòd Jacobus de Douglas, primogenitus ejus et heres, filiam dicti domini Roberti, regis futuri, de legitimo † thoro procreatam ſibi matrimonialiter copularet; et ipſe comes de Douglas, unà cum filio ſuo, regi ſuppliciter ſe ſubderent et obtemperarent. Ac

* Hanc narrationem, ſeu potius fabulam, ex Andreæ Wintoni, ſcriptoris rythmici, libro hauſit noſter, ut multa alia. Scribit enim ille Duglaſſiæ comitem obſtitiſſe Roberto, ſed diadema ſibi vendicaſſe expreſſe equidem non dicit. Conſtat etiam verum heredem Cominiorum et Dervorgildæ, ſive Balliolorum, fuiſſe Davidem de Strathbolgi tunc ſuperſtitem; Duglaſſio autem nullo juſto titulo eorum jus, quodcunque illud fuerit, competere potuiſſe, quicquid garriant noſtri ævi fabulatores quidam vani et indocti, ut alibi fuſius dicetur.

† In quibuſdam Wintoni MSS. ne verbum de thoro legitimo, aut illegitimo.

in

in ſequenti feſto annunciationis noſtræ Dominæ, dictus D. Robertus Stewart, apud Sconam, cum debita ſolemnitate, coronatus eſt:

Qui fuit humilis, mitis, affabilis;
Vultu vir hilaris, rex honorabilis.
Reſponſis lepidus, ſtatu ſpectabilis.

Staturâ * ceteris et corporis proceritate præeminens. Sed et tanquam alter Abraham pater fuit multarum gentium, non ſolùm abundans in natis, ſed et in ceteris divitiis animatis, ut ſibi competere poterit hoc quod ſcriptum eſt DEUTERONOM. XXX. "Abundare te "faciet Dominus Deus tuus in cunctis operibus manuum tuarum, in "ſobole uteri tui, in fructu jumentorum tuorum, in ubertate terræ "tuæ, et in rerum omnium largitate." Hæc omnia ſibi evenerunt. Nam maxima abundantia victualium, fructuum et animalium tempore ſuo, immò pacis tranquillitas proſperata eſt. Sed et de filiis ſuis quid dicam? quidam erant pacifici et benigni, quidam inſolentes et maligni. Unde filiis † naturalibus congruere quidam putant illud ISAIÆ LIX. viz. "Quod confotum fuerit ex ovis aſpidum erumpet in regulum;" hoc eſt, ex ovis aſpidum, quoad naturam matrum, generatur regulus, qui dicitur rex venenoſarum beſtiarum ſive ſerpentium. A ſimili de indiſciplinatis matribus generatur iniquitas ſobolis ‡. Et ideo non eſt utrobique gaudendum, ſi rex vel princeps genuerit filium non matrimonialiter, ſed ex voluptuoſo connubio, procreatum. Sicut in ſua apologia † ſcribit ÆSOPUS, dicens; Quòd quando natus fuit cuidam principi magnifico filius *, omnes aulici præ gaudio tripudiârunt, et luſibus variis indulſerunt: flente philoſopho qui ad hæc attendebat. Quærentibus, cur fleret, reſpondit; "O ſtulti! attendite gau"dium veſtrum; quia quando ſol generat ſolem omnis creatura inge"meſcit. Hucuſque habuimus niſi unicum ſolem, nec eſt qui ſe "abſcondat à calore torrido ejus; et nunc ſol multiplicatus vos omnes "incinerabit, et ad nihilum rediget." Sol certè regis Roberti placidus erat, et fomentativus ſuis liegiis; ſed multiplicatus in filiis hucuſque caumate torrido pauperes incinerat, et regnum conturbat. Unde de baſtardis ſic quidam inquit:

Prodiga natura baſtardis dat tria jura;
Aut ſunt pompoſi, fures, aut luxurioſi.

CAP. XXXVII.

De ruptione treugarum, et vindicta de Anglis ſumpta per comitem Marchiæ.

TReugæ, de quibus ſuprà, captæ pro quatuordecim annis nondum adhuc elapſis, deputatis certis diebus pro reformatione hinc inde ablatorum conſtitutis, interdum per Johannem Stewart comitem de Carrik filium regis, qui eidem ſucceſſit in regnum, interdum per Ro-

* Statura ceteris incomparabilis, corpore clarus et mente, *MS. Cupr.* † Filiis ſuis naturalibus, *ibid.* ‡ Ineffrenata ſoboles, *ibid.* † Fabuloſe ſcribit, *ibid.* * Filius naturalis, *ibid.*

bertum

bertum comitem de Menteth, fratrem dicti Johannis, poſtea ducem Albaniæ, conveniens reformatio ſive reſtitutio Marchianis læſis facta eſt. Tandem contigit quendam armigerum * cubicularium comitis Marchiæ D. Georgii de Dunbar tunc cuſtodis Eſt-Marchiæ, nundinas de Roxburgh inter ceteros viſitare; ubi ab Anglis exploratus eſt et occiſus. Propter quod comes Marchiæ deputatis ex parte Anglorum ſcripſit, ut interfectores armigeri ſui aut debitè punirent, aut eos ſibi mitterent; ſin autem treugas ullatenus non ſervaret: qui hoc facere planè negabant, reſcribentes ſibi deriſoriè, utpote de petitione ſua vel ſeipſo modicum curare. Sed, ſicut dicit poëta;

Irridens alios non inderiſus abibit.

Dictus comes ad tempus diſſimulavit; et in proximo feſto Sancti Laurentii, Anglicis ad nundinas de Roxburgh undique confluentibus, clàm collecto exercitu, ſummo mane villam circumſeſſit; quam inopinatè funeſtis gladiis Scoti intrantes, omnes Anglos mares à majore ad minimum occiderunt. Et ſi qui in ſolariis vel domibus firmioribus defenſionem fecerant, taliter eos depræliabantur, quòd nequaquam eos ad deditionem, ſed ad internecionem, gladio aut igne humiliabant, auferentes eis pretioſa mercimonia et concupiſcibilia quæque infinita: tali namque juguludio Anglorum deriſionem comes illudebat. Abhinc ruptæ ſunt treugæ, et ex omni parte Marchiarum fiunt trucidationes, prædationes, depopulationes, concremationes et captiones, excedentes qualemcunque reformationem ſive reſpectuationem; quia tam acriter Marchiani rixantes in ira ſuccenſi ſunt, ut vel unum diem ſine damno alterutra pars adverſarios non paſſa eſt præterire.

Ob igitur ſanguinolentas nundinas de Roxburgh Anglici nimium exacerbati, incontinenti collegerunt ſe, et maximas prædas terrarum domini Johannis de Gordoun, qui principalis fuit cum comite ad nundinas, ſecum abduxerunt. Poſt quos ſtatim dominus de Gordoun cum valida potentia Angliam intravit, et majorem prædam duplo inde abigebat. De cujus adventu dominus Johannes de Lilburn miles præmunitus, collectis undique Marchianis dupliciter pluribus quàm Scoti, quorum viam ipſe Lilburn præoccupans, ad pugnam eos provocavit. Hinc inde acerbè decertatum eſt, ſed, vigoroſâ probitate domini Johannis de Gordoun ſuos viriliter animantis, victoria ſibi ceſſit apud Carram: et, capto domino Johanne de Lilburn cum fratre ſuo, et aliis quampluribus valentibus viris, multis etiam interfectis, et Scotis de ſpoliis eorum ditatis, tandem cum prædis et captivis feliciter ad propria revenerunt; non tamen ſine maxima difficultate et multorum admiratione. Nam dominus de Gordoun diverſis vulneribus ſauciatus, et quinque quaſi vicibus in illo conflictu devictus, ac in procinctu fugere cum ſuis propulſus, tandem ipſius ſolius cordatâ animoſitate, ſocii ſui de devincentibus reminiſcentes victoriâ ſunt potiti.

*Nomine de Dunbar, *MS. D. G. M.*

CAP.

CAP. XXXVIII.

De vili ſubterfugio domini Henrici de Percy.

D. Henricus de Percy, comes Northumbriæ, hujuſmodi Anglorum inforuniis plus quàm credi poteſt aggravatus, collegit ſibi exercitum ſeptem millium armatorum, ad deſtruendum et depopulandum univerſum comitatum D. Georgii de Dunbar; et in expeditione procedens uſque ad ſilvam de Duns, ibidem primâ nocte caſtrametatus eſt: ubi pauci de vernaculis, verletis et garcionibus Scotorum, de nocte ad exercitum Anglorum clanculò accedentes, cum ſonoris inſtrumentis pellium lignis extenſis, lapillos intra ſe continentibus, ſtrepitum horridum moventes, nobiliores emiſſarios et Anglorum equos deterrentes, fractis eorum ligamentis et frænis, loris ac habenis, invitis ſuis dominis, terram Angliæ præpropere petere compulerunt. Propter quod Angli inſomnes totâ nocte armis contecti, pedeſtres præſtolabantur Scotorum adventum timidi: ſed nihil unde formidare deberent proſpicientes, de mane lanceas in ſcapulis ferentes, non ſine magno dedecore, propria lætantiùs deriſi petierunt. Laudandi ſunt tales adoleſcentes vernaculi, qui de tali juperdia fuerunt proviſi, quâ tam immanis exercitus perterritus fugam, nemine impellente, compulſus eſt arripere: quorum laus ex ore CASSIODORI procedit, ſcribentis ſic in epiſtola et dicentis; "Ars bellandi, ſi non præ"luditur, cùm neceſſaria fuerit non habetur. Diſcat ergo miles in "otio quod perficere poſſit in bello. Animos ſubito ad arma non "erigant, niſi qui ſe ad ipſa idoneos, præmiſſâ exercitatione, diſponant. "Geſtiunt vituli certamina, quæ impleant ætate robuſtâ: catuli in no"vellis venationibus ludunt. Sic animi hominum, niſi priùs leniter "fuerint imbuti, ad hoc quod tendunt, idonei nequeunt reperiri. "Primordia cuncta pavida ſunt, et aliter timiditas non tollitur, niſi "cum rebus neceſſariis novitas abrogatur."

Eo tempore quo Henricus Percy ad Duns, ut præmiſimus, acceſſit, ſibi dominus Thomas de Muſgrave miles, cuſtos Bervici, cum potentia armatorum ad ſubſidium acceſſurus occurrit. Cui, latens in abditis, ex inſidiis erupit dominus Johannes de Gordoun, cum inferiori tamen potentia et ex improviſo, cujus ſubitâ apparitione Muſgrave cum ſuis circumventus et nimium perterritus, fugam iniit; ſed non valuit: quia ipſo ab inſequentibus Scotis capto, cum valentioribus ſuis, et quibuſdam interfectis, ceteris captis et fugatis, mirabilem victoriam de ipſis triumphator Gordoun eſt adeptus. Eâdem tempeſtate multos et victorioſos aſſultus exercuit de Anglis, et expertus eſt in Weſt-Marchia, dominus de Johnſton, necnon et alii valentes Scotigenæ; qui, quaſi quotidie de inimicis prævalentes, magnificè triumphârunt: quorum geſta commemorabiliora, etſi non omnia, ſingillatim ſcriptis commendare, quanquam non militaribus, aliis tamen lectoribus delicatis eccleſiaſticis tædium generaret.

CAP. XXXIX.

De obitu Sanctæ Brigittæ dominæ de Swecia.

ANNO Domini MCCCLXXII. ventus Sancti Nicholai, qui eccleſias et domos, turres et quercus diruens ſolo complanavit. Eodem anno coronatio dominæ Euphemiæ reginæ, filiæ domini Hugonis comitis Roſſenſis, ſolenniter facta apud Sconam, per miniſterium epiſcopi Abirdonenſis: ex qua generavit filios, ſcilicet Walterum comitem Atholiæ dominum de Brechyn; qui poſtea convictus fuit de proditione regis Jacobi primi, et propterea tractus, ſuſpenſus, eviſceratus, et ſectus, et membra ſua apud Edinburgh et Perth pro monſtro elevata, et adhuc inibi dependentia. Genuit etiam regina David comitem de Strathern.

A. Dom. MCCCLXXIII. in craſtino Sanctæ Mariæ Magdalenæ, obiit domina de Suecia, Sanctiſſima Brigitta, quæ dicitur ſponſa Chriſti per totum librum ſuum revelationum. Fuit enim domina Nericiæ et de Vaſten de regno Sueciæ, ex nobili proſapia regum Gothorum progenita. Cujus pater Bergerus, mater Ingeburgis, ſponſus Ulfo, filius Carolus nuncupabantur. Quem Carolum Willelmus de Lindeſay de Birez miles, ad ſanctum ſepulchrum, cinxit in militem: de cujus anima fuit coram Chriſto judice maxima altercatio inter noſtram Dominam et Diabolum, ſicut patet cap. xiv. libri VII. revelationum. Hæc domina Brigitta, viſione imaginariâ et intellectuali, in oratione, vigilans et non dormiens, ſæpiſſimè rapta, et in ſuavi exſtaſi poſita, vidit revelationes divinas totius operis maximi libri ſui, qui dicitur *Liber Revelationum Brigittæ:* quæ etiam claruit Romæ viginti quinque annis, tempore ſummorum pontificum, viz. Clementis VI. Urbani V. et Gregorii XI. tempore cujus Gregorii Romæ feliciter obiit, in craſtino S. Mariæ Magdalenæ. De his ſummis pontificibus habuit ſpeciales revelationes à Chriſto, prout habetur in libro De Summis Pontificibus: qui ſæpiſſimè ad eam, in honore et reverentia, quibus decuit, venerunt, et ipſius, immò Dei, conſilium per eam requæſierunt. Incepit autem habere revelationes A. D. MCCCXXXVIII. Cui revelata eſt à Chriſto una regula novæ religionis, quàm ipſe Dominus inſtituit, quæ in bullis, papalibus, Sancti Salvatoris regula nuncupatur: quam confirmavit Urbanus ſextus, qui ipſam etiam canonizavit, et qui immediatè ſucceſſit Gregorio XI. Revelatus etiam fuit ei, in viſione ſenſibili Romæ ſermo Angelicus, in domo cardinalatûs quæ eſt in contiguo eccleſiæ Sancti Laurentii in Damaſo. Ibi enim apparuit ei angelus, corporaliter miſſus à Chriſto, pronuncians eidem ſermonem prædictum; qui eſt de excellentia virginis Mariæ, qualiter fratres et ſorores ejuſdem religionis haberent de iis lectiones legendas in matutinis: quem librum ipſa tranſumpſit ex ore ejuſdem Angeli. Hæc domina Brigitta ſemel equitans ad caſtrum ſuum de Vaſten, rapta ſpiritu in illo inſtante incorporavit totum librum quæſtionum, qui eſt elucidarium plurium dubiorum; et quia ita effectualiter remanſit in corde ejus, ac ſi in tabula marmorea totus inſculptus fuiſſet: quem ſtatim ſcripſit in lingua materna, et conſequenter magiſter Matthias de Suecia, ſacræ theologiæ profeſſor, canonicus

canonicus Lincopenſis ejuſdem confeſſor in Latino. Sciendum eſt igitur, quòd hæ revelationes ſunt quaſi epiſtola, vel litera Dei, miſſa huic periclitanti mundo, ad impetrationem glorioſæ virginis Mariæ, matris miſericordiæ, et omnium Sanctorum, ad innoteſcendum mundo iram Dei graviſſimam ſibi jam imminentem, propter peccata plus ſolito invaleſcentia, tam inferiorum quàm ſuperiorum; quia inferiores jam vacant maledictionibus et perjuriis, comeſſationibus et ebrietatibus, fornicationibus et adulteriis, ac aliis horrendis peccatis. Superiores verò ſtudent nocte et die circumvenire ſubditos ſuos, omnibus modis quibus poſſunt, ut auferant eorum bona, et inducant novas ſubtilitates, adinventiones et exactiones, quatenus color prætenſæ rationis eorum poſſit elevari, et communitas ſubtiliter ſuppeditari. Et ideo dicit Chriſtus, ſicut in libro revelationum extravagantium habetur, Quòd antiquitus, tantùm regebantur regna, quando talis eligebatur in regem, qui et novit, et ſcivit, et potuit regere juſtè; et ſic fieri voluit. Nunc autem regna non ſunt regna, ſed puerilia deliramenta et latrocinia; quoniam ſicut latro inquirit modos, loca et tempora quomodo inſidietur et obtineat lucrum, et non notetur, ſic et nunc inquirunt reges, principes et prælati adinventiones, quomodo ratio eorum elevetur, et pecuniæ imburſentur: qui et libentiùs faciunt juſtitiam, ut obtineant bonum temporale; ſed non diligunt juſtitiam, ut mercedem obtineant ſempiternam. Ideo Sapiens ſapienter dixit; "Væ terræ cujus rex puer "eſt:" qui delicatè vivens, et delicatos habens aſſentatores, de profectu communitatis nihil anguſtiatur. Hæc ibi. In ſequenti capite habetur; Quòd propter hujuſmodi aggravationes, quas faciunt ſuperiores in ſuis ſubditis, omnes Sancti jam petunt vindictam ſuper eos, et etiam ſubditi ſui, tam hi qui ſunt in terra, quàm illi qui jam ſunt in Purgatorio. Habetur etiam libro VII. quomodo juſtitia clamat vindictam ſuper principes et prælatos, ac eorum ſubditos, propter eorum peccata, ac oblivionem charitatis et paſſionis Chriſti; cùm quaſi jam nemo cum amaritudine et compaſſione recordatur, ſed ad delectabilia mundi ſe convertit. Propterea, ut ibi ait Chriſtus, mittam adhuc per te verba oris mei, hoc eſt, verba hujus voluminis; qui ea non audierint condemnabuntur cum illis qui partiti ſunt veſtimenta mea.

CAP. XL.

Epiſtola comminatoria Turcorum miſſa domino Papæ.

ANNO Domini MCCCLXVI. epiſtola exſtitit Turcorum miſſa domino Papæ, inſinuans devaſtationem Alexandrinæ civitatis et aliarum multarum inſularum, per Venetos ipſorum dominio ſubditarum; quarum caput fuit Petrus rex Cypri; cujus tenor ſequitur:

MORBASSANUS Hyelem Hyeſſem Confrabus Colàbius Juzevahyth, imperatores collaterales, pugiles in partibus Achaiæ, domino magno ſacerdoti Romanorum juxta merita dilectionem. Nuper auribus noſtris innotuit, quòd vos, ad preces et poſtulationes populi Venetorum, in baſilicis veſtris publicè facitis divulgari, quòd quicumque arma ſumpſerit contra nos et noſtros, ſuorum in hoc ſeculo peccatorum remiſſionem accipiet:

accipiet: quod oculatâ fide concepimus, per adventum quorumdam peditum crucifixorum, qui nuper in Venetorum navigiis transfretârunt. Propter quod vehementer cogimur admirari; quia, dato quòd à Summo Tonante vobis esset data potestas absolvendi vel ligandi, tamen ad hoc nullatenus procedere deberetis, maximè Italicos, crucis charactere insignitos, super nos inducere; cùm latens amor nos incitet ad dilectionem ipsorum; quia ipsi et ipsorum magnates à Trojanorum sanguine processerunt; quorum auctores veraciter scimus, Antenorem et Æneam, de magni Priami sanguine fuisse progenitos. Et, secundùm promissiones quas à diis nostris nostri habuisse noscuntur, Trojam magnam in partibus Asiæ intendimus restaurare, ulciscique sanguinem Hectoris et Ilionis ruinam, nobis omnia Græcorum imperia subjugando; et deæ nostræ Fortunæ furtum punire in transgressorum heredes. Idcirco prudentiam vestram attentè requirimus et rogamus, qualiter epigrammatibus vestris, per terras Italiæ missis, ad instantiam supradicti populi Venetorum, imponatis silentium; non provocantes ampliùs contra nos, sub pietatis specie, populum Christianum, cùm nullam guerram propter * credulitatis differentiam habeamus: et, prout audivimus, neminem potestis invitè ad credulitatem compellere. Cùm enim nihil nobis referat si Christum vestrum colatis, quia et nos ipsum fuisse verum reputamus prophetam; loca vestra, ubi sanctuaria vestra sunt, per nos minimè possidentur; immò per populos Judæorum, quos semper exosos habuimus et habemus: quia, prout in chronicis et antiquis historiis audivimus, ipsi proditoriè, per invidiam, eundem Christum vestrum et prophetam tradiderunt Hierosolymis præsidi Romanorum; quem in crucis patibulo mori fecit: et populus noster Turcorum innocens fuit mortis et injuriæ Christi vestri. Si autem lis, vel discordia aliqua, orta est inter nos et populum Venetorum, hoc accidit quia ipsi nullo justitiæ muniti colere, neque sub Cæsaris nomine vel alicujus monarchæ, cui ex lege antiquâ temporalia sunt concessa, sed suâ temeritate et superbiâ quasdam marinas insulas et alia, quæ sunt, ut suprà diximus, nostro repromissa imperio, à nobis tyrannicè subjugârunt. Quod tollerare non possumus, cùm fatorum tempus nostræ repromissionis instet. Idcirco admirari compellimur, cùm prædictus Venetorum populus sit alienus à vita et moribus Romanorum, quia nec se suis uniunt legibus, nec juribus continentur, sed se solos existimant omnibus circa se jacentibus populis meliores: quorum vesanam superbiam, cum Dei summi Jovis auxilio, deducemus ad terram. Propter quæ et alia, potestis et debetis merito desistere ab incœptis: alioquin, si ab incœptis vestra prudentia non desistat, curabimus, sumpto domini Argani auxilio et alium Orientalium regum et principum, qui simulant hodie se dormire, quorum muniti præsidio trahemus à finibus acies copiosas, per quas non solum contra vos et vestros prædictos cruciferos resistemus, sed etiam contra Romanorum agmina, et Gallicanam militiam, ambitione circumflatam vovimus pertransire. Sed et Septentrionalem plagam, præsertim Thraciam et Dalmatiam, proponimus visitare. Datum anno magni Machometi septingentesimo† cum mirabili modo Chalden, juxta leges Emoritas.

*Cur nullam guerram præter crudelitatis doctrinam habeamus, *editio H. et MS. Cupren. errore manifesto.* † Errâtur in numero anni.

CAP.

CAP. XLI.

Copia bullæ Gregorii Papæ XI. excommunicantis omnes rapientes bona epiſcoporum decedentium.

GREGORIUS epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, ad futuram rei memoriam. Paſtoralis officii debitum, cui, diſponente Domino, præſidemus, expoſcit ut ad ea, per quæ eccleſiarum ac perſonarum eccleſiaſticarum ſtatui ſalubriter conſolatur, ſollicitis ſtudiis, quantum poſſumus, intendamus. Nuper ſiquidem relatione fide dignâ percepimus, quòd olim nonnulli reges Scotiæ, prætextu cujuſdam, ut aſſerebant, conſuetudinis, quæ dicenda erat potiùs corruptela, omnia res ac bona mobilia, quæ epiſcopi dicti regni exiſtentes tempore ſui obitûs obtinebant ſeu poſſidebant, eiſdem epiſcopis decedentibus, de facto recipientes ac uſurpantes ſibimetipſis, ac appropriare temere præſumebant. Et quòd, licet olim claræ memoriæ David rex Scotiæ, dum ageret in humanis, piè conſiderans, quòd hujuſmodi conſuetudo abuſiva et deteſtabilis exiſtebat, eam aboleri decreviſſet, ac eam penitùs revocâſſet et ſuſtuliſſet, ac mandâſſet illam de cetero nullatenus obſervari: ac poſtmodum cariſſimus filius noſter Robertus rex Scotiæ illuſtris, prædicti David ſucceſſor, hujuſmodi revocationem et mandatum approbâſſet et confirmâſſet, tamen nonnulli ejuſdem regis officiales, et alii quandoque, prætextu dictæ conſuetudinis, et nomine dicti Roberti regis, quorundam epiſcoporum et prælatorum in dicto regno decedentium bona rapere, et cameræ dicti regis, vel aliis uſibus, appropriare præſumpſerint hactenus, ut præſumunt. Nos igitur attendentes, quòd noſtra intereſt ſuper his de remedio opportuno providere, ac volentes hujuſmodi præſumptuoſis auſibus, quantum cum Deo poſſumus, ſalubriter obviare; præſentium tenore diſtrictiùs inhibemus omnibus et ſingulis perſonis in dicto regno conſiſtentibus, ne prætextu prædictæ deteſtandæ conſuetudinis, immò veriùs corruptelæ, aliqua bona cujuſcunque epiſcopi vel prælati, in prædicto regno decedentis, recipere, vel quoquomodo uſurpare præſumant. Nos omnes et ſingulos, qui de cetero, contra hujuſmodi inhibitionem noſtram, bona aliquorum epiſcoporum vel prælatorum dicti regni deinceps decedentium, rapere vel uſurpare præſumpſerint, etiamſi hujuſmodi præſumptores regali vel quâvis aliâ præfulgeant dignitate, ſententiam excommunicationis incurrere decernimus eo ipſo: à qua nullatenus, præterquam in mortis articulo, poſſint abſolvi, niſi priùs bona, per eos ſic recepta vel uſurpata contra inhibitionem hujuſmodi, illis quibus de jure debebuntur integrè reſtituerint cum effectu. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ inhibitionis et conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraïre. Si quis autem, &c. Dat. Avinione, xiv. Kal. Aprilis, pontificatûs noſtri anno quinto.

CAP. XLII.

Copia literæ regis David abnegantis bona hujuſmodi, et prohibentis ne quis ſibi illa uſurpet.

DAVID Dei gratiâ rex Scottorum. Notum facimus univerſis, quòd, licet ex conſuetudine ab antiquis introducta temporibus, et continuata uſque ad præſens, per nos et prædeceſſores noſtros exſtiterit, tanquam pro privilegio ſpeciali, ſervatum, quòd bona quæcunque mobilia epiſcoporum regni noſtri, tempore mortis ipſorum, regiis ſic applicata ſint uſibus, quòd ab ipſis epiſcopis, in ſuis teſtamentis condendis, ſuper bonis diſponendis hujuſmodi omnino fuerit hactenus adempta facultas: quia tamen, tam per cleri noſtri, quàm aliorum de noſtro conſilio prudentiam, ſumus jam veris et lucidis rationibus informati, quòd conſuetudo hujuſmodi ceſſit hactenus, et in poſterum cedere manifeſtè dinoſcitur, in indecentiam honeſtatis eccleſiæ, et in opprobrium ſtatûs cleri; Nos, ob reverentiam Divini nominis, et ad inſtantiam prælatorum ſuper hoc nobis inſtanter ſupplicantium, et de conſenſu et aſſenſu Roberti Seneſcalli Scotiæ, nepotis noſtri, et liberorum ſuorum, necnon aliorum baronum et procerum, ac trium communitatum regni noſtri, in pleno noſtro parliamento tento apud Perth, pro nobis noſtriſque heredibus et ſucceſſoribus, de gratia noſtra ſpeciali, concedimus, et præſentium literatum ſerie confirmamus, quòd omnes et ſinguli epiſcopi regni noſtri, tam poſteri quàm præſentes, de quibuſcunque mobilibus ſuis tempore mortis ſuæ ſua teſtamenta condere valeant, et pro ſua voluntate diſponere, ſine aliquo objectu, contradictione vel impedimento; dictâ conſuetudine ſive uſu longævi temporis in contrarium non obſtante. Terris tamen, redditibus, dominiis et ſervitiis quibuſcunque ipſorum epiſcopatuum, cum pertinentiis, necnon juribus patronatuum eccleſiarum, quæ ad regaliam noſtram pertinere conſueverant et adhuc pertinent, ſede vacante, et omnibus et ſingulis aliis, præter expreſſa ſuperiùs, juri regio voluntatique et diſpoſitioni noſtræ, heredum ac ſucceſſorum noſtrorum, in omnibus et per omnia reſervatis. Et ſi contingat aliquem ipſorum epiſcoporum regni noſtri aliquo unquam tempore, quod abſit, ab inteſtato decedere, Volumus, et tenore præſentium concedimus, pro nobis et noſtris heredibus et ſucceſſoribus in perpetuum, quòd amici propinquiores dictorum epiſcoporum de univerſis ſuis bonis mobilibus abſque quocumque impedimento, per nos aut miniſtros noſtros faciendo, diſponant pro ſuæ libito voluntatis, prout pro ſalute animarum ipſorum epiſcoporum meliùs viderint expedire. Et propter præfatam gratiam, ipſis epiſcopis præſentibus et futuris conceſſam, ipſi et eorum ſinguli, ac ſucceſſores eorumdem, pro nobis in vita noſtra, et, poſt mortem, pro anima noſtra, et anima recolendæ memoriæ domini patris noſtri, necnon pro ſalubri ſtatu cujuſlibet heredum et ſucceſſorum noſtrorum, dum vixerint, et animabus eorumdem cùm ab hac luce migraverint, in cathedralibus eccleſiis continuè unum capellanum perpetuum, in qualibet cathedrali eccleſia conſtituendum, unam miſſam facient imperpetuum ſpecialiter celebrari, præter miſſas et alia orationum ſuffragia, ad quas et quæ nobis, anteceſſoribus

et

et ſucceſſoribus noſtris ex debito jam tenentur. In cujus rei teſtimonium has literas noſtras, ad perpetuam rei memoriam duraturas, ſigilli noſtri authentici fecimus appenſione muniri. Teſtibus Roberto Seneſcallo comite de Stratherne, nepote noſtro ſupradicto, Johanne Seneſcallo comite de Carrik filio ſuo primogenito et herede, Thoma comite de Mar, Georgio de Dunbar comite Marchiæ, Willelmo comite de Douglas.

CAP. XLIII.

De combuſtione villæ de Pennir, et victoria de Anglis per Scotos facta.

ANNO Domini MCCCLXXVIII. maximum ſchiſma in Romana eccleſia oritur, et continuatur inter viciſſim contendentes per ſexaginta octo annos et ultrà, uſque electionem Martini V. Eodem anno, in feſto Sancti Adamnani ſive Teclæ virginis, combuſtio magnæ eccleſiæ Sancti Andreæ, horâ magnæ miſſæ, ex incuria plumbarii reſarcientis rimulam tecturæ plumbeæ navis eccleſiæ cum plumbo calefacto, ſive ignito, deſcendente ad nidum nicticoracis, nodulæ vel cornicis, eundem incendente, ac inextinguibilem rogum ſuccreſcente.

Eodem anno, paulo ante feſtum Sancti Andreæ, infra treugas ſeptem duntaxat valentes vernaculæ Marchiæ ceperunt furtivè caſtrum de Bervic, quorumdam nomina ſunt, Lieghert, Artwod, Gray, Hog, Hempſede, Jak de Fordoun, et alii duo *. Hoc anno natus eſt David dux de Rothſaia, nono Kal. Novembris.

An. Dom. milleſimo trecenteſimo octageſimo, dominus Willelmus comes de Douglas admodum commotus, quòd comes Northumbriæ attemptavit in Scotiam exercitum hoſtiliter ducere, et congregavit ſibi electorum numerum viginti millium armatorum, et in feſto nundinarum villæ de Pennir improviſè villam circumcluſit, ipſamque captivis, mercimoniis et mobilibus bonis inæſtimabilibus ſpoliavit, evacuavit et combuſſit, ac ſuos inde magnificè ditavit: quibuſdam etiam inibi Scotis ſuâ propriâ culpâ in villa relictis, fortè vino debriatis, et ab Anglis captivatis. Sed et factum eſt, ut dum Scoti ſitirent lucrum, pervenirent ad inſolabilem luctum, quia infra ſua ſpolia in regno ſuccrevit epidemia, quâ quaſi tertia pars regnicolarum eodem anno eſt extincta; quæ apud nos tertia mortalitas eſt dicta. Ob igitur præmiſſas ſtrages per Scotos Anglicis illatas, nimium ipſi Anglici conturbati collegerunt de Cumbria quindecim millia armatorum, et pertranſeuntes fluvium de Sulwey, hoſtiliter Scotiam intraverunt, cæde undique invadentes, villas comburentes, et greges ac animalia colligentes. Quod occidui Scoti et compatriotæ attendentes, et pro bonis ſuis animas propriis manibus committentes, prout res et tempus popoſcerant, quingenti, vel eo circa, armatorum in unum convenerunt, et adverſus tam immanem exercitum, in quodam arcto loco, ſubitò de abditis prorumpentes, ſibi in facies, uſque ad conjunctionem lancearum, cum valido clamore reſtiterunt: ubi multis interfectis, capti ſunt de Anglis tricenti quadraginta, quàm maximâ etiam eorum multitudine fugatâ, et apud Sulwey ex-

* Quos propterea omnes facit decapitari comes Marchiæ, quia prætendebat caſtrum à ſe fore aſſecuratum ſpecialiter, *addit MS. Cupr.*

tinctâ

tinctâ et ſubmerſâ. In hoc poſſunt bellatores practicam elicere, ut, cùm acies ſint in procinctu belli, tunc clamoroſas voces emittere: quia, ut ſcribit VEGETIUS, lib. III. cap. xviij. De re militari, "Clamor, "quem barritum vocant, priùs non debet attolli, quàm acies utraque "ſe junxerit. Imperitorum enim vel ignavorum eſt vociferare de "longè, cùm hoſtes magis terreantur, ſi, cum telorum ictu, clamoris "horror acceſſerit. Pars enim victoriæ eſt inimicum turbare antequam "dimices." Hoc etiam anno, ex caſu, incenſum eſt monaſterium de Abirbrothoc, ſicut etiam aliàs ut patet ante libro x. cap. xxx.

CAP. XLIV.

De ambaſſatoribus miſſis regi Franciæ.

ANNO Domini MCCCLXXI. rex Robertus ſolennem ambaſſatam, viz. dominum Walterum Wardlaw cardinalem Glaſguenſem epiſcopum, &c. domino Carolo Francorum regi, cum plena commiſſione, miſit, ad renovandas ligas inter regna ab antiquo initas et confectas; cum quibus reſcripſit rex Franciæ ſuas literas in Gallico, hujuſmodi tranſlatas ſub tenore in Latinis:

KAROLUS Dei gratiâ rex Franciæ. Univerſis præſentibus et futuris notum facimus, quòd, ſicut inter alia opera per quæ reges regnant et gubernantur regna, conveniens eſt et neceſſarium, quòd firmæ amicitiæ fœdere principes annectantur, per quod gravamina infeſtare volentium firmiùs refrænentur; pax etiam et tranquillitas eorum ſubditorum providè ſequatur: Nos conſiderantes, quòd amicitiarum confœderationes benevolæ, à longo tempore, inter prædeceſſores noſtros reges et regnum Franciæ necnon reges et regnum et communitates Scotiæ, firmatæ ſunt et connexæ; volentes inſuper, ſummopere ipſas renovari, teneri, ſervari, et firmiter ſolidari, cum venerabili in Chriſto patre epiſcopo Glaſguenſi amico noſtro, Archibaldo de Douglas milite dicti regis Scotiæ conſanguineo, et magiſtro Adam de Tyningham decano Abirdonenſis eccleſiæ, tanquam procuratoribus et nunciis noſtri cariſſimi et dilecti conſanguinei Scotorum regis, habentibus auctoritatem, poteſtatem et mandatum ad hoc faciendum ſpeciale dicti noſtri conſanguinei, ut in forma ſequenti;

ROBERTUS Dei gratiâ rex Scotorum. Notum facimus univerſis, quòd cùm quædam confœderatio amicitiæ inter illuſtres reges Franciæ et avum noſtrum ac nos, populumque ipſorum et noſtrum, ab olim facta fuerit et inviolabiliter diutiùs obſervata; Nos cupientes eam futuris temporibus firmiter perſiſtere, damus et concedimus per præſentes dilectis et fidelibus conſiliariis noſtris, videlicet, venerabili patri Waltero epiſcopo Glaſguenſi, Archibaldo de Douglas conſanguineo noſtro, et Jacobo de Douglas militibus, necnon magiſtro Adæ de Tyningham decano eccleſiæ Abirdonenſis præſentium exhibitoribus, et tribus aut duobus eorundem, de quorum circumſpectione et fidelitate plenam habemus fiduciam, poteſtatem plenam, liberam et generalem, ac mandatum ſpeciale, dictam confœderationem, pro nobis, prælatis, proceribus et communitate regni noſtri Scotiæ, renovandi, ampliandi, et, ad ipſius meliorationem et obſervationem firmiorem, punctos et articulos addendi.

di, noſque, dictos prælatos, proceres et communitatem regni noſtri, ad obſervationem ipſius renovationis et ampliationis punctorum et articulorum additorum, tam per juramenta in animam noſtram præſtanda, quàm aliter, obligandi, etiamſi mandatum exigat ſpeciale: ita tamen quòd præfatus rex Franciæ, vel aliquis alius vel alii, poteſtatem ſufficientem ab eodem ad hoc habens vel habentes, conſimilem renovationem, ampliationem punctorum et articulorum additionumque, per omnia et in omnibus, nobis faciat vel faciant, et ad conſimilem ipſorum firmam obſervantiam ſe nobis obliget, per omnem modum ſupradictum: Ratum et gratum habentes et habituri, quicquid dicti epiſcopus, Archibaldus, Jacobus et Adam, vel eorum tres aut duo, fecerint in præmiſſis, aut quolibet præmiſſorum. In cujus rei teſtimonium præſentibus literis noſtrum fecimus apponi ſigillum. Dat. apud Sconam, ult. die menſis Maii, anno Domini milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo primo, et regni noſtri anno primo.

Nos tractavimus et accordavimus, modo qui ſequitur, videlicet quòd nos, heredeſque et ſucceſſores noſtri reges Franciæ, regnum noſtrum et communitates noſtræ, necnon dictus noſter conſanguineus rex Scottorum, heredeſque et ſucceſſores ſui, regnum et communitates ejuſdem, lineâ unionis et amicitiæ bonâ fide aſtricti et obligati ſumus ad invicem, quòd inantea nos faciemus, dabimus et procurabimus auxilium, conſilium et confortationem in omnibus quibus poterimus, ſicut fideliter in alterutrum alligati. Et quia rex Angliæ, et prædeceſſores ejus, ſæpiùs conati ſunt omni ſuo anniſu gravare et damnificare dicta regna Franciæ et Scotiæ; ad refrenandum et impediendum dictos conatus et gravamina ſupradicta, nos ad invicem ligati ſumus et obligati, quòd omni tempore, quo dictus noſter conſanguineus rex Scotorum, heredes ſui aut ſucceſſores reges Scotiæ, regnum aut communitates ipſius indigeant auxilium vel conſilium, in tempore pacis vel guerræ, contra regem Angliæ, heredes ſuos, ſucceſſores aut ſubjectos, nos auxiliabimur, conſilium dabimus, in quantum poterimus, ſicut fideliter confœderati dicto noſtro conſanguineo, heredibus et ſucceſſoribus ſuis regibus Scotiæ, regnoque conſimiliter et communitatibus ejus.

Item, ſi mota vel movenda fuerit guerra inter nos vel ſucceſſores noſtros reges, vel regnum Franciæ, et regem Angliæ vel ſucceſſores ejuſdem, dictus noſter conſanguineus rex Scotiæ, heredes ſui et ſucceſſores tenebuntur obligati, omnibus ſuis viribus, ad movendam guerram dictis regi Angliæ, heredibus ſuis et ſucceſſoribus in regno ſuo Angliæ, quàm citò de hujuſmodi guerra incepta poterit ſcripto ſufficiente, relatione veridicâ, vel voce communi certificari: treugis tamen præſentibus, inter Scotorum et Angliæ regna captis, expletis et finitis, ſeu aliis quomodocunque adnullatis et fractis, defectu Anglorum. Et conſimiliter nos, et ſucceſſores noſtri reges Franciæ, tenebimur ad faciendam guerram omnibus viribus noſtris contra regem Angliæ, heredes ſuos, ſucceſſores, et regnum Angliæ, quàm citò certificari poterimus, ut ſupradicitur, de guerra priùs cœpta inter reges Scotiæ et Angliæ; finitis tamen treugis ſupradictis, vel aliàs, ut præmittitur, qualitercunque fractis vel adnullatis. Item quòd nos, heredes noſtri aut ſucceſſores reges Franciæ, non patiemur, nec aliquâ viâ ſuſtinebimus, aliquos de noſtris

ſubjectis facere vel dare quodcunque auxilium, conſilium vel favorem prædictis regi Angliæ, heredibus ſuis aut ſucceſſoribus, auxiliatoribus, vel confœderatis ejuſdem: nec ſecum ire, vel in ejus adjutorium ſtipendiari, vel ſine ſtipendio quacunque viâ, quæ ſibi poſſit prodeſſe, vel quibuſcunque aliis perſonis, inimicis, adverſariis, vel rebellibus dicto conſanguineo noſtro Scotorum regi, heredibus vel ſucceſſoribus ſuis, regno ſuo aut communitatibus ejus, vel aliàs inferentibus gravamen, præjudicium, vel damnum eidem conſanguineo noſtro, ejus regno vel communitatibus ejuſdem. Et ſi, poſt inhibitionem, vel defenſionem, generaliter ſuper præmiſſis factam, aliquis de noſtris reus fuerit inventus, ille qui fecit, vel contra facit, capietur, et, tanquam proditor aut rebellis contra principem et patriam ſuam, punietur, nunquam de hujuſmodi proditione gratiam, favorem aut remiſſionem habiturus.

CAP. XLV.

De eodem.

ITEM, quòd adverſarii et notorii rebelles noſtri, vel ſucceſſorum noſtrorum regum Franciæ, vel dicti conſanguinei noſtri Scotorum regis aut ejus regni, nullo modo, vel in aperto aut privato, recipiantur infra regnum vel dominium alterius, quàm citò et abhinc, quo unus de reliquo requiratur: ſed ſervabimus et procurabimus, juxta poſſe noſtrum, amicos noſtros, confœderatos, et omnes nobis adhærentes, ad dilectionem et adjutorium dicti noſtri conſanguinei Scotorum regis et ſuorum ſucceſſorum, ac regni et communitatum ejuſdem: necnon ipſorum vituperationem, dedecus, opprobrium et jacturam impediemus, juxta poſſe. Item, quòd non poſſumus capere treugas cum rege Angliæ, heredibus, vel ſucceſſoribus ſuis, ſine conſenſu dicti conſanguinei noſtri regis Scottorum, heredum ac ſucceſſorum ſuorum, donec ipſe rex regnum ſuum, et ejuſdem communitates, infra ipſas treugas comprehendantur; niſi vel ipſi renuerint infra eaſdem comprehendi. Item, quòd non poſſumus facere pacem cum rege Angliæ, heredibus ſuis aut ſuceeſſoribus, ſine expreſſo conſenſu dicti noſtri conſanguinei, donec ipſe conſanguineus noſter rex Scotiæ, heredes et ſucceſſores ſui, ipſius regnum et ejuſdem communitates infra ipſam plenariè comprehendantur.

Item, in caſu quòd dictus noſter conſanguineus rex Scotiæ decedat ſine herede de ſuo corpore procreato, oriri poterit debata inter nonnullos de jure ſucceſſionis hereditatis regni Scotiæ; in hoc caſu non auxiliabimur uni eorum, neque per noſtros eorum aliquem vel aliquos patiemur adjuvari; ſed tolerabimus diſcuſſionem hujuſmodi debatæ fieri per prælatos et alios majores regni Scotiæ, ſecundùm leges, jura et ſtatuta ejuſdem regni. Et ipſum, quem major et ſanior pars approbaverit pro rege, nos conſimiliter habebimus pro rege, eundem pro noſtro confœderato acceptaturi. Et ſi aliqui adverſariorum ſuorum poteſtate regis Angliæ, heredum aut ſucceſſorum ſuorum, moverint guerram contra ipſum, nos, juxta omnem noſtram poſſibilitatem ipſum ſuſtinebimus et defendemus contra dictos ſuos adverſarios et adhærentes, ſecundùm confœderationis formam prænotatam.

Item

Item procurabimus, quòd hæc confœderatio ratificetur, et auctoritate Apoſtolicâ confirmetur. Item quòd nec nos, nec ſucceſſores noſtri, in aperto vel privato, per nos ſive alios, faciemus vel procurabimus nos, aut ſucceſſores noſtros, regnum noſtrum, aut ſubjectos noſtros abſolvi de juramento facto, vel fiendo, ſuper obſervatione, conſervatione et continuatione ejuſdem. Quòd ſi ſanctiſſimus pater Apoſtolicus, ſive propriâ voluntate, vel proprio motu, ſive inductione aliarum perſonarum quarumcumque, velit nos, vel ſucceſſores noſtros, noſtrum regnum, aut ſubjectos noſtros de juramento præmiſſo abſolvere, vel ipſum juramentum adnullare; nos tamen, ſucceſſores vel ſubjecti noſtri non poterimus, nec debebimus, quacumque viâ uti beneficio hujuſmodi abſolutionis, ſed tenebimus et fideliter obſervabimus iſtam confœderationem in omnibus punctis ſuis, ſine fraude vel malo ingenio quibuſcumque pro perpetuo; nunquam facturi vel dicturi aliquid in contrarium ejus, ac ſi talis abſolutio vel adnullatio nunquam habita vel data fuiſſet.

Et omnia ſupradicta, et quodlibet eorum, in quantum nos vel partem noſtram tangere poterunt, bonâ fide promiſimus ſervare, tenere et perimplere: et etiam in præſentia noſtra, et procuratorum dicti noſtri conſanguinei Scotorum regis, per dilectum liegium militem et conſiliarium noſtrum Simonem comitem de Brayne, in animam noſtram ad ſacra Dei Evangelia, pro præmiſſis fideliter perimplendis, fieri fecimus juramentum. Et ut hæc omnia in futuris firma ſint et ſtabilia, præſentibus ſigillum noſtrum apponi fecimus. Datum et actum in caſtro noſtro de Boys Vincennis juxta Pariſius, ultimo die menſis Junii, anno Gratiæ milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo primo.

Anno Domini milleſimo trecenteſimo octageſimo ſecundo, occiſus eſt dominus Johannes Leonis de Glammis miles, camerarius Scotiæ, per dominum Jacobum de Lindeſay dominum Buchaniæ et Crawfurd. Eodem anno obiit dominus Alexander Lindeſay peregrinus Hieroſolymitanus, in inſula de Candey.

CAP. XLVI.

De dominatu ruſticorum in Anglia, et fuga ducis Lancaſtriæ in Scotiam.

EOdem anno, paulo tamen ante miſſionem ambaſſatæ regis Scotorum ad Franciam, ob diverſa infortunia, damna et diſcrimina Anglis per Scotos illata, deſideraverunt treugas cum Scotis connectere. Propter quod miſerunt nobilem et magnificum principem dominum Johannem Gaunt ducem Lancaſtriæ ad Marchias, ad tractandum de trevarum pace: qui, apud oppidum de Berwik, cum deputatis Scotiæ tractavit pro trium annorum treugis. Et dum ipſe auſtrales partes Angliæ repeteret, innotuit ſibi à dicentibus, quomodo multitudo ruſticorum apud Londonias inſurrexit contra novum regem Richardum ſecundum, et eum vi et manu validâ arreſtaverunt, et apud ſe cuſtodiæ mancipaverunt: quinetiam die captionis ejus archiepiſcopum Cantuariæ, et diverſos inclitos milites ac barones crudeliter trucidârunt, ipſiuſque ducis inclitiſſimum palatium ſive manerium de Sabay ſolo tenus deſtruxerunt; et quòd eum præ cunctis mortalibus odio habuerunt. Quorum ruſticorum

dux

dux et ductor fuit quidam ſtolidus, ceteris ruſticis animoſior, ſed et moribus ruſticior, Jak Stro nomine, calliditate acclivus, et ad omne malum expeditus.

Quod audiens dux Lancaſtriæ timuit, quia ruſticos de ejus morte conſpiratos audivit; habenas ad Scotiam quantociùs reflexit, et ad comitem de Carrik, principem et primogenitum regis Scotiæ, pro aſſecurantia et receptione ſtandi pro tempore infra regnum Scotiæ ſcribendo humiliter ſupplicavit. Cujus petitioni favorabiliter annuens princeps præmiſſus, miſit dominum Willelmum comitem de Douglas, et Archibaldum de Douglas dominum Galwidiæ, cum honorabili potentia, ad conitinerandum eum à Marchiis ad Scotiam, ſuper prinpicis ſalva gardia, licentiâ regis priùs petitâ et obtentâ. Qui primâ nocte eum ad villam de Haddington conduxerunt, et in craſtino apud monaſterium S. Crucis ipſum cum ſuis militibus et clientulis honorificè locaverunt; ac, dum in regno hoſpes ſtetit, ibidem ipſum cum ſuis humaniter tractaverunt; et non ſolùm expenſas, ſed et regalia xenia, ab univerſis plagis terræ hinc inde ſibi diverſi proceres et prælati, burgenſes et alii tranſmiſerunt. Diſcurſo namque aliquoto tempore, miſit rex Angliæ Richardus nuncium ipſi duci Lancaſtriæ, præcipiens ſub feſtinatione eum repatriare debere, pro eo quòd diſperſa fuit ac devicta poteſtas illa ruſtica per induſtriam cujuſdam valentis militis, præſidis, ſive majoris, tunc temporis Londoniarum; quem præ ceteris ad partem ſuam ruſtici flectere ſatagebant. Qui ſtatuto certo die, ut conventum fuerat inter eos, quòd ruſtici præſentialiter adducerent regem ad certum locum infra civitatem, et ſi rex præciperet ipſi majori, quòd eis obtemperaret, mandatis ſuis nullatenus differret obedire; ſin autem, quid facturus eſſet ad ulteriores inducias aviſaret. Ruſtici de hujuſmodi promiſſo exhilarati, audacter regem conſpectui ejus præſentare diffiniunt, nihil timentes propter ipſorum elatam proterviam et innumerabilem multitudinem.

Ad locum igitur et diem præfixos, rege degeneribus villanis accincto, et majori civitatis per Jak Stro manualiter præſentato, de ipſis obediendo præfectus impetitur; et, viſo ſuo liegio rege, cor majoris acriori irâ turgeſcens, et ſeipſum præ cordis tumore cohibere non valens, Jak Stro rapidè in medio ſuæ multitudinis circumſeptum aggrediens, unico ictu pugione transfodit et ad terram proſtravit, privatumque protinus vitâ feliciter eviſceravit. Quo ſic proſtrato, præſes urbis concives ſic admonet, dicens; " Ambrones occidite, fures ſuſpendite, proditores " percutite, et civitatem hanc regiam de ruſticis eliminate." Ad cujus clamorem nobiles et cives, qui, reſpectu ruſticorum, pauciſſimi erant, ſpatis et pugionibus evaginatis, ruſticos percutiunt, vitam cum cerebro excutiunt, et reliquos in fugam propellunt. Fugiunt itaque milleni et centeni quò ſpiritûs impetus aliquorſum hac illacque quemque ducebat. Victoriam itaque aulici de ruſticis adepti, de ipſis acerrimam cædem faciunt: nonnullos etiam fugatos infra ſtricta et arcta loca obſidentes, nequaquam illinc abſceſſere, priùs quàm ipſi incluſi vel colla vincienda fablonibus, reſtibus, vel catenulis traderent amplectenda.

CAP.

CAP. XLVII.

De captione caſtri de Lochmaban.

INtolerabilis eſt ruſticorum dominatus; quia, ſicut ait quidam,

Aſperius nihil eſt miſero cùm ſurgit in altum.

Et ideo quàm citò ſurrexerint, domandi ſunt, ne prævaleant; dicente HIERONYMO: Dum parvus, inquit, eſt hoſtis, interime; ut nequitia elidatur in ſemine. Hoc innuit poëta, dicens;

Principiis obſta: ſerò medicina paratur,
Cùm mala per longas invaluere moras.

Nunquam propterea ruſtico dederis poteſtatem tui; quia eſt de ruſtico, ut de cane, de quo dicitur;

Ablue, pecte canem; canis eſt, et permanet idem.

Sed adhuc ruſticus degenerior eſt cane, quia faventi ſibi canis favet; non ſic ruſticus, quia

Ungentem pungit, pungentem ruſticus ungit.

A ruſticis tranſeamus, et ad inclitorum ſtrenuitatem ſtilum vertamus.

Anno igitur Dom. milleſimo trecenteſimo octageſimo quarto, finito termino treugarum pro tempore competenter obſervatarum, Archibaldus de Douglas dominus Galwidiæ, attendens homines ſuos Galwidienſes innumera damna per caſtellanos Anglos de Lochmaban perpeſſos, ſuorum motus pietate, aſſociavit ſibi duos comites, viz. de Douglas et de Dunbar, (cui comiti de Dunbar competiit proprietas eo tempore ejuſdem) poſtquam inſtructus fuerat ipſum caſtrum eſſe omnino defenſoribus et victualibus deſtitutum, et cum armata manu valida caſtrum obſeſſit. Cujus facti ſubitatione, cuſtos ejuſdem D. Willelmus Fethirſtane miles attonitus, et ob carentiam tam defendentium, quàm victualium, conſternatus, ſcripſit literas dominis et deputatis Marchiæ ex parte Anglorum, ut ſibi neceſſitate coacto celeriùs ſubvenirent. Qui ſibi conſuluerunt, ut per octo dies caſtrum teneret, et ſive de facto vel aliàs cum Scotis paciſcens, ſi nonâ die ſuccurſum non reportaret, ſeipſum meliori modo quo poterit defenſaret. Super quo Scotis inſinuavit infra octo dies ſe ſuccurſum accepturum, vel eiſdem caſtrum, ſalvis ſibi vitâ et membris ac mobilibus rebus, redditurum. De cujus reſponſo Scoti contenti, obſidionem intermiſerunt quoad aſſultum, nihilominus in maxima tempeſtate pluviæ et grandinis uſque ad nonam diem circa caſtrum, ne quid eis inferretur, obſervantes ſeſe continuerunt. Quo die, ſciz. quarto die Februarii, ut condictum erat, ob defectum ſuccurſûs, caſtrum ipſum cœperunt, et ad terram continuò proſtraverunt.

Audientes verò Angli deditionem caſtri de Lochmaban, Scotis aſſignatam, pro conſervatione reliquorum caſtrorum et munitionum Marchiæ præcaventes, inter cetera, ad cuſtodiam caſtri de Roxburgh deputaverunt valentem virum, armis ſtrenuum et potentiâ præeminentem, baronem viz. de Grayſtock; qui cum carris et bigis, ac diverſorum generum evectionibus, utenſilia, arma, et domicilia ſua plurima

ſatis ac pretioſa, cum brachio forti, ad caſtrum præmiſit: ac ipſe pedetentim cum electa militia, ad conſervandum et defendendum, præmiſſa ſubſequens incidit in manus domini Georgii de Dunbar comitis Marchiæ, de ſuo adventu præmuniti, et, non ſine grandi conflictu, multis Anglorum interfectis, apud Benrig captus fuit, et arreſtatus. Præmiſſis igitur utenſilibus ad caſtrum de Dunbar, ubi aulâ et majori camerâ tapetis et ornamentis ipſius baronis decenter ornatis, et ipſe hoſpes cum comite veniens, commenſalis ad cœnam eâdem nocte deputatus de vaſis ſuis aureis et argenteis ſatis lautè ſibi ſerviebatur. Multis ac multimodis hujuſmodi infauſtis contrarietatibus circa idem tempus Anglis contingentibus, rex Angliæ Richardus ſecundus, adhuc juvenis, et omnis terra ejus cum eo conturbati, apud ſe dixerunt; "Si dimitti-"mus ſic Scotos apud nos debacchari, tollent nobis locum et gentem; "et ideo viriliter obviandum eſt eis ex adverſo." Et quia, præ ceteris, viribus et potentiâ tunc temporis præcellebat dictus dux Lancaſtriæ, patruus regis, ipſum ad hoc electum cum poteſtate fulcita compulit rex ad invadendum Scotiam, et ad univerſam terram, uſque ad mare Scoticum, ferro et igni caſtigandum: qui juſſui regis ſui obtemperans, Scotiam cum grandi exercitu, in hebdomade pœnoſa, anno Domini milleſimo trecenteſimo octageſimo quinto intravit: ſed propter Scotorum curialitatem, ſibi perprius exhibitam, quanto minus potuit, malum eis ingeſſit.

CAP. XLVIII.

De vindicta Anglis illata per beatum Columbam.

EO etiam tempore, claſſis ejus piratica applicans in Forth apud Leth victualia exercitui afferebat, duce tunc apud Edinburgh exiſtente, et ſuos, villam comburere volentes, nequaquam fieri patiente, quanquam propterea burgenſes favorabili ſummâ pecuniæ promiſſâ, et poſtea ſolutâ, villam redimerunt. De præmiſſa claſſe una notabilis bargia centum et quadraginta, ut dicitur, armatorum, applicuit ad inſulam monaſterialem Sancti Columbæ de Æmonia, et omnibus ornamentis eccleſiæ et loci utenſilibus inibi ab eiſdem deprædatis, quidam filii Belial de præmiſſis prædis minimè contenti appoſuerunt manus ſacrilegas, ſicut et de facto fecerunt, ad comburendum eccleſiam monaſterii: cui ex parte aquilonali aſſedebat quædam longa domus obliqua, quæ lacunar ſive teſtudo, vulgariter autem *To-fall* à pleriſque nuncupatur, arido contecta bruerio, quæ, ad odorem ignis, citò redacta eſt in favillam. Cujus quidem teſtudinis ſummitati tectura lignea eccleſiæ parumper imminebat. Inter enim ipſius chori tectum et parietem, ob expulſionem Boreæ, et ejus ventorum collateralium, Aquilonalis viz. et Cori, interpoſita fuit materies tranſparens, et parietem tranſiliens, compaginata ſatis et compacta, bruerii arifacti, quæ, per violentiam ignis de teſtudine aſſilientis, tanquam cibus ejus paratior, uſtillata et ignita apparuit manifeſtè illis qui ad Portum, et ultra fretum apud Bunhill, quaſi innumerabiles utriuſque ſexûs, tam ſpectabilium quàm mediocrium perſonarum, eventum rei de longè ſpectantes, et quaſi circumauſpicantes eccleſiam funditùs deperire: quorum quidam potentiæ Sancti Columbæ

cœperunt

cœperunt derogare. Quidam tamen eorum, quorum mens ſanior erat, ſentientes cum illo OVIDII Triſtium;

Nil itaque ſublime ſuperque pericula tendit;
Non ſit ut inferius ſuppoſitumque Deo?

Solo tenus proſtrati Sanctum intentè precabantur, quòd eccleſiam ſuam, ſicut potens erat, à combuſtione ſervaret illibatam, ut perinde celebriùs nomen ſuum attollatur. Mira res! dictâ citiùs hac prece ventus aquilonaris, fomentum priùs præbens igni, in momento ſe retorſit, quo ſcintillas ignivomas lanceis inimicorum et ſudibus per faſciculos et fagotas incenſas, quaſi vim paſſas, et repercuſſas trans fretum populus ad oculum deprehendit. Unde voces ac manus ad cœlum tendentes, Deum in Sanctum ſuum glorificaverunt, qui tam potenter vim igneam repreſſit, ut eccleſia ſua, tam imminenti periculo ſuppoſita, diſpendium in nullo pateretur. Sed vide quid ſequitur: illi iidem veſpiliones, ſarcinulis prædalibus onerati, navem repetierunt, et ad Portum-reginæ in Laudonia ſtatim applicuerunt; necnon ad prædandum maritima de beſtiis eſibilibus ibidem depaſcentibus ſeſe mox dederunt; alii villam auſtralis Portûs-reginæ igni ſuppoſuerunt, et ad navem cum ſpoliis et prædis feſtinantibus, ſubitò eis improviſis apparuerunt tres nobiles milites Scotigenæ, duo viz. fratres uterini, Thomas et Nicolaus Erskine, et Alexander de Lindeſay, habentes ſecum quaſi quinquaginta equites ab oriente, et dominus Willelmus Conyngham de Kilmauris, ut dicitur, cum triginta equitibus ab occidente venientes, qui conflictum cum ambigenis inierunt: quorum illico nonnulli occiſi, alii captivitati et deditioni recepti, alii inſuper ad bargiam effugati, rapacitatis et incendii pœnas mox luerunt. Nam quadraginta et ultra de eis, principaliter qui S. Columbæ infeſti fuerunt, ad navem fugientes, et, pro ſuccurſu, reſtem navalem anchoræ affixam amplectentes, et in eadem ſic circumplexi pendulo reptantes, iſto modo perierunt. Nauclerus namque, cum duobus vel tribus excubias navis obſervans, et ferocitatem Scotorum ſocios ejus inſequentium ultra modum formidans, arreptâ in manibus ſecuri, funem ad proram connexam acriter proſcidit: et ſic ſuis ſociis omnibus, funi affixis, immerſionis et mortis occaſionem dedit et occaſum. Et, ad augmentum miraculi, ibi contigit, ut præcipuus operarius et incenſor eccleſiæ, et intentator incendii et ſacrilegii, in ſanctuarium Sancti Columbæ, ut præmittitur, commiſſorum, in comitiva dicti domini Willelmi de Conyngham captivus ducebatur. Qui, dum itinerando ſecum proficiſceretur, ſtatim in furiam verſus, et arreptitius effectus, Scotos cœpit pugnis cædere, et ipſos de equis ad ſolum furibundus proſternere, dentibus ſtridens, et vociferans; "O Sancte "Columba! incendis, et te nimis vindicem erga me oſtendis." Quo ſic nimium ſæviente, vix ab omnibus potuit arreſtari. Sed et cur ſic rapidè operaretur allocutus, reſpondit; "Meritò hæc patior, quia pec- "cavi in Sanctum Columbam. Ego ſum qui feci, ego qui iniquè egi, "qui teſtudinem eccleſiæ ejus incineravi; et etiam eccleſiam totam "combuſſiſſem, ſi mihi facultas affuiſſet: nam cùm incendium bruerio "inter tectum et domicilium obſtructo applicarem, iraſcibiliter Sanctus "apparens infulâ abbatiali redimitus, flammam et focum diſperſit et "extinxit;

" extinxit; quinetiam barbam et palpebras meas ſemiuſtas quâdam " volatili ſcintillulâ, ut cernitis, conſignavit." Et hæc dicens, rugitum immanem immiſit, ita ut audientes et videntes tabeſcere faceret et horrere; quin etiam tres equites diſcurſu devio in tantum deſævit, ut, nunc hunc nunc illum proſternens, à furia de facili non quibat ab omnibus cohiberi, donec violenter manibus impeteretur, et transfoſſus gladiis in quodam bivio, prope villam de Donypace ſubterraretur. Remanſit dux hoſtilis tunc in Scotia per decem dies.

CAP. XLIX.

De ammiraldo Franciæ, et exitu ejus in Scotia.

EOdem anno * caſtrum de Berwic denuo captum eſt de nocte, menſe Septembris, per Scotos. Circa idem tempus Papa Gregorius XI. ſcripſit bullam ſuam Scotiæ, continentem in ſe ſententiam excommunicationis rapientium vel uſurpantium bona epiſcoporum decedentium, prætextu cujuſcunque conſuetudinis vel corruptelæ: cujus copia ſcribitur cap. xlj. hujus libri.

Eodem anno etiam dominus Walterus de Wardlaw epiſcopus Glaſguenſis factus eſt cardinalis; capillo rubeo ſibi à domino Papa miſſo, cum bullis papalibus; ac etiam Apoſtolicæ ſedis legatus à latere Papæ ordinatus, ad regna Scotiæ et Hiberniæ, cum plena poteſtate ſpecialiter deputatus. Quo in tempore Willelmus comes de Douglas potentialiter, et partim tractatu, ſuſcepit totam Thevidaliam ad fidelitatem et pacem regis Scotorum; quæ invariabiliter Anglicis adhærebat à bello de Durham uſque tunc. Et paulo poſt, eodem anno, idem comes infirmitate ſubitâ tactus, moritur apud caſtrum ſuum de Douglas, et in Melros honorificè ſepultus. Cui ad comitatum et hereditatem ſucceſſit filius ejus dominus Jacobus de Douglas, miles acerrimus, et Anglis ſemper infeſtiſſimus: qui iteratos exercitus duxit in Angliam, comburens et depopulans, et omnia uſque ad Novum-caſtrum devaſtans. Quo in anno, ſciz. Domini MCCCLXXXV. rex Franciæ ultra creditum exhilaratus de felicibus et fortuitis caſibus Scotis contra Anglos contingentibus, ad ſubſidium et recreationem ipſorum, miſit ſtrenuiſſimum ſuum militem, in armis expertum, Johannem de Viene comitem de Valentinoſa, ammiraldum Franciæ, Burgundum natione, cum duobus millibus armatorum proborum, de quibus octingenti milites banerati erant, et vexilla levantes centum et octoginta: de quibus viginti ſex barones; et, præter eos, ducenti albaliſtarii, cum aliis valentibus armigeris et bellatoribus ducentis et quadraginta advecti omnes. Quibus in menſe Maio apud Dunbar et Leth applicantibus, terram Laudoniæ petiere: ubi magnatibus et defenſoribus regni, propter hoc de conſenſu regis apud Edinburgh congregatis, obtulit, ex parte et donativis regis Franciæ, quadringenta paria armorum, ſive armaturas, cum totidem lanceis, et aliis apparaturis diverſis placentibus et pretioſis, unà cum quinquaginta millibus Francorum aureorum, ultra ſtipendia et victualia ſoluta et data ſtipendariis et nautis. Is igitur ammiraldus, in comitiva comitis

* Scilicet MCCCLXXXV. quum tamen Fordunus ipſe docuerit hoc contigiſſe anno Domini MCCCLXXXIV. HEARN.

de

de Douglas quaſi continuè cum ſuis reſidens et laborans, exercitus diverſis vicibus ducebant in Angliam: qui tria municipia, arte et ingenio Francorum, viz. Werk, Forde et Cornval, ſuper marchiam Angliæ conſiſtentia, interim manu forti ceperunt, et ad terram proſtraverunt. Dehinc ammiraldus cum ſuis Francis Archibaldum de Douglas, dominum Galwidiæ et gardianum Weſt-Marchiæ, adiit, et cum eodem Angliam hoſtiliter, cum magna potentia, intraverunt; ubique quo approximabant vaſtantes, et ſine reſiſtentia Anglorum terram depopulantes. Tandem in redeundo ad oppidum de Carlele divertentes, ad ipſum expugnandum machinas expoſuerunt. Sed in ſe reverſi, et propoſitum mutati, ne viz. videretur ammiraldus liegios regis Franciæ periculo ſupponere, habenas retorſerunt, et abhinc revertentes, et totam juventutem ac florem militiæ regni, ad quadraginta millia congregantes, ad obſidendum caſtrum de Roxburgh unanimiter confluxerunt. Quorum capitaneus fuit dominus Robertus Stewart, filius regis, ac comes de Fife, habens ſecum commilitones comites de Douglas et Marchiæ, Archibaldum de Douglas dominum Galwidiæ, et alios prudentes proceres et ſatrapas animoſos. Inter quos quæſtio exoritur ſolvenda de difficili, viz. Si caſtrum induſtriâ Francorum acquiratur, an perpetuò debeat regi Francorum et uſibus ſuis converti? Sed propter hujuſmodi quæſtionem, infecto negotio ab invicem receſſerunt; quia magnates Scotiæ hujuſmodi petitioni nullatenus conſentire, nec Franci aliter laborare, decreverunt.

CAP. L.

Quomodo rex Richardus II. intravit hoſtiliter Scotiam, et combuſſit monaſteria.

FRanci ſic per tres menſes egregiè cum principibus et proceribus Scotiæ, circa guerricam expeditionem, laborantes, eorum exhauſtis marſupiis, circa feſtum omnium Sanctorum, aſcenſis navibus, Gallias petierunt.

Eodem anno, et paulo antè, circa feſtum S. Laurentii, rex Angliæ Richardus ſecundus ægrè ferens Scotos et Francos tam atrociter terram ſuam deprædare, et municipia ſua affilire et ad terram proſternere, exercitum collegit grandem, et intravit Scotiam, ætate tunc novemdecim annorum, in multitudine ſuperba progrediens, omnia circumquaque perdens, et nihil ſalvans; templa Dei et ſanctuaria religioſorum, monaſteria viz. Driburgh, Melros et Newbottel, ac nobilem villam de Edinburgh, cum eccleſia Sancti Ægidii ejuſdem, voraci flammâ incineravit: et, deſtructione permaximâ factâ per eum in Laudonia, ad propria ſine damno repatriavit.* Eodem anno ego ipſe, qui hæc compegi, qui in primis quinque libris intitulatus ſum ſcriptor, de utero matris meæ natus ſum in mundo.†

* *Addit MS. Cupr.* Combuſſiſſet præterea honorabile monaſterium Sanctæ Crucis, ſi non fuiſſet ſibi diſſuaſum per ducem Lancaſtriæ ſuum patruum, qui in eo antè refugium neceſſitatus adinvenit, dum in ipſo perhendinavit, quando, ut prædiximus, ruſticorum feritatem declinavit.

† *Additur ibid.* In villa de Hadington, utinam hinc mundus tranſiturus de mundo. Cum jam me in annis conſtitutum eſſe recognoſco. Quotidie morior, cum quotidie demitur aliqua pars vitæ meæ; quinque ætates hominis pertranſivi, et, ut mihi videtur, uſque ad heſternum quicquid tranſit temporis perit: ſed et hunc ipſum diem, quem ago, cum morte divido.

Mirandum non modicum eſt, qualemcunque regem Chriſtianum velle de facili conſentire ad ſuccendendum quæcunque Chriſtianorum hoſpitia, multo minus hoſpitia et ſanctuaria ipſius Dei; et hoc propter diverſa. Primò, quia hoc eſt peccatum Diabolicum, Diabolus enim in inferno igne impungat animas; ſic faciunt incendiarii in mundo: et ideo multum verendum eſt, ut cùm tales aſſimilentur Diabolo in facto, quòd eidem aſſocientur in tormento. Multum degenerat regem talia pati fieri vel præcipere; quia quanto excellentior perſona, tanto vilior cenſetur, ſi ſuſcitet incendia; quia cùm ſufflatores ignis in ſervitio hominum ſunt elixæ et ſcutellarii, ſufflatores ignis in ſervitio dæmonum quomodo non erunt viles perſonæ? Unde ad id deventum eſt, ut ipſe idem rex Richardus II. qui olim, in florenti majeſtate ſua, ſtipatus turmis militum et multitudine clientum, Salomoni magno in expenſis æquiparabatur, tandem carceres evadens, inſulas Scotiæ petens, cognitus eſt à quodam fatuo, qui in ſua curia ante hoc educatus fuerat, et inventus in culina, tanquam vilis elixa, Dovenaldi domini Inſularum. Secundò, illud peccatum multum impedit à ſalute auctorem ſuum, propter reſtitutionem rei incenſæ, quam opportet facere; et propter maledictiones quæ fiunt ei quando pauper homo, cujus domus incenditur, habet aliquem defectum occaſione illius incendii, utpote videt parvulos ſuos lugentes in alieno hoſpitio, ipſe maledicit ei qui domum ſuam combuſſit; quæ maledictio defert incendiarium in ignem æternum, niſi condignâ pœnitentiâ et reſtitutione præmiſſâ relevetur; quia ſacræ Scripturæ credendum eſt, ubi dicitur, "Maledicentis tibi in amaritudine animæ "exaudietur deprecatio: exaudiet autem eum qui fecit illum." Eccles. IV. Ad idem XXXV. ejuſdem: "Deprecationem læſi exaudiet "Dominus: non deſpiciet preces pupilli; nec viduam, ſi effundat "gemitus loquelam. Nonne lacrymæ viduæ ad maxillam deſcendunt, "et exclamatio earum ſuper deducentem eas? A maxilla enim aſcen-"dunt uſque ad cœlum, et Dominus exauditor non delectabitur in illis."

Combuſſiſſet præterea rex Richardus honorabile monaſterium Sanctæ Crucis, ſi non fuiſſet ſibi diſſuaſum per ſuum patruum ducem Lancaſtriæ, qui in eo antè refugium neceſſitatus invenit, dum ruſticorum, ut prædicitur, ferocitatem declinavit.

Anno Domini MCCCLXXXVII. obiit dominus Walterus Wardlaw epiſcopus Glaſguenſis, cardinalis et legatus: quo etiam anno obiit domina Euphemia regina Scotiæ.

CAP. LI.

De quadam antiqua carta, et probitate domini Willelmi Douglas de Nyddiſdale.

POST reditum itaque regis Richardi ad Angliam, dominus Robertus Stewart, regis ſecundò genitus ac comes de Fife, congregavit ſibi de electis in univerſo regno triginta millia armatorum, cum quo erant domini Jacobus de Douglas comes, et Archibaldus de Galweia: qui Sulwey-ſandis proſperè pertranſeuntes, inter montana et maritima exercitum cautè, et quaſi imperceptibiliter, ducebat uſque ad Cokirmouth, per terram fertilem et inhabitatam, per terram fructiferam et locupletam,

per

per terram à diebus domini Roberti de Bruce regis à Scotis non invaſam et inexpetitam: in quam quidem terram captivos, præda et ſpolia, per tres dies continuos Scoti colligentes, non fuit inter eos tam invalidus, quin, niſi noluiſſet, manus bonis opimis replere potuiſſet. Ubi, inter alia deprædata, ad manus dicti domini Roberti capitanei exercitûs, oblata eſt quædam carta antiquiſſima, magno ſigillo cereo conſignata, continens tenorem ſubſequentem: " *I kyng Adelſtane giffys here to* " *Paulan Oddam and Roddam, als gude and als fair, as evir thai myn* " *war: and tharto witnes Mald my wyf.*" Unde et ipſe poſtmodum, quando dux erat Albaniæ et gubernator Scotiæ, dum coram eo à contendentibus in judicio prolixiores obligationes, vel cartæ, legerentur, dicere ſic ſolitus erat: Credo quòd major fides et fidelitas illis diebus ſervabatur, quando tam compendioſa ſcripta fiebant: (allegatâ per eundem literâ regis Adelſtani permiſſâ;) quam nunc, quando, per tam longa ſcripta, frivolis exceptionibus ac protelatis ambagibus per novos noſtros cauſidicos, literæ cancellatæ ſunt.

Eodem tempore erat dicto domino Archibaldo de Douglas filius quidam naturalis, juvenis ætate, ſed ceteris præcellens probitate, Willelmus nomine, qui indefeſſè, tam per terram quàm per mare, Anglos infeſtabat. Hic homo niger erat colore, non multùm carnoſus, ſed oſſoſus; formâ giganteus, erectus et procerus, ſtrenuus et affabilis, dulcis et amabilis, liberalis et lætus, fidus et facetus. Hic Anglos undique tam potenter depreſſit et timoroſos reddidit, ut contra eum, ſæpiùs terram eorum vaſtantem et infeſtantem, non auderent duo millia congregi quingentos vix habentem; quia tam vigoroſus dicebatur, ut quemcunque, percuſſione clavæ vel gladii, aut pulſu lanceæ, attigerat, ad terram mortuus, vel qualicunque armaturâ ſuffultus vix ſemivivus caderet ſupinatus. Nam cùm ipſe ſemel, niſi cum pauca familia, de Karlelio incendiſſet ſuburbia, apud antemurale ſtans ſolus, ſuper pontem elevabilem et tornatilem de aſſeribus fabrifactum, vix duos pedes in latitudine continentem, fortiſſimum pugilem oppidi interfecit, et alios duos ſibi non impares, peroptimè armatos, ſub pedibus ſuis clavâ, quam manu geſtabat, contrivit et dejecit: et ad ſuos abhinc procul, cum oppidanis rixantes, illæſus occurrit, et ipſis, qui pauci erant reſpectu Anglorum, eos acriter impugnantium, ſuccurſum celerem contulit et ſolamen. Alio tempore, cum octingentis plano bello devicit Anglorum tria millia, quorum ducentis in campo occiſis, ſecum ad Scotiam captivatos duxit quingentos.

CAP. LII.

De eodem.

IGitur, propter ipſius ubique prædicabilem probitatem, dominus rex Scotiæ ſibi tradidit in matrimonium dominam Ægidiam filiam ſuam, juvencularum ſpecioſiſſimam, et cum eadem, ſibi et heredibus inter ſe procreandis, dominium de Nyddiſdale perpetuè poſſidendam. Tam elegantis formæ et præſtantiſſimæ facetiæ fuit hæc domina, et pro tali in remotis regionibus habita et collaudata, quòd Chriſtianiſſimus rex Franciæ, auditâ ipſius famâ, miſit ſecreto modo pictorem ſubtilem ad protrahendum

protrahendam effigiem virginei ſui vultûs, proponens eam ſibi aſſumere in uxorem: ſed antequam pictor ad Scotiam pervenit, ab alio ſuo amatore, dicto viz. domino Willelmo Douglas, præventa fuit et eidem matrimonialiter copulata: de qua genuit unicam filiam, quæ nunc ſupereſt, olim domino Henrico ſecundo de Sancto-Claro, panitario regis, comiti Orchadiæ deſponſatam, de qua ipſe genuit Willelmum comitem ejuſdem, adhuc ſuperſtitem, et filios ac filias.

Eodem tempore et anno ſciz. Domini MCCCLXXXVIII. dominus Robertus comes de Fife, unà cum dicto domino Archibaldo de Douglas, patre iſtius domini Willelmi, congregaverunt exercitum copioſum, et Angliam hoſtiliter intraverunt. Paululum ante hoc, dictus dominus Willelmus navigio cum quingentis bellatoribus Hiberniam adiit, ut ibidem Anglos debellaret: et ad Karlynford, oppidum firmiſſimum et muratum, anchoras fixit, et ad terram deſcendit; ubi intrepidè ad unam portarum urbis aſſultum fecit. At illi qui deintùs erant * ſub dolo ſecum tractaverunt, ut oppidum aſſecuraret, et eis pacem concederet, et propterea certam ſummam pecuniæ ſibi dare polliciti ſunt. Qui, ut erat gratioſus, de pace compoſuit, et ab extra juxta maritima circa pecora et victualia ad navigium fulcienda intentus, vix decipulam oppidanorum evaſus eſt. Nam ipſi clanculò miſerunt nuncium ad oppidum de Dundalk, non procul ab eis, petentes celeriùs auxilium ſibi exhiberi; promittentes per vim ‡ Scotos noſtros funditùs deperire. Propter quod octingenti equeſtres armati venerunt in craſtino de nocte ad Karlynford: quibus occurrunt Karlynfordenſes populoſè. Quibus adjunctis, perdere proponunt Scotos, qui numero† vix erant ad terram ducenti; quia defectum habuerunt de minutis cymbis et batellis ad tranſponendum reliquos de navibus, et, quòd deteriùs eis quaſi contigerat, hi ducenti in duabus parcellis ab invicem diviſi erant. Nam paulo ante miſit ammiraldus dominum Robertum Stewart de Duriſder, inclitum militem, cum nonnullis ſecum, ad vicinia deprædanda. De quorum diviſione Anglici cum ſuis Hibernicis Anglicatis informati diviſerunt ſe in duo; quorum major pars invaſit Douglas, quia plures ſecum erant, reliqui verò Hibernienſium dictum dominum Robertum. Sed, ut breviter concludamus, hinc inde taliter decertatum eſt, ut victoria Scotis cederet, unde villam accipiunt, ſpolia diripiunt, domos conclemant, caſtrum ſpoliant, et quindecim naves Hibernienſes in portu anchoratas univerſis bonis villæ onerant: quibus mirabiliter ditati, cum magna claſſe proprias partes petunt: et in redeundo inſulam de Man exſpoliant, et in portum de Lochriane in Galwidia terram Scotiæ repetentes ad votum applicant. Aſcenſis illico equis, dictus dominus Willelmus cum valentioribus de ſuis dominos comitem de Fife et patrem ſuum Archibaldum, eo tunc cum grandi exercitu in Angliam debacchantes et perhendinantes, accerſivit: ubi accolæ et novi hoſpites Scoti in unum convenientes, et de felicibus alterutrorum ſucceſſibus jocabundi confabulantes, ſic ſe unanimes continuerunt, donec eâdem nocte, vel in craſtino, nociviora nova eis patefiunt.

* Audita fama probitatis ejus, timuerunt, et ſub dolo, &c. *MS. Cupr.* † Numero electorum, *ibid.* ‡ *Al.* proinde *et* perinde.

CAP.

CAP. LIII.

De bello de Ottirburn.

DOminus enim Jacobus comes de Douglas promiſſum, ut quidam volunt, fecerat, ut in illo exercitu comitis de Fife, apud Weſt-Marchiam perſonaliter intereſſet. Sed, neſcio quo conſilio, retractus, collectis amicis et hominibus ſuis, ac ipſis recenſitis, inventus eſt habere ſeptem millia validorum bellatorum: quorum aſſiſtentiâ confiſus, et quia alti cordis præ ceteris tunc erat, videbatur ſibi de facili poſſe ſubigere totas boreales oras Angliæ; et, expeditionem verſus Auſtrum faciens, exercitum ſuum duxit inflammando et vaſtando uſque ad Novum-caſtrum. Ibi enim Scoti ſuum aſſultum facientes, et cum oppidanis manualiter decertantes, laudabiliter ac viriliter ſe habuerunt. Infra enim Novum-caſtrum tota militia Northumbriæ, ab urbe Eboracenſi, præſtolabantur cum domino Henrico Percy juniore, filio Henrici comitis Northumbriæ, *Henry Hatſpur* vulgariter nuncupato, acerrimo milite et ad prælia experto, exploraturi de Scotis avantagium aucupari. Dum verò comes de Douglas cum ſuis patriam propriam repeteret, dictus Henricus Percy explorari fecit exercitum comitis de Fife; ſed, quia multus erat, convertit ſe ad exercitum dicti comitis de Douglas, tunc apud Ottirburn in Riddiſdale caſtrametatum. Quum nihil mali de inimicis ſuſpicatus, ipſe comes de Douglas cum comitibus Marchiæ et Moraviæ duobus fratribus, et aliis quampluribus militibus et nobilibus, diſarmati induerunt ſe ſtolis et talaribus robis, in die viz. Sancti Oſwaldi cœnatum ſe diſponentes. Diſcumbentibus igitur illis, ſupervenit quidam Scotus inphalerato inſedens equo, attonitè ſatis clamitans omnes ad arma confugere, quia ſuper nos, inquit, accelerant inimici. Ad cujus vocem omnes à cœna reſurgentes, et ad tuitionem armorum convolantes, vix ſe ſimpliciter poterant armis communire.

Tam concitò igitur ad ordinationem belli dominus comes de Douglas ſe contulit, ut oblitus eſt ſua propria arma ſibi colligare. Propter quod de nocte lethaliter vulneratus in facie et cervice, neſcitur à quibus: unde de mane, proh dolor! mortuus eſt repertus, non relinquens poſt ſe heredem de corpore ſuo procreatum. Cui ſucceſſit Archibaldus Douglas dominus Galwidiæ ad comitatum de Douglas. Dominus etiam Johannes de Dunbar comes de Moravia, propter ſubitationem belli, oblitus eſt caſſidis ſuæ, ita ut capite quaſi nudo pugnavit in campo. Dominus itaque Henricus Percy decem millibus armatorum conſtipatus, exercitum ſuum in duo partitus eſt: uni parti præfuit ipſe, et dominus Radulphus frater ejus; alteram partem commiſit dominis Mauritio de Redmane et Roberto Ogil militibus, ad ſubvertendum pavilliones et tentoria: ipſe verò ad campum feſtinavit. Clamore igitur adventûs Anglicorum inter Scotos adaucto, Scotigenarum communitas fugam arripiunt, quam acriùs inſecuti ſunt Redmane et Ogil. At ubi pars Percy attendit Scotos qui ad ſarcinas erant fugientes, (ſuper quos ſubitò venit Redmane cum ſuis) et in viſibus fugæ quamplurimum delectaretur, putans ſe ſine reſiſtentia victoriam poſſe obtinere; comes de Douglas cum ſuis equos aſcenſi, inter frutecta et dumeta

contecti, et ad campum properantes, per aliquod tempus ab Anglis inviſi, tandem ſubitò juxta aciem Anglorum prorumpentes cum duodecim vexillis oppanſis, et ad ſolis reverberationem effulgentibus, paulo ante ejuſdem occaſum ab equis deſcendentes, Anglos imperterriti petierunt. At illi viriliter ex adverſo ter plures Scotis numero, lanceis ſe mutuò impetunt, et alterutros expugnare nituntur.

CAP. LIV.

De victoria Scotorum habita ſuper Anglos.

DUM igitur confligere inceperant, ſubitò quidam probatiſſimus miles validus et robuſtus, Johannes Swynton Scotus, ab ala aciei exiliens, et cùm alterutra pars ſeſe lanceis impeterent, ipſe lateraliter ab utraque parte modicum ſecedens, diram lanceam et oblongam cum vigore elevans, capita ferrata multarum lancearum Anglorum ex tranſverſo concutiens, ad unumquemque tactum terræ proſtravit. Propter quod Scoti primò Anglos ſuis lanceis penetrantes, vi validâ coactos retrocedere compulerunt. Cùm itaque aliquantiſper decertatum fuiſſet, Angli mox terga dederunt: ubi per totam illam noctem Scoti cædentes et inimicos perſequentes, ac captivos capientes; captus eſt Anglorum armiductor Henricus Hatſpur cum dicto fratre ſuo Radulpho: itaque quotquot ſine præſidio fugæ non occiſi, à Scotis vinciuntur, et captivi Scotiæ abducuntur in tanta copia, ut captivi captivantes numero excederent. Occiſi autem ex parte Anglorum mille et quingenti ab Anglis numerantur; plures etiam ex parte Scotorum occubuerunt. Inter quos nobilis comes de Douglas, et duo milites, viz. Robertus Hart et Johannes de Turribus occiſi ſunt. Dominus Willelmus de Londy ejuſdem, lethaliter vulneratus in facie querellâ, in feſto ſequenti Animarum fatis ceſſit. In craſtino verò S. Oſwaldi iſta nova aures comitis de Fife et exercitûs ſui aggraverunt, potiſſimè de morte comitis de Douglas: ſed de victoria Scotis conceſſa alacres effecti, glorioſè ad propria reverſi ſunt. Sed quia venerabilis vir, magiſter Thomas de Barry Scotus, canonicus Glaſguenſis, primus præpoſitus de Bothwile, de hoc bello, ſatis diſertè et metricè, carmina compegit, ne tam excellens opus evaneſcat, dignum duxit ipſum præſentibus ſcriptis commendare; cujus prologus ſequitur:

MUSA *refer fatum præſcriptum carmine vatum,*
Principians gratum frangere ſorte ſtatum.
Temporibus primis, probiorum corpora limis
Condebant imis prælia dura nimis.
Sed lacrymor ludens, nova bellica carmina cudens,
Mixtim concludens, metrificare ſtudens.
Schiſmata regnorum lacrimalia belligerorum
Deſiens binorum, cano carmina mixta dolorum.

INSULA *jam Britonum duo continet optima regna,*
Pacis quodque bonum quibus exulat arte malignâ.
Ex omni parte ſunt corpora diruta Marte.
Hîc pax vi cartæ non ſit, nec qualibet arte.

Hîc

Hîc pereunt gentes: hîc ſuccubuere potentes:
Hîc cives flentes plangunt et rure manentes.
Hîc ſunt algentes brumali tempore dentes.
Concutiunt mentes, trepidant ſine fine dolentes.
Hic pater et natus ſimul occidit enſe necatus.
Iſte cruentatus ruit, hic perit incineratus:
Iſteque prædatus, hic exulat, hic ſpoliatus:
Alter ditatus; luget alter pulvere ſtratus.
Anglos Scotigenæ gladiorum cuſpide frangunt.
Scotos Angligenæ flammarum caumate tangunt.
Quid facio? taceo: mala tot per regna dieſcunt.
Me quatio; ratio perit. Heu! guerræ juveneſcunt.
Gentes gaudentes victrices glorificantur,
Flentes, plangentes, devicti ſubpeditantur.
Quos angit, frangit illos nova guerra patenter:
Hos tangit, plangit bellum campeſtre recenter.
Ottirburnenſe bellum novitate recenſe:
Auguſti menſe gens plurima corruit enſe.
Vates linguoſi, trutinantes carmine fata,
Quæ cano bella data, darent eſſe fabuloſa.
*Quinta dies menſis, fuerat quæ Mercurialis,**
Agminibus denſis mors imperat exitialis.
Annis millenis, centum quater, hinc duodenis
Exceptis, plenis miſcentur gaudia threnis.

Explicit prologus, incipit bellum.

CUM ſol retrogradus, radiante calore, Leonem
Induit, hincque gradus ſub Virgine dans ſtationem,
Atque Gigas, lux quæ fuerat, Cancro dominante,
Diminuens Pigmæus adeſt; hoc tempore ſtante,
Magno† proborum tunc damno belligerorum
Per patrias horum ſuperant nocumenta priorum.
Integer exercitus Scotorum, heu! ſeparatur,
Dum ſunt diſperſi, ſua virtus debilitatur.
Maxima pars occidentem vaſtando peragrat:
Sed minor intrat orientem, ſic undique flagrat.
Unanimus ferit hic cuneus quos lædere temptat.
Caumate quos vaſtat hic facit exiguos.
Hic Jacobus fuit, ac Georgius, inde Johannes,
De Douglas, Dunbar comites, et Moravienſis.
Hunc cor exhilarat, et fulgida ſtella decorat;
Hunc Leo fortificat, roſa circumſtans et honorat:
Lilia tranſlata, tria pulvinaria lata,
Primitùs arma data ſtant‡ Moravienſia grata.
Scotica turba recedit, conſona ſemper obedit
His tribus; haud ibi redit, quin multos malè lædit.

*En certiorem temporis notam, quæ convenit diei v. Auguſti A. D. MCCCLXXXVIII. unde magis mirandum eſt Buchananum, alioſque qui hunc auctorem præ manibus habebant, adeo in die et menſe erräſſe. † *Magna proborum tunc dominorum belligerorum*, MSS. Col. Ed. Cupr. Perth. et Harl. ‡ *Sunt* pro *ſtant*, ibid.

Uſque

Uſque Novum macerant caſtrum, patrias peragrando.
Tecta, domos lacerant, patriotas damnificando.
Hîc patet in portis, geminando pericula mortis,
In fortem fortis feriens utriuſque cohortis.

De inſultu Novi-caſtri per Scotos.

JAM fragor armorum Scotorum mœnia ſternit,
Cernit et hic pugiles agiles, dum buccina clangit,
Frangit turma fores, modò res arctiſſima creſcit.
Ferveſcit parvis armis gens improba Scota.
Mota, ſed Anglorum lorum plebs laxat abundè.
Unde ſit inſultus ſtultus, probitate rependens,
Defendens muros duros gladius ferit ictus.
Conflictus fortis portis ſit, et hi jaculantur,
Rixantur, feriunt, pereunt haſtilia ſtracta,
Nacta per armatos elatos. Undique turbæ
Urbe petras jaciunt: faciunt quod machina tenſa
Intenſata tenet, donec cum murmure mortem
Fortem proſternat, cernat quæcunque loquatur.
Graſſatur rixa, conflixa ſagitta recedit,
Cædit, pugnantes laſſantes intùs et extrà.
Dextra tædet Martis partis cujuſque, ſed illa
De villa revocat, vocat, et Scoti retrocedunt,
Cædunt, decedunt, lædunt, et ab urbe recedunt.

Quomodo redierunt Scoti ad propria.

VILLAM linquentes, vexilla per arva ferentes,
Splendida pandentes redeunt patriam repetentes.
Ad fluvium Rede redeuntes hi requieſcunt:
Prorſus ab hac cæde velle non poſſe paveſcunt.
Hinc figunt varia tentoria, per canopæa,
Sed multifaria ſunt per campos Phariſæa.
Hi cœnam præparant, hi papilione quieſcunt;
Hi ſpoliarè parant, hi dormitare caleſcunt.
Exploratores majores ſive minores,
Nullos ante fores mittunt, ſunt deteriores.
His geſtis, peſtis nova fulminat ecce proborum
Conveniunt, veniunt gens bellica Saxonicorum.
Duxit et inſtruxit Percy multos probitate
Notos, ignotos, præclaros nobilitate.
Dixit et indixit cordatis prælia dura:
Scivit et aſcivit Scotorum bella futura.
Armetis, detis pugnam Scotis; fugitivi
Sunt, timidi, pavidi; capientur carcere vivi,
Et tuti ſcuti ſub tegmine ſunt ſpatiando,
Cedunt, decedunt, propriam patriam peragrando;
Laſſati, ſtrati, ſub papilione quieſcunt;
Vitant, dormitant, nihil ſub nube timeſcunt.
Invigilet, ſtrigilet mannos quilibet ſine lora;
Imponat, ponat, ſua quilibet arma decora,

Et

Et leviter, breviter prædones corde ſequamur;
Per dictos victos fugientes nos animamur.
Ridens, deridens Scotos, ſi corda ſuorum
Flammat et inflammat convivas belligerorum,
Dicens, indicens, Nunc ni ſitis animoſi,
Scoti commoti ſtabunt ſine fine jocoſi:
Flebit, languebit ſuccumbens Anglia triſtis.
Fatur et hortatur Anglos ſermonibus iſtis.

Quomodo Anglici procedunt ad campum.

ARMA petunt acies, diſponunt, bella minantur,
Ad Scotos facies vertentes confœderantur.
Terror non modicus fuit, abfuit omnis amicus;
Presbyter et laicus ſit Scotigenis inimicus.
Arcitenens arcus tendens, nonvult ſore parcus,
Tela ſagittarum limans ad vulnus amarum.
Jam reputant Scotos, ab eis non longè remotos,
Victos, captivos, redimendos, carcere vivos.
Hîc armatorum glomeratur turba virorum,
Illic conventum diſponunt arcitenentûm.
Sunt pugnaturi cultris, gladiiſque, ſecuri;
Haſtas protelant, vexillaque plura revelant.
Et clamant mille, Percyque, et Georgius ille,
Anglia ſic pangit, quam magna ſuperbia tangit.
Sed fallit fatum qui te putat eſſe probatum,
Quòd fortuna levis ſic docet hora brevis.

Quomodo Scoti diſponunt ſe ad campum.

SIC venientibus, atque ſcientibus, agmine Scotis
Sunt vehementer corda paventia, cognita notis;
Nullaque pauſa, nec ſine cauſa, clamor abundat.
Buccina plangit, quos timor angit virtus inundat.
Arma petentes, cor retinentes, biccine clangor.
Tunc ſubitus fuit hic aditus, pluit undique languor.
Angor adeſt, quia tempus erat breve vel quaſi nullum:
Nec fatur ſocio quis, nec dux inſtruit ullum.
Spiritibus tamen inde ſuis cum corde refertis
Enſibus inſtant, hoſtibus obſtant rure repertis.

Comes de Douglas alloquitur ſuos.

Alloquitur Douglas lætus in armis
Suſcitat in brevibus voce gigantis,
Conſolidans animos commilitonum,
Ut dux intrepidus intulit iſta:
Hoſtes confluere non evidetis?
Præcipites veniunt ordine nullo.
Quamvis ſint multi, nil timeatis;
Non tenet in multis gloria belli.
Fortiter obſtetis hoſtibus iſtis,
Et ſitis memores jam probitatis.

Fronte prioriſtas ſternite, namque
Si primo titubent, non relevabunt.
Hi veteres veſtri ſunt inimici,
Tollere qui veſtra fraude conantur.
Et cupiunt ſervos vos juga ferre,
Et vos cum veſtris adnihilare.
Inſuper eccleſiæ injuriantur.
Schiſmatizant, Papam cognoſcere verum
Nolunt, errorem paturientes;
Juſtitiæque Deo fraudibus obſtant.
His cauſis igitur conſideratis,
Belletis acriter pro patriotis.
Victores eritis, non dubitetis,
Et vobis eveniet veſpera felix,
Voſque coronabit gloria belli,
Laus ſine fine manens, fama perennis.
Scribentur chronicis nomina veſtra
Dulci victorum ſtemmate compta.
Hæc ait, et mandat arma parare,
Pandere vexillum corde choruſcum.
Ad campum properat, quo videt hoſtes,
Gaudia prætendens vultibus altis:
Qui, niſi ſic lætus hos animâſſet,
Plures retrogradi fortè fuiſſent:
Idcirco ſtuduit bella movere,
Et properat citius, ne reſipiſcant.
Hortatur, proprii quiſquis honoris
Sit memor, et pugnet cum pede fixo.
Jam peditant proceres, ſed primus ipſe,
Ad loca conflictûs progrediuntur.

Quomodo Angli properant ad bellum.

NEC tamen aggreditur, niſi quos audacia tangit,
Aut honor armorum, vel quos verecundia frangit:
Maxima diſparitas fuit hîc per prælia facta.
Nulla fuit paritas, nec concordantia pacta.
Angli millenis armatis congrediuntur.
Scoti centenis et inermibus inficiuntur.
Angli concordes capiunt propoſita fixa;
Scoti diſcordes variant, ſed non ſine rixa.
Componunt ludos Scoti varios ſpatiantes;
Ut perimant nudos, Angli ſunt inſidiantes.
Angli deſcenſum montis conſultè lucrantur:
Dum petit aſcenſum gens Scotica, debilitantur.
Hic pede firmato pedetentim progrediuntur:
Gurgite lutato per aquoſa ſed hi gradiuntur.
Anglicus iſte capit ſpatium ſocios animandi:
Parum in arte ſapit Scotus pugiles recreandi.
In propriis fuit Anglica gens ſic corde levata,
Magnanimes reputant minimos per tecta locata.

Jam

Jam propè tendunt, aëra findunt, prælia prægnant;
Hi gladiantes, hi jugulantes undique regnant.

Ipſum bellum.

SOL, radiorum lumina condens, Antipodes petit, Heſperus inſtat.
Et moritur, pereunte die, lux; tunc acies hæ congrediuntur.
Jam furit enſis, lancea rumpitur, et cadit aggere fracta ſecuris.
Miles et armiger hîc cadit, hæccine turma moritur multa proborum.
Moravienſis miles in armis fronte præambulâ hoſtibus obſtat,
Poplite fixo, vertice nudo certat Achillî vincere campum.
Armipotentes, arcitenentes, morte ruentes hîc perierunt;
Hîc meliores, et probiores, arte priores ſuccubuerunt.
Vulnera grandia ſunt data; ſaucia corpora florida contenebrantur.
Interimit, jacet, et ferit, hîc rapit occiput, artus, brachia, crura:
Colla timentia, corda valentia, ſic patientia conquatiuntur.
Miles honorum ſic memor horum, quos ſolet omnis victor, habetur.
Pellitur illac, ſternitur iſtac quiſquis retrogradus, ordine verſo.
Hîc feritur, feriens ferit et perit; iſte moritur ſanguine fuſo.
Hîc rapitur, rapiens rapit; hîc capitur capiens: ſic ſors variatur.
Hîc capit armiger, enſe retruditur miles, et omnis ſurgit utroque;
Surgit et occidit: eſt variabilis ars tenebreſcens ſorte ſororum:
Nam levat iſtum, ſternit et illum; ridet et angit, pungit et ungit.
Preſbyteri cum cordigeris veniunt patuli licet, ordine ſpreto,
Ut fatui fatuando ruunt, ſimiles laicis miſeri perimuntur.
Fortuitò, ſed agente Deo, ceſſit ſubitò victoria Scotis:
Anglicolarum, cor ſit amarum, terga dederunt et retrocedunt.

De fuga Anglorum.

JAM furor igneſcit; gladiis feriunt ferientem:
Et fuga ferveſcit, vinclis capiunt capientem.
Lumina nox neſcit, per quam rapiunt rapientem:
Maxima nam creſcit ſtrages, perimit perimentem.
Gloria ſplendeſcit Scotis, reprimunt reprimentem.
Clamor inardeſcit docti, ſapiens ſapientem
Lanceâ mordeſcit, jaculis jaciunt jacientem;
Plagaque turgeſcit, haſtis quatiunt quatientem.
Scotia diteſcit, captum redimunt, redimentem
Vulnere compeſcit, dum ſic fugiunt fugientem.

Scoti redeunt ad tentoria.

HOSTIBUS afflictis, victis, peditando fugatis,
Unanimes redeunt, repetunt ſua, vi probitatis,
Vexillis denſis, extenſis, tecta petendo.
Anglos diſcernunt, cernunt ſuos perimendo.*
Jam nova guerra movet, fovet hos, redeunt trucidando:
Tectaque per luſtra, luſtra quos inde vagando
Comperit, interimit, reprimit multos fugientes:
Quoſque captivos vivos tenet uſque dolentes,
Vincere ſe credens, lædens quos lædere poſſit,

* Anglos diſtribuunt, tribuunt ſuos, &c. *edit. H.*

Nec

Nec Anglos victos ſtrictos ſuccumbere noſcit.
His tamen auditis, Scitis quòd improba Scota
Gens fuerat victrix, *dictrix ſic concio tota*
Aufugit, et Scoti moti gladiando ſequuntur,
Per noctis tenebras latèbras ſimul ingrediuntur:
Quærunt obſcuris ruris per ſtricta latere
Anglos in clivis, declivis nocte jacere.
Anglicus et fotus notus cadit ex propriorum
Ictibus, et frutices latices petit omnis; et horum
Quidam ſternuntur, ſalvantur, et hi capiuntur;
Quidam prædantur, ſpoliantur, et hi perimuntur.
Nocte carent claritatis radiiſque, quilibet
Ferit enſe paritatis ſocium; ſed aniliter
Fuerant caritatis pugiles, juveniliter
Sunt auſteritatis, ſed ſtemmate vili
Quiſque ſe lætum ſimulans putat affore letum.
Sed moriens fretum ſolvit diſcrimine fretum.
Anglica gens demens ruit hîc, verùm quia demens;
Papa cui Clemens non curavit fore clemens.
Completur fatum per maxima tempora, fatum
Quamvis ſit latum tempus tamen eſt modo latum.
Anglicus ſe victum ſcit, quærens carcere victum,
Ac videt ut Pictum Scotum fore corpore pictum.

Scoti de mane ſcrutantur campum.

SOLE ſequeſtrante noctem, tenebraſque fugante,
Et radios dante lucis, clareſcit ut antè,
Campum ſcrutantur, defuncti connumerantur,
Noti rimantur, quos, quiſque ſuos, lacrimantur.
Inveniunt ſtratos multos et ſubpeditatos,
Multos mactatos, omnes ut oves ſpoliatos.
Nobilis ille comes de Douglas ecce moritur,
Stirps generoſa, fomes clariſſimus, heu! reperitur
Mortuus. Ille fuit Scotorum vera lucerna,
Hic ſuperando ruit probus, ex probitate paternâ
Miles magnanimus } *Patriæ pugil hic pretioſus:*
Omnibus unanimus }
Hic victor moritur: Res ardua reſque ſtupenda,
Martyrium patitur pro libertate tuenda.
Strenuus atque pius Hert miles in arte Robertus,
Fortis et egregius, eſt mortuus inde repertuus.
Ecce! Johannes hîc de Turribus eſt jaculatus
Miles, et eſt illic de vulnere mortificatus.
Willelmus gratus de Fixo-monte per arva
Hîc moritur ſtratus; vis non fuerat ſua parva.
Simon et occubuit de Glendonwin, vir honeſtus,
Armiger erubuit, fuerat recedere mæſtus.
Ut mater natum, ſic Gledſtan ploro puſillum,
Heu! juvenem gratum mors aſpera deſtruit illum.

Wedder-

Wedderburnenſis mortem fleo, nam velut enſis
Aſper erat; denſis ruit ictibus undique tenſis.
Vexillum comitis Balram relevare conatur,
Poſt finem litis mortem ſibi plaga minatur.
Multi ſunt cæſi, multi ſunt carcere capti,
Multi ſunt læſi, de perſtando minus apti.
Prenduntur Percy cum fratre ſuo juniore,
Primævo flore bellant, ſed carcere verſi.
Belligeri multi, probitatis ſtemmate culti,
Stragibus indulti moriuntur, et inde ſepulti.
Scribere neſcivi quot morte cadunt, ſive vivi
Quot ſunt captivi, bellantes gurgite rivi,
Præcones referunt pauci quod agone ſteterunt,
Miraque fecerunt, tam pauci prævaluerunt.
In veterum geſtis nunquam reperitur honeſtis,
Quòd tranſit peſtis, contingere forte poteſt his
Qui permanſerunt: fortes, ſtabiles in agone,
Pignus honoris erunt retinentes hac ratione.
Gloria ſolennis ſit eis, nam fama perennis
Hîc volitat pennis, ſua lux, ſua laus ciliennis
Nunquam nigretur; chronicis victoria detur,
Publica ſcribetur, quia ſcribi digna meretur.
Hîc honor accreſcit, armis, laus digna dieſcit,
Finem laus neſcit, victoria tanta pateſcit.
Qui campo ceſſit, vel qui fugiendo receſſit,
Laus huic ſurdeſcit, titubans et honore vileſcit.
Certat legitimè niſi quis pugnans in agone,
Indignus propriæ reputabitur eſſe coronæ.
Indecoreſque fugâ pudeat caput ultra levare;
Maxima namque ruga ſine principe ſit patriare.
Maximus eſſe ſolet pudor intactis fugiendi,
Nobile cor redolet, licet occidit, hîc remanendi.

De receſſu Scotorum ad proprias partes.

INDE Jovis veniente die, pars magna cohortis
Læſa dolet, jam tecta levat, per prata retortis
Chordis cum palis, tuba perſonat, inde recedunt
Combuſtis balis ſe victores ſimul edunt.
Signifer expandit vexillula ſplendida ventis,
Paſſibus et pandit lætum cor nobile lentis.
Ducunt captivos plures victoribus arctè,
Per vada, per clivos, hîc dantes vincula parcè
De paucis faciunt aciem, ſic progrediuntur,
Nec læſos quatiunt, dum partes ingrediuntur:
Ad proprias partes redeunt per gaudia flentes,
Et comitis recolendo ruinam, triſtè gementes.
Hæc ideo metra mixta fleo, victoria gaudet,
Mors comitis flentum dare triſtia cordibus audet.

CONCLUSIO.

O Deus! iſtarum miſerere potens animarum,
Hîc defunctarum recolens certamen amarum.
Paſſio mortalis pro libertate realis,
Sempiternalis ſit plena remiſſio talis.
O rex! cunctorum qui præmia das meritorum,
Prælia regnorum fac pacificare duorum,
Et mala comprime, bellaque deſtrue, jurgia dirime, pax dominetur:
Divina potentia regna per omnia, tempora ſingula, ſanctificetur.
Climatis aſt actor ſit pacis climatis auctor:
Nam pacis factor colitur, pacis quoque fautor.
Rex æternorum, bellum peſſundato ſævum:
Gloria victorum nullum moritura per ævum. AMEN.

CAP. LV.

Quomodo Robertus comes de Fife effectus eſt gubernator Scotiæ.

ANN. Dom. MCCCLXXXIX. quia rex, ætate grandævus, impotens erat ad gubernandum, et filius ſuus primogenitus Johannes comes de Carrik, ex percuſſione equi domini Jacobi Douglas de Dalketh, quaſi claudus effectus, concilium trium ſtatuum regni apud Edinburgh convocavit: ubi, de eorum conſenſu, ſecundum genitum ſuum dominum Robertum comitem de Fife cuſtodem regni deputavit, et abhinc, mutato nomine cuſtodis, gubernatorem voluit eum appellari. Ad exſequendum igitur officium ſuum gubernatore jurato, prælati et proceres ad ſibi in officio aſſiſtendum, et fidele conſilium perhibendum, jurati ſunt. Igitur poſt captionem domini Henrici Hatſpur Anglici, pro gardiano ſive cuſtode marchiarum ſuarum volentes providere, altiſonum procerem, viz. Erle Marſhal ad hoc officium reddiderunt aptiſſimum, ut putabant. Qui, ſtatim ut nactus eſt officium, arroganter ſatis et deſpicabiliter allocutus eſt marchianos Anglos, exprobrando eis in hoc, quòd paſſi ſunt Scotos, ſemihomines, ut dicebat, ſuper eos apud Ottirburn victoriam obtinere, cùm et ipſi Scotis multo plures fuerint, et etiam ſuper ipſos improviſos irruerint; et adjecit loqui ſic ſæpiùs: " Quòd ſi poſſem habere copiam congrediendi cum Scotis, etiam ſi ſint " duo pro uno, experiri aggrediar eoſdem." Quod audiens Scotiæ novus gubernator, hujuſmodi minas revocavit ad animum, et ſub feſtinatione congregans exercitum, habens ſecum dominum Archibaldum comitem de Douglas, et ceteros regni valentiores, partes petiit Anglicanas, illas præcipuè quò audivit Erle Marſhal præſentialiter exiſtere: qui, de adventu Scotorum prædoctus, pergrandem collegit exercitum, et, quaſi gubernatori obviaturus, ad planum ſe contulit: ſed approximante Scotorum univerſitate, Erle Marſhal ſtatim in quodam arcto loco ſe tutè cum ſuis collocavit. Quod audiens gubernator illuc cum ſuis intrepidè acceſſit, mittens ſibi nuncium, ut, quod aliàs voce promiſerat, opere tunc compleret. Ad quem ſic reſponſum miſit, dicens, " ſe nequa- " quam audere homines liegios regis ſui, ſicut et habuit in mandatis, " periculis ſupponere." Ad hujuſmodi reſponſum moti ſunt Scoti ad riſum,

riſum, recolentes illud Æſopi truſantis de quodam jactitante magniloquo, et dicentis;

Parturiunt montes, naſcetur ridiculus mus.

Gubernator nihilominus cum ſuis per mediętatem diei expectabant, cum vexillis diſplicatis, exitum exercitûs Anglorum. Cui, quia ulteriùs neque vox erat, neque ſenſus, ad votum ſuum exſequendum, Scoti, deprædatis undique locis ad quæ venerant, et pulcherrima maneria flammâ devaſtantes, ad propria incolumes properârunt.

CAP. LVI.

De nunciis regum Franciæ et Angliæ regi Scotiæ, pro treugis capiendis, miſſis.

EOdem anno apud Boloniam ſuper mare, inter Francos et Anglos captæ ſunt treugæ trium annorum: in quibus regnum Scotiæ comprehenſum eſt, ſi collibeat. Ad illud concludendum miſſi ſunt in nuncio duo milites Francigenæ, ad audiendum regem Angliæ Richardum facere jurare pro obſervatione treugarum. Quo facto, rex Angliæ cum eis miſit ſuam ambaſſatam, dominum viz. Nicolaum Dogwort, cum alio milite, ad inquirendum voluntatem regis Scotiæ ſuper præmiſſis. Qui rex cum magnatibus ſuis repertus eſt apud Dunfermelyn, ubi utrique nuncii adierunt primò dominum Archibaldum comitem de Douglas, requirentes eum, ut induceret regem ad conſentiendum treugis et comprehendendum fore in iiſdem: quos curialiter miſit ad gubernatorem; qui dixit, quòd totum negotium pendebat in manu regis. Ad præſentiam igitur regis cùm veniſſent, et de bono pacis cùm diu et eleganter perorâſſent, rex aviſatus reſpondit, ſe velle conſentire hujuſmodi treugis, ob reverentiam duntaxat, et ad requæſtum confœderati ſui regis Franciæ. Nuncii igitur quamplurimum lætificati de bono reſponſo regis, et conſenſu ad treugas obſervandas, liberaliter ab eo dimiſſi, ſub feſtinantia ad propria redierunt. Et ſic regno Scotiæ pacato, et in magno tranquillitate conſtituto, rex pacificus, filius pacis, Robertus ſecundus, ſubitâ infirmitate præventus, apud caſtrum ſuum de Dundonald finem vitæ ſortitus eſt, et in Scona regaliter tumulatus: obiit autem xiij. Kal. Maii, anno Domini MCCCXC. et regnavit annis XIX. diebus XXIV. cujus anima requieſcat cum æterno Rege. Reliquit enim Scotiam in maxima libertate et pace opulenta, ita quòd nihil in manibus Anglorum proprietatis Scotiæ ab aqua de Tweda remanſit, tribus caſtris exceptis, viz. Berwic, Jedwod et Roxburgh. Vixit autem annis LXXIV. ſenior * fuit rege David avunculo ſuo ſeptem annis. De quo habentur hæc metra:

Anno milleno, trecenteno nonageno,
Obît Robertus ſecundus, robore fertus.
Annis vicenis regnavit hic minus uno,
L. bis X. quartos ætatis fecerat annos.
Ceteris prælatus, in Scona ſit tumulatus.
Apud Dundovenald ſubiit mortem naturalem,
Tridecimo Maii Kalendas occubuit rex.

* *Junior*, MSS. perperam.

Iſto

Iſto eodem anno dominus Alexander Stewart comes Buchaniæ, filius dicti regis, combuſſit eccleſiam cathedralem Moraviæ de Elgyn, decus tunc totius patriæ. Et notandum eſt, quòd prædictus rex Robertus de domina Elizabeth, filia domini Adam Mure, genuit tres filios, ſcilicet Johannem, qui poſtea fuit rex, et Robertum ducem Albaniæ, ac præmiſſum Alexandrum comitem Buchaniæ, qui vulgariter dicebatur Lupus de Badenach. Dehinc deſponſavit dominam Euphemiam, filiam Hugonis comitis Roſs; de qua genuit Walterum comitem Atholiæ, dominum de Brechin, et David comitem de Strathern: ſed, mortuâ reginâ Euphemiâ, deſponſavit præmiſſam dominam Elizabeth*; et ſic, virtute ſupervenientis matrimonii, ſecundarum nuptiarum, legitimati ſunt dicti fratres, Johannes ſcilicet, et Robertus, et Alexander: quia, ſecundùm canones, matrimonium ſequens legitimat filios natos ante matrimonium, ut C. 1. et c. *Tanta eſt, qui ſimul ſunt legitimi.*

Iſto anno proditionaliter interfectus eſt ab Anglicis nobilis Willelmus Douglas de Nyddiſdale ſuper pontem de Danſkin in Spruza, qui tunc ammiraldus electus fuit ducentarum et quadraginta navium, ad oppugnandum Paganos, qui eo tunc, præ ceteris, ad menſam honoris magiſtri de Spruza ab herellis præconizatus eſt. Dominus de Clifford Anglicus, invidens probitatibus ejus, mercede conduxit Anglicos ad delendum memoriam ejus de terra: ob hoc, quòd propter ſimultates inter eos, neſcio quâ occaſione exortas, Clifford appellavit ipſum dominum Willelmum de duello, et, die de ſe defendendo conſtituto, interim dictus dominus Willelmus tranſtulit ſe ad Franciam, ad ſecuriora arma ſibi componenda. Quo audito, Clifford credidit dictum D. Willelmum ſubterfugere, ut ad terminum belli conſtitutum in loco non auderet comparere; et propterea improbè Clifford ipſum ſcandalizavit. Quod comperiens Douglas, conductum petiit et obtinuit, et ad locum et terminum ſtatutos comparuit. Sed et Clifford, excuſationibus chlamidatus, ob ingentem fortitudinem Douglas comparere recuſavit; et abhinc receſſit in Spruzam dictus dominus Willelmus, et ibidem ab Anglis circumſeptus in multitudine extinctus eſt. Ob cujus mortem, illud ſanctum paſſagium interceptum eſt.

EXPLICIT LIBER DECIMUS QUARTUS.

*Hæc cum ſuperius traditis quàm maxime pugnant: nam lib. xi. cap. xiij. dixerat Fordunus, "Elizabetham Moram à Roberto Seneſcallo canonice et in forma eccleſiæ deſponſatam fuiſſe A. D. MCCCXLIX." et hujus libri cap. li. dicitur, "Eufemia regina obiiſſe A. D. MCCCLXXXVII." Non ergo "mortuâ reginâ Eufemiâ deſponſavit Robertus dominam "Elizabeth:" ſed, mortuâ Elizabeth, in uxorem duxiſſe Eufemiam, omnino dictum oportuit, ut jampridem meridiano ſole clarius oſtenderunt viri docti.

Incipiunt

Incipiunt tituli capitulorum libri decimi quinti.

De coronatione regis Roberti III. et reginæ Anabellæ. CAPITUL. I.
Quòd rex nihil, uſibus ſuis ſumptum, paſſus eſt eſſe inſolutum. CAP. II.
De mirabili conflictu inter Cateranos XXX. *contra* XXX. *apud Perth.* CAP. III.
De milite Morley, et primis Ducibus infra regnum conſtitutis, et de primo comite de Crawford. CAP. IV.
De narratione ludicra et trufa militari. CAP. V.
De eodem. CAP. VI.
De proditoria conſpiratione trium Henricorum, et captione ac depoſitione regis Richardi Angli. CAP. VII.
De renunciatione juris ejuſdem ad regnum Angliæ. CAP. VIII.
De coronatione regis Henrici. CAP. IX.
De ſponſalibus et matrimonio ducis Rothſaici, et captione caſtri de Dunbar. CAP. X.
De obitu Archibaldi de Douglas comitis, et de exercitu regis Henrici in Scotia. CAP. XI.
De captione et morte ducis Rothſaici, et quarta mortalitate in regno. CAP. XII.
De conflictu de Neſbet ſecundo CAP. XIII.
De bello de Homildon. CAP. XIV.
De obſeſſione caſtri de Cocklawis. CAP. XV.
De reſcurſu ejuſdem per gubernatorem. CAP. XVI.
De bello de Schrewiſbury. CAP. XVII.
De captione regis Jacobi, et de morte patris ejus. CAP. XVIII.
De qualitate perſonæ ejus. CAP. XIX.
De cumbuſtione Jacobi hæretici, apud Perth. CAP. XX.
De captione caſtri de Jedwod, et reſtitutione Dunbar comiti. CAP. XXI.
De fundatione almæ univerſitatis Sancti Andreæ. CAP. XXII.
De diverſis incidentibus, et bello Egyncourt. CAP. XXIII.
De magna altercatione inter univerſitatem Sancti Andreæ et fratrem Hardyn Anglicum. CAP. XXIV.
De ſubtractione eccleſiæ Scoticanæ, à Papa olim Benedicto XIII. et obedientia facta domino Martino V. CAP. XXV.
Quomodo Wallia, propriâ proditione, ſubjecta eſt regi Angliæ. CAP. XXVI.
De ſuccurſu miſſo Walliæ per Carolum regem Franciæ. CAP. XXVII.
Quomodo prædicatione cujuſdam abbatis, Wallici humiliati recuperaverunt ſuas poſſeſſiones. CAP. XXVIII.
Quomodo Wallici, prævaricatores priſtinæ pœnitentiæ, amiſerunt tam libertates, quàm poſſeſſionem Walliæ. CAP. XXIX.
De eodem, et interfectione dicti abbatis, pro jure regni ſui decertantis. CAP. XXX.
De tranſitu comitum de Buchania et Wigton ad Franciam, in ſubſidium ejus. CAP. XXXI.
De quadam peſtilentia dominorum et aliorum in infirmitate quæ Le Quhew *vocabatur.* CAP. XXXII.

De bello de Beaugy in Francia, ubi victi ſunt Anglici per Scotos. CAP. XXXIII.
De vindicta illata regi Angliæ in mortem, per quendam Scotum Sanctum. CAP. XXXIV.
De bello de Vernolze Perſe, ubi devicti ſunt Scoti et Franci. C. XXXV.
De victrici puella Franciæ. CAP. XXXVI.
De morte ducis Albaniæ. CAP. XXXVII.
De miraculo et virtute miſſæ. CAP. XXXVIII.
De meritis et utilitate miſſæ. CAP. XXXIX.

LIBER XV.

CAP. I.

De coronatione regis Roberti III. et reginæ Anabellæ.

TRADITO igitur ſepulturæ corpore gratioſiſſimi regis Roberti ſecundi, et regno ſub tutela gubernatoris, filii viz. ſui ſecundò geniti Roberti, commiſſo, in ſequenti vigilia aſſumptionis noſtræ Dominæ, die viz. dominicâ, anno Domini milleſimo trecenteſimo nonageſimo, filius regis defuncti primogenitus, Johannes comes de Carrik, apud Sconam regio more coronatus eſt: ubi, de conſenſu ſtatuum, vocatus eſt abhinc rex Robertus tertius. In craſtino verò ſponſa ſua, domina Anabella, filia nobilis viri Johannis de Dromond, domina præclariſſima, diademate regio inſignitur. In die verò Martis proximo ſequenti rex fidelitatem et hominium ſumpſit ſuorum ligiorum, et cum magna lætitia hos dies feſtivos cuncti tranſigerunt. Tanta illuc ex omni parte regni ad coronationem regis confluxerat multitudo, ut omnia blada monaſterii de Scona, ibidem et in ceteris locis ac grangiis circumvicinis ab equis vaſtabantur. Ad regem igitur acceſſit quidam canonicus, monaſterii granitarius, Robertus Logy nomine, inſinuans ſibi damnum, quod per eum paſſum fuit monaſterium in deſtructione ſegetum. Sed quia rex eo tunc circa majora erat intentus, cum derifione ab aulicis à præſentia regis repellitur canonicus, ita quòd nullum reſponſum à rege reportavit. Propter quod canonicus triſtis abceſſit; et in craſtino ſummo mane, die quo rex receſſurus erat à monaſterio, adduxit ſecum idem canonicus multitudinem ſervorum et ancillarum, husbandorum et ruſticarum equeſtrium, habentium ſcilicet ſinguli in manibus pelves et ferulas. Statuit etiam primipilum unum reliquos præcedentem, in palo autumnalem nymphulam, quam *Rapegyrne* vulgus ſoleat appellare, ad altum gerentem, et ante cameram regis de lecto ſurgentis claſſicum ſubitò fecit inſonari, ita quòd regem et regales propterea ſtupidos reddidit et attonitos. Inquiſitâ igitur cauſâ tanti tumultûs, adductus eſt coram rege canonicus, tanquam patrator ſceleris, qui heſterno ab ejuſdem præſentia rapidè repulſam paſſus fuit. Qui exponens regi myſterium artis ſuæ muſicæ, dixit; " Non mireris, rex in-
" clitiſſime, quòd nunc reſurgenti diluculo, aſtetimus tibi in jubilo;
" quia, ut verum fatear, ſolebamus omni anno circa lucrum bladorum
" triginta exponere vel quadraginta libras; et nunc gratias tuæ regiæ
" celſitudini,

" celſitudini, quia finita eſt æſtas, et cæſa eſt meſſis; nec opus eſt ut " expendamus unum ſolidum ad ducendum ſegetes in horreum, quia " meſſores tui alleviaverunt nos, tam de expenſis, quàm opere: et hæc " propterea veni annunciare tibi." Quæ audientes regis cubicularii et circumſtantes aulici, judicaverunt canonicum pro ſua præſumptione, regis inquietatione, et curiæ commotione, ultrice dignum punitione. At rex in ſe reverſus, ut erat valde ſapiens, Deum præ oculis habens, et propoſitionem problematis altiori intellectu enucleans, fecit incontinenti damnum bladorum ſummari; et ad æquivalentiam monaſterio plenariè perſolvi; de poſt ſemper canonicum habens, in ſumma placentia commendans eum de induſtria.

CAP. II.

Quòd rex nihil, uſibus ſuis ſumptum, paſſus eſt eſſe inſolutum.

HANC igitur trufam, ſicut accidit, præſentibus inſeruimus, ut attendatis regis ſanam conſcientiam et juſtitiæ affectum, ita quòd nihil paſſus eſt uſibus ſuis provenire, vel per ſuos officiarios familiares, aliis damna vel debita inferri; unde cupiditatis vel injuſtitiæ poſſit in quantumcumque modico notari. Nam præ ceteris principibus vel magnatibus iſtud ſummopere præcavere ſategit, ut ubicumque, in burgo vel extra, perhendinari vel hoſpitari eum contigerat, nihil de expenſis ſuis, vel ſuorum uſibus exhauſtis, inſolitum ire paſſus eſt. Nam et ego, qui hæc ſcribo, relationi, quam inſero, teſtimonium verum perhibeo, viz. quòd idem dominus rex in burgo de Hadyngton, quando, ut dictum fuit, voluit obſedifſe caſtrum de Dunbar, pro connubio filii ſui ducis Rothſaienſis cum Elizabeth filia comitis Marchiæ, cum grandi exercitu per tres dies continuos in arduis occupatus, cùm paratus eſſet ad clangorem buccinæ cum ſua curia abcedere, et, in ſcanſili pede poſito, equum vellet aſcendere, ad clamorem pauperis carnificis, audientiam fieri flagitantis, quòd pedem retraxerit, et cauſam pauperis benignè audiens, conquerentis de quodam ſuo ſeneſcallo, eo quòd ab eodem ad coquinam regis recepit diverſas carnes, bovinas et multoninas, de quarum altera ſatisfacere non curavit. Quo audito, rex ſeneſcallum vocari fecit; ſed inveniri pro tunc non valuit: pretium tamen carnifici ſtatim ſolvi fecit. Et, propter hujuſmodi defraudationes per officiarios ſuos pauperibus irrogatas, eo tunc ad crucem fori, ſicut et depoſt ſemper in receſſu ſuo ab urbibus vel villis, voce præconis proclamari fecit, ſi quid ſolvendum reſtaret, et reddi creditoribus inſtituit. Utinam ſic nunc facerent noſtri proceres et potentes, qui non curant de debitis in ipſorum victualibus expoſitis; pro quibus ſi ſemel et ad tempus habere poterunt inducias, pauperibus petentibus pecunias intentantur minas. Sed veniet dies, cùm quod à pauperibus extorſerint reddant, vel uſque ad minimum quadrantem pœnas exſolvant. Propter quod ſcribit GREGORIUS in Moralibus dicens; " Stultus eſt debitor qui gaudens mutuas " pecunias accipit, et tempus quo reddere debeat non attendit."

CAP.

CAP. III.

De mirabili conflictu inter Cateranos xxx. *contra* xxx. *apud Perth.*

ANN. Dom. milleſimo trecenteſimo nonageſimo primo, conflictus de Glenbrereth*, ubi interfectus fuit nobilis vir dominus Walterus Ogilby, vicecomes Anguſiæ, et frater ejus uterinus Walterus de Lichtona, per Cateranos, quorum caput fuit Duncanus Stewart † filius domini Alexandri comitis de Buchan: et de valentioribus vicecomitis occubuerunt LX. cum eo, qui in reſiſtendo rapinæ factæ in Angus interfecti ſunt.

A. Dom. MCCCXCV. apud Reulhauch, fuit duellum inter Thomam Strotheris Anglicum invaſorem, et Willelmum Inglis defenſorem Scotum, milites, ubi Anglicus occiſus eſt; præſentibus cuſtodibus Marchiarum pro judicibus, videlicet dominis Archibaldo, et Henrico Percy ſeniore, comitibus de Douglas et Northumbriæ.‡

Anno Dom. milleſimo trecenteſimo nonageſimo ſexto, magna pars borealis Scotiæ, trans Alpes, inquietata fuit per duos peſtiferos Cateranos, et eorum ſequaces, viz. Scheabeg et ſuos conſanguinarios, qui Clankay; et Criſti-Jonſon, ac ſuos, qui Clanquhele dicebantur; qui nullo pacto vel tractatu pacificari poterant, nullâque arte regis vel gubernatoris poterant edomari, quoaduſque nobilis et induſtrioſus D. David de Lindeſay de Crawford, et dominus Thomas comes Moraviæ, diligentiam et vires appoſuerunt, ac inter partes ſic tractaverunt, ut coram domino rege certo die convenirent apud Perth, et alterutra pars eligeret, de progenie ſua triginta perſonas adverſus triginta de parte contraria, gladiis tantùm, arcubus et ſagittis, abſque deploidibus, vel armaturis aliis, præter bipennes: et ſic congredientes finem liti ponerent, et terra pace potiretur. Utrique igitur parti ſummè placuit contractus, et die Lunæ proximo ante feſtum Sancti Michaëlis, apud North-inſulam de Perth, coram rege et gubernatore, et innumerabili multitudine † comparentes, conflictum acerrimum inierunt: ubi de ſexaginta interfecti ſunt omnes, excepto uno ex parte Clankay, et undecim exceptis ex parte altera. Hoc etiam ibi accidit, quòd omnes in præcinctu belli conſtituti, unus eorum locum diffugii conſiderans, inter omnes in amnem elabitur, et aquam de Thaya natando tranſgreditur; à millenis inſequitur, ſed nuſquam apprehenditur. Stant igitur partes attonitæ, tanquam non ad conflictum progreſſuri, ob defectum evaſi: noluit enim pars integrum habens numerum ſociorum conſentire, ut unus de ſuis demeretur; nec potuit pars altera quocumque pretio alterum ad ſupplendum vicem fugientis inducere. Stupent igitur omnes hærentes, de damno fugitivi conquerentes. Et cùm totum illud opus ceſſare putaretur, ecce in medio prorupit unus ſtipuloſus vernaculus, ſtaturâ modicus, ſed efferus, dicens; Ecce ego! quis me conducet intrare cum operariis iſtis ad hunc ludum theatralem? Pro dimidia enim marca ludum experiar,

* *Al.* Glenbroth *et* Glenbreiche. † Baſtardus filius, *MS. Cupr.* ‡ *Addit id. MS.* Anno præcedenti, octavo Idus Septembris, obiit Johannes Derſi abbas Sancti Columbæ de Æmonia canonicus de Cambuskenneth. † Multitudine compatriotarum, una cum famoſis Francigenis et Anglis, *ibid.*

ultra

ultra hoc petens, ut ſi vivus de palæſtra evaſero, victum à quocumque veſtrûm recipiam dum vixero: quia, ſicut dicitur, " Majorem caritatem " nemo habet, quàm ut animam ſuam ponat quis pro amicis." Quali mercede donabor, qui animam meam pro inimicis reipublicæ et regni pono? Quod petiit, à rege et diverſis magnatibus conceditur. Cum hoc arcus ejus extenditur, et primò ſagittam in partem contrariam tranſmittit, et unum interficit. Confeſtim hinc inde ſagittæ volitant, bipennes librant, gladios vibrant, alterutro certant *, et veluti carnifices boves in macello, ſic inconſternatè ad invicem ſe trucidant. Sed nec inter tantos repertus eſt vel unus, qui, tanquam vecors aut timidus, ſive poſt tergum alterius declinans, ſeipſum à tanta cæde prætendit excuſare. Iſte tamen tyro ſuperveniens finaliter illæſus exivit, et dehinc multo tempore Boreas quievit; nec ibidem fuit, ut ſuprà, Cateranorum excurſus. An. D. MCCCXCIV. viij. Idus Septembris, obiit dominus Johannes Derſi abbas Sancti Columbæ, canonicus de Cambuſkeneth.

CAP. IV.

De milite Morley, et primis ducibus infra regnum Scotiæ conſtitutis, et de primo comite de Crawfurd.

ANNO Dom. milleſimo trecenteſimo nonageſimo octavo, domina regina conſtituit grande haſtiludium duodecim militum: quorum præcipuus erat filius ſuus princeps regni David Stewart, qui eodem anno effectus eſt dux Rothſaienſis. Hujuſmodi tyrocinium fuit contiguè à parte aquilonali villæ de Edinburgh, ubi nunc eſt lacus. Anno ſequenti quidam honorabilis miles, Robertus Morley Anglicus, cum honeſta comitiva Anglicorum, de rege Scotiæ aſſecuratus, intravit Scotiam, et ciphum † regis vendicavit. Cui oppoſuit ſe dominus Jacobus de Douglas de Strabrok, ſed nihil ad propoſitum actum eſt. In receſſu tamen hujus Morley, apud Berwicum conflixit uno die ſingillatim cum duobus militibus de Scotia, viz. Archibaldo de Eadmonſton et Hugone Walas, ad ictus talliatos, et de ipſis Anglicus probiorem partem aſſecutus eſt. In craſtino verò cum eo congreſſus eſt D. Thomas Treyl miles, nepos domini Walteri Treyl epiſcopi Sancti Andreæ, et cum clava tam vigoroſè conquaſſavit et contrivit Morley, ut judex, qui et Anglicus, timens ſibi mortem inferri, nondum numero completo percuſſionum, ceſſionem clamavit, et abhinc Scotos de congrediendo nuſquam fuit inſecutus. Tantas etenim expenſas circa actus militares in diverſis regionibus fecit iſte Morley, ut qui non habens ulteriùs ad ſuſtentandum hanc vanam gloriam, in ſe deſperans, lectum ægritudinis incidit, et præ inopiæ triſtitia finem vitæ dedit. Hujuſmodi igitur hujus militis operatio vanitas meritò dici poteſt, ut dicit HUGO; vanitas eſt, quæ nec plenitudinem confert continenti, nec fructum laboranti, nec fulcimentum innitenti. Propterea audenter dicere poſſumus, quòd inanis

*Cædunt, *MS. Cupr.* † Cyphum regis aureum vendicavit de menſa ejus auferre, niſi per militarem Scotum contradiceretur; qui propterea juxta petitum deberet ſibi reſpondere, et in manuali conflictu, tam ſuper equos quam pedeſtres, curſus varios et ictus numerabiles ludum terminare. *Ibid.*

gloria hujus militis fuit fallax ſuavitas et infructuoſus labor, continuus timor et periculoſa ſublimitas: et, ſecundùm AUGUSTINUM, "Ini-"tium ſine prudentia, et finis cum pœnitentia." Propter quod poëta:

O res quàm fragilis, quàm fallax, gloria mundi!
Quàm citò mundanus dulcor amarus erit!

Eodem anno inventus eſt in Scotia falſus monetarius, qui, de mandato regis, uſque ad mortem eſt decoctus.

Anno Domini MCCCXCVIII. rex Robertus tertius celebravit magnum conſilium apud Perth: ubi filium ſuum primogenitum David Stewart, de comite de Carrik in ducem Rothſaienſem, et dominum Robertum fratrem ſuum, gubernatorem tunc regni, de comite de Fife et Meneteth fecit ducem Albaniæ. Ante quem nullus legitur dux fuiſſe poſt deceſſum Fulgentii, qui in bello campeſtri interfecit in Britannia impetatorem Severum. Hæc ſolemnitas facta fuit in Scona xxviij. die Aprilis, domino Waltero Treyl epiſcopo Sancti Andreæ miſſam celebrante, et ſermocinante in præſentia regis et reginæ. Eodem anno et menſis xxj. die, dominus David Lindeſay factus eſt primus comes de Crawfurd, valens miles, et in omni probitate bellica quamplurimùm commendatus; qui, inter cetera ſuæ probitatis inſignia de domino de Wellis Anglico, in diebus ſuis milite famoſiſſimo, apud Londonias, in præſentia regis Richardi ſecundi, anno MCCCXC. in haſtiludio guerrico glorioſè triumphavit: de cujus probitate militari hucuſque in Anglia fama percelebris commemoratur.

CAP. V.

De narratione et truſa militari.

IN craſtino verò hujus victorioſi triumphi, comes de Crawfurd cum ſuis militibus invitatus eſt ad prandium, à domino rege Angliæ; ubi, in collocutione varia poſt cœnam, in regali camera, inter milites habita, quidam miles Angligena, alticloquus ſatis et verboſus, incidit in confabulationem cum domino Willelmo de Dalzel milite Scoto, qui tunc cum diverſis aliis militibus comitatus fuerat comitem Crawfordiæ: qui, inter cetera, multis nobilibus, tam Anglis quàm Scotis, præſentibus, in hujuſmodi langagio domino Willelmo prorupit, dicens; "Per-"cipio, inquit, O miles Scotiæ, quòd ſunt nonnulli animoſi Scotigenæ "inter vos, qualicunque propagine ſeminali derivati: ſed neſcis fortè "unde provenit eis iſta magnanimitas. Semel accipe et intellige; et "cùm veneris in patriam tuam, audacter dicito quòd accepiſti ab "Angligena veridico, quæ relaturus ſum. Certum eſt, inquit, nec à "memoria tua receſſit, quòd paulo ante moderna tempora miſerabilis "provincia tua à generoſis Anglis lacerata fuerat et conquæſta. Quo "in tempore fuerunt fortè inter et apud vos pulchræ et appetibiles "domicillæ, cum quibus nobiles Angligenæ alti ſanguinis et cordati, "carnali copulâ ſe interniſcentes, procuraverunt ſurculos de generoſis "radicibus excreſcentes, qualis fortè eſt iſte dominus tuus David, qui "interpretatur manu fortis de Lindeſay, nomen, ſicut et genus, de "noſtris contrahens, et propterea tam validè ſe habuit; quòd, at-

"tentâ

" tentâ ejuſdem origine, honor Angligenæ ſanguini meritò debet " aſcribi." Quod audientes circumſtantes Anglici, commoti ſunt in riſum, multum collaudantes militem pro collatis. A quibus miles Scotus poſtulans ſilentium et auditum, ſic loqui exorſus eſt: " Iſte " valens miles rhetoricè ſatis verba ſua concinnavit, prurientibus auri- " bus placida et polita. Cui ſic ſub proteſtatione dico, non denegans " quin, per artem Anglicorum, nuper magna pars terræ noſtræ lacerata " fuerat et occupata; ſed, laus Deo, non diu per eoſdem poſſeſſa. Et " quòd etiam eodem tempore, ſicut et nunc, fateor, pulchræ et appe- " tibiles mulieres et domicillæ exſtiterant apud nos; et etiam negan- " dum non cenſeo, quin generoſi et proceres de Anglia eo tunc pro- " curaverunt apud eas natos alti cordis et elatos. Sed quid? certè eo " tempore quo domini Angligenæ in regno noſtro moram pertraxerunt, " eorum qualeſcunque conjuges domi relictæ, delicatè paſtæ et nutritæ, " otio vacantes et voluptati, diu nimium maritali carentes copulâ, et ſe " ultrà continere non valentes, nova contubernia affectantes, ad ſuam " domeſticatiorem familiaritatem, coquos et colibertos, ruſticos et co- " lonos, et interdum fratres confeſſores, invitaverunt; ex quibus pro- " curaverunt, ni fallor, nec militiæ habiles, nec ad prælia pugnandum " efficaces. Gaudemus igitur quòd nos ex vobis ſurreximus, et gene- " roſi efficimur, et vos ex vobis cecidiſtis degeneres effecti." Nondum verba vix Scotus finierat, cùm ecce! hujuſmodi dialogica confabulatio auribus regis innotuit. Vocans igitur coram omnibus milites, de col- locutis repetitionem ſibi fieri fecit. Qui propterea acriter Anglicum objurgans, Scotum de reſponſo magnificè remuneratum collaudavit.

CAP. VI.

De eodem, et de alia truſa.

HIC itaque miles Scotus non ſolùm prudentiâ, verùm etiam vigore et animoſitate, multum præcellebat: qui alias Londoniis exiſtens vidit quendam militem Anglicum elegantis formæ et elatum, Peris Corteney nomine, novâ veſte togatum, amplâque familiâ comitatum. Habebat inſuper in manica falconem ſubtili bordaturâ intextum, ſcedulam roſtro protendentem, hujuſmodi tenorem continentem: *I beer a falcon, faireſt of flicht; quha ſo pinches at hir, his deth is dicht in graith.* Erat enim hic miles Anglicus ſaturâ procerrimus, optimus equeſter, et famoſiſſimus haſtifer ſive haſtiludiator, et campio regis Angliæ vulgariter nuncupatus, ac frater uterinus primatis Angliæ. Conjiciens igitur Scotus Anglicum iſtiuſmodi ſcedulam geſtare ad provocandum alios ad ſecum fortè decertandum; incontinenti novam veſtem et conſimilem ſibi fieri fecit, in qua depingebatur pica hujuſmodi ſcedulam continens: *I beer a py pykkand at ane pes; quha ſo pykkis at her, I ſal pyk at his neſe, in faith.* His ſic ſe habentibus, et de utraque chlamide diverſis hinc inde colloquentibus, tandem ad id deventum eſt, ut hi duo milites per talliatos curſus equorum, æqualiter armati, diris lanceis vigores ſuos experirentur. Die igitur et loco conſtitutis, congrediuntur milites; et, quia Scotus caſſidem ex propoſito inobligatam

tam dimiſit, per duos continuos curſus Anglicus Scotum capite denudavit, caſſide à retro dilabente. Ad tertium verò curſum Scotus Anglicum de duobus dentibus anterioribus evacuavit. Propter quod Anglicus aggravatus, conqueſtus eſt regi, quòd Scotus pactum non ſervavit, et de inæqualitate armorum querimonium canuit, eo quòd non affixit caſſidem ſuam modo militari, prout ipſe fecit, ac de more militari convenit. Hoc audito, Scotus coram rege viriliter ex oppoſito reſpondit, dicens; "Proverbialiter dictum eſt, quòd de modico non "curat lex, neque rex: ſed ſi quid ſocius meus de præſenti dicat, "tranſeat; et adhuc de novo aciem inſtruamus, et ſex adhuc curſus de "novo faciamus; et dum in omnibus, aſcenſis equis, ſimiles exiſtamus, "promitto poſt decurſus ſibi ſolvere ducentas libras: iſtud firmiter "promitto, et, ſi opus fuerit, fidejuſſores invenio, dummodo in conſi-"mili ſi deficiat pecuniam ſolvat." Alter verò irâ incandeſcens ob amiſſionem dentium, in præſentia tamen regis pactum acceptavit. Et, quia Scotus erat monoculus, utpote qui unum oculum perdiderat in bello de Ottirburn, petiit à rege in hoc ſocium ſuum ſibi aſſimilari debere. Quo negato, petiit Scotus ſcottum *, et ad hoc ſolvendum appellavit Anglicum. Ob hoc movebatur inter partes magna altercatio, et inter diverſos milites, tam Anglicos quam Scotos, manualis vel duellica concertatio. Sed rex, rixâ ſedatâ, nolens ob hoc milites ſuos ſupponi periculo, taliter finaliter effecit, ut, omiſſo ulteriori haſtijugulo, Scotus ſummam conventam reportaret; et in modum rex ſuperbam attollentiam Anglorum redargutus eſt, dicens;

Actibus et verbis miles hic Anglos ſuperans eſt.

CAP. VII.

De proditoria conſpiratione trium Henricorum, et captione et depoſitione regis Richardi.

PAulò ante idem tempus, ſciz. A. D. MCCCXCVIII. rex Richardus Angliæ deſponſavit Iſabellam, virgunculam decennem, filiam domini Caroli ſexti regis Francorum: et ob ipſius teneram ætatulam, de conſilio ſuorum tranſtulit ſe cum valido exercitu ad Hiberniam, donec ſua conjux pubeſceret, et ad amplexus viriles habilis redderetur, ipſam Hiberniam interea domandam. Sed, antequam rex iter arriperet, rogatus à proceribus regni ut declarare faceret, quis ſibi in eventu regno ſuccederet, [† deficiente in eo prole futurâ. Votis eorum annuens, convocavit parliamentum] et apud Shrewiſberi compertum eſt, et ſententiatum pro Rogero de Mortuo-mari filio filiæ Leonelli ducis Clarentiæ. Unde notandum eſt, quòd Eadwardus Windeſour rex habuit quinque filios, viz. Eadwardum principem Walliæ, patrem dicti regis Richardi, in quo defecit ſucceſſio; ſecundum, Leonellum prædictum, ducem Clarentiæ; tertium, Johannem Gaunt ducem Lancaſtriæ; quartum, Eadwardum Langley ducem Eboracenſem; quintum, Thomam Wodſtok ducem Glouceſtriæ: et ſic patet quòd filiatio filiæ Leonelli

* *Summam*, MS. Cupr. eodem ſenſu. † Verba uncis incluſa deſiderantur in MS. col. Edinb.

debet

debet de jure ſuccedere. Cujus quidem filiæ filius fuit Rogerus de Mortuo-mari, comes Marchiæ Walliæ, qui habuit filios et * filias ſuperſtites, tempore intruſionis iſtius Henrici de Lancaſtria. Cujus etiam Rogeri ſenior filia fuit uxor Richardi ducis Eboraci, et junior filia fuit uxor comitis de Devonſchire: ſoror autem dicti Rogeri fuit mater Henrici Percy tertii comitis Northumbriæ, adhuc ſuperſtitis.

Iſte Henricus Lancaſtriæ, dux Herfordiæ et comes de Derby, quando ſibi regni diadema de facto aſſumpſit, miſit abbati de Glaſinberi pro actis parliamentariis et chronica, quæ poſuerunt filias Rogeri de Mortuo-mari debere ſuccedere: et quia excuſando negavit, recognovit temporalitatem, donec chronicam obtinuit et incendit; ac novas pro ſe facientes fabricari juſſit. De jure igitur ejus inveſtigent per præmiſſa qui velint. Igitur dum ipſe Richardus rex in Hibernia moraretur, in regno ſuo Angliæ contra ipſum nequiter conſpiratum eſt: nam Henricus comes de Derby, filius Johannis Gaunt ducis Lancaſtriæ, qui priùs per ipſum regem Angliæ ad certum tempus fuerat exiliatus, per medium Henrici et Henrici Percy, patris et filii, de Northumberland, necnon per comitem de Weſtmerland, dominos de Wiluby et Roſs, Angliam cum vix triginta perſonis intravit, et potentiâ Perciorum et præmiſſorum aliorum aſſecuratus, in Northumbria aliquanto tempore demoratus eſt, donec fere tota communitas Angliæ, per ipſorum ſuggeſtionem, inſtructi erant, quòd rex per cartam de Trailbaſton omnes quaſi nobiles regni exheredaret, et communienſes perpetuæ ſervituti redigeret. Et quia de facili mobile vulgus flectitur, perſuaſionibus, promiſſis et blandimentis dictorum trium Henricorum, contra regem ſuum liegium mala molientium, multorum corda amaricata ſunt.

Dum hæc itaque ſic ſe haberent, nunciatum eſt regi, adhuc in Hibernia conſiſtenti, à ſuis fidelibus, conjurationem in regno contra eum invaluiſſe. Propter quod ad Walliam reverſus, in firmiſſimo caſtro de Conway ſe cum ſuis recepit, ibidem adverſariorum aſſultus pavidè præſtolando. Tandem ſibi miſſi ſunt illuc in legationem ab Henrico de Lancaſtria Cantuarienſis et Aſſavenſis epiſcopi, Henricus Percy pater, et D. de Fewater, inſinuantes ſibi ut conſilium convocaret, et dictum Henricum de Lancaſtria reconciliaret, et à ſe removeret conſiliarios, ſciz. Buſhy, Scrope, &c. et reſtitueret Henricum ad ſuum officium ſeneſcalliatûs, et ipſum et regni nobiliores admitteret in conſiliarios, et foret rex in excellentiori ſtatu quàm unquam fuerat: et ſibi nomine mittentis juraverunt, quòd nunquam ſibi ipſi Henricus coronam vendicaret; et hoc ſuper ſacramentum Dominici corporis. De quorum promiſſione rex confiſus, ſe credidit eis. Et, dum veniret ad paciſcendum cum Henrico, arreſtatus fuit doloſè per homines Henrici, et abhinc ductus eſt Ceſtriam; deinde Londonias, captis priùs ſuis fidelibus conſiliariis †, viz. Johanne Buſhy, Willelmo Scrope, Willelmo Bagot et Henrico Greve, militibus. E quibus Bagot ſolus evaſit, ceteris morti turpiſſimæ adjudicatis, utpote decollatis, et membratim diſſectis, et capitibus et artubus eorum diverſis civitatibus Angliæ in eminentioribus locis ſuſpendendis, et ad ſpectaculum viventium deſtinatis.

* Filias tantum memorant MS. col. Edin. et edit. H. † Contra quorum conſenſum pactum iniit cum præmiſſis, *addit MS. Cupr.*

Convocato igitur parliamento ex parte regis Richardi, ibidem coram omnibus per Percyos et ſuorum prolocutores falſò accuſati, compulſus eſt, metu mortis, renunciare omni juri ſuo ad regnum competibili. Et ſic coactus, privatus eſt omni jure regio, tertio die Octobris, anno Domini milleſimo trecenteſimo nonageſimo nono: cujus quidem renunciationis, ſive reſignationis tenor ſequitur.

CAP. VIII.

De renunciatione juris regis Richardi.

IN nomine Domini, Amen. Ego RICHARDUS rex Angliæ et Franciæ, ac dominus Hiberniæ, omnes dictorum regnorum archiepiſcopos, epiſcopos, et alios quoſcunque eccleſiarum ſecularium et regularium prælatos, cujuſcunque dignitatis, gradûs, ſtatûs ſeu conditionis exiſtant, duces et marchiones, comites et barones, milites et vaſſalos, valuaſſores et liegios meos quoſcunque, eccleſiaſticos vel ſeculares, quocunque nomine cenſeantur, à juramentis fidelitatis et homagii, et aliis quibuſcunque mihi factis, ab omni vinculo liegantiæ et regaliæ ac dominii, quibus mihi obligati fuerant vel ſunt, vel aliàs quomodolibet aſtricti, abſolvo, et eos et eorum heredes imperpetuum ab eiſdem obligationibus et juramentis, ac aliis quibuſcunque, relaxo, libero et quieto, et liberos, quietos, ſolutos et immunes, quantum ad perſonam meam, dimitto, ad omnem juris effectum qui ex præmiſſis ſequi poterit, ſeu aliquo modò præmiſſorum: omni regiæ dignitati, majeſtati, coronæ, dominio, et poteſtati dictorum regnorum et dominii: hiſque dominiis et poſſeſſionibus meis, ſeu mihi quomodolibet competentibus quibuſcunque, quocunque nomine cenſeantur, infra regna et dominia ſupradicta, vel alio ubilibet conſtituta, omnique juri et colori juris ac titulo, poſſeſſioni ac dominio quæ unquam habui, habeo, ſeu quovis modo habere potero in eiſdem, ſeu eorum aliquo, vel ad ea, cum ſuis juribus et pertinentiis univerſis, ſeu dependentiis quibuſcunque ab eiſdem, ſeu eorum aliquo, necnon regimini, gubernaculo et adminiſtrationi regnorum et dominiorum hujuſmodi, omnibuſque et omnimodis mero et mixto imperio ac juriſdictioni in eiſdem regnis et eorundem dominiis mihi competentibus ſeu competituris, nominique et honori, ac regaliæ et celſitudini regiis, purè, ſpontè, ſimpliciter et abſolutè melioribus modo et formâ et viâ quibus potero, in his ſcriptis RENUNCIO, et ea in totum RESIGNO, DIMITTO, et eiſdem CEDO, et ab eiſdem RECEDO imperpetuum; ſalvis ſucceſſoribus meis, regibus Angliæ, in regnis, dominiis, et ceteris omnibus præmiſſis, imperpetuum juribus in eiſdem ſeu eorum aliquo competentibus quibuſcunque. Meque ad regimen et gubernationem dictorum regnorum et dominiorum, cum ſuis pertinentiis univerſis, fateor, recognoſco, reputo, et veraciter ex certa ſcientia, judico fuiſſe et eſſe inſufficientem penitùs et inutilem; ac propter mea demerita notoria, non immeritò deponendum. Et juro ad hæc ſancta Dei evangelia, per me corporaliter tacta, quòd nunquam præmiſſis renunciationi, dimiſſioni, reſignationi et ceſſioni contraveniam, ſeu eas quomodolibet impugnabo facto vel verbo, per

me

me ſeu per alium, vel per alios contraveniri vel impugnari permittam, quantum in me eſt, publicè vel occultè; ſed eaſdem renunciationem, reſignationem, dimiſſionem et ceſſionem imperpetuum ratas et gratas habeo, et firmiter tenebo et obſervabo, in toto et in omni ſui parte. Sic Deus me adjuvet, et hæc ſancta Dei evangelia. Præſentibus Henrico duce Lancaſtriæ, Henrico de Perciaco comite de Northumberland, et Henrico filio ſuo, &c.

His ſic geſtis, et de throno regali amoto rege Richardo et cuſtodiæ deputato, Henricus dux Lancaſtriæ prælatis et proceribus manuductus, genua ante thronum flectendo, prorupit in hæc verba:

CAP. IX.

De coronatione regis Henrici quarti.

IN the name of the Fadir, and the Son, and the Haly Gaiſt: I Henri of Lancaſter challangis this realme and the croune, wyth al the membris and the appertinantis, as I that am deſcendand be richt lyne of the blud cumin fram the gud kyng Henri the thrid; and throw that richt that God has ſend me, with help of my frendis, til recover it: the quhilk realme was in poynt to be tynt and undone for fault of governans and for undoyng of the gud lawis. Et, hoc facto, ſurrexit et locavit ſe in regali ſede, hæc verba proferendo: *Schirris, I thank God and you all, ſpiritual and temporal, and the ſtatis of the land. And I do you to wit, it is nocht my will at ony man think that, be way of conqueiſt, I wald deſire ony mannis heritagis, franchez or other richtis, that he aw to have, na put him out of it at he haffis, and has had be gud lawis and cuſtomis of the realm, except thai perſonis that has byn agayns the gud purpoſis and common profit of the land.* Iſto modo rex Richardus fuit regno privatus, et perpetuis carceribus, citò deficiendus, deputatus; ſed ſubtiliter abinde ereptus, et ad inſulas Scotiæ tranſvectus, et in coquina Dovenaldi domini Inſularum, à quodam fatuo, qui in curia regis Richardi, dum floreret, educatus fuerat, cognitus eſt repertus; et à dicto domino Inſularum ad regem Scotiæ Robertum tertium per dominum de Monte-Gomorry tranſmiſſus, cum quo, dum rex Scotiæ vixerat, reverenter, ut decuit, procuratus, et, poſt mortem regis, duci Albaniæ gubernatori Scotiæ præſentatus; cum quo regificè quoad ſtatum honoratus, tandem in caſtro de Strivelyn mortuus, et in eccleſia fratrum ejuſdem ad aquilonare altaris cornu ejuſdem tumulatus. Hic Richardus fuit filius Eadwardi principis Walliæ, filii Eadwardi Windeſor, qui rexit annis viginti duobus; mortuus ſine liberis.

Tempore expulſionis hujus regis Richardi, fuit regina uxor ejus Iſabella, duodennis puella, in caſtro de Windeſor per annum et dimidium recluſa, et multis modis impulſa ad maritandum cum juniore Henrico Lancaſtriæ, filio et herede dicti regis Henrici, ſed hoc omnino renuit. Tandem redempta magno pretio, miſſa eſt Pariſius regi patri ſuo. Ad hunc Henricum patrem venit quidam ſanctus homo, qui dicebatur Albus Heremita de Anglia, dicens, quòd edoctus fuit à Sancta Trinitate, et in ſpiritu vidit ſedem ſuam igne gehennali inflammatam, et paratam cum dæmonibus, in qua, poſt mortem, locaretur,

niſi

niſi coronæ regni, ſibi non competibili, reſignaret. Cui rex; "Si verò "renunciavero, quis mihi ſuccedet?" "Poſt te, inquit heremita, "diabolus, et poſt diabolum ſanctus; poſt ſanctum gladius, et poſt "gladium nullus." "Cùm igitur (inquit Robertus de Waterton con-"ſiliarius regis) tu ſis tam carus Deo, ut tibi ſua ſecreta ſint tam pa-"tula, expedit, ut ſibi concitus tu mittaris." De cujus et aliorum aſſentatorum conſilio rex ſibi incontinenti juſſit caput præcidi. Qui poſtea multimodis claruit miraculis. Sed rex, tempore ad pœnitendum abutens, horribili leprâ percuſſus, dehinc ſpaſmate et guttâ, aſthmate et podagrâ contractus, ante obitum in tantum imminutus decrevit, ut non major parvulo duodenne videretur, quanquam in vernante ſuâ virilitate miles fuerat procerrimus, et quaſi unus ſtaturâ de majoribus totius ſuæ curiæ. In fine tamen pœnituit, legationem faciens Henrico ſuo primogenito et heredi, ſub interminatione divini maledicti, ut ſibi coronam non appropriaret, ſed ipſam veris heredibus dimitteret. Qui mandatum patris parvipendens, miſerabiliori morte, utpote igne ſacro extoſtus, apud Gallias interiit. Propter hujuſmodi uſurpationes dicit Chriſtus dominæ Brigittæ, lib. VI. cap. lxxxv. "Quid credunt homi-"nes malæ fidei poſſeſſores, qui detinent injuſtè obtenta et ſcienter? "Nunquid intrabunt in requiem meam? Certè non magis quàm in "Paradiſum Lucifer."

CAP. X.

De ſponſalibus et matrimonio ducis Rothſaienſis, et captione caſtri de Dunbar.

EOdem anno dux Rothſaienſis affidavit Elizabeth, filiam domini Georgii de Dunbar comitis Marchiæ, in ſponſam; ſolutâ propterea regi magnâ ſummâ auri. Sed quia, ut dicitur, ſine conſenſu trium ſtatuum factum perhibetur, dominus Archibaldus comes de Douglas, ad inſinuationem conſilii regis, promiſit et ſolvit majorem ſummam priore, et de novo rex filiam dicti Archibaldi, dominam Marjoriam nomine, dicto duci Rothſaienſi nubendam permiſit: qui* eam de facto matrimonialiter copulavit, et in facie eccleſiæ apud Bothvile feſtivaliter matrimonium celebravit. Quod comperiens comes Marchiæ, antequam tamen matrimonium fuerat conſummatum inter ducem et filiam Archibaldi, dominum regem adiit, et de obſervanda conventione ipſum alloquitur, ut vel matrimonium inter ducem Rothſaienſem et filiam ejus Elizabeth exſequi demandaret, vel ſibi ſaltem ſummam præ manibus traditam reſolveret. Sed de reſponſo regis comes non contentus, et ultrà fortè quàm debuit commotus, in aliquantulas minas apertò prorupit, dicens, "Ut quòd vel ſibi rex pactum ſervaret, vel inauditum "quid regno et inſolitum fieri procuraret." De cujus grandiloquio nonnulli fortè ſiniſtrè interpretantes, hæc verba tacitè obſervabant in corde conferentes. Et ſub celeritate comes, adepto regis Angliæ conductu, Angliam petiit; et caſtrum de Dunbar nepoti ſuo, filio ſciz. ſororis ſuæ, domino Roberto Matelant militi cuſtodiendum reliquit.

*Qu eam de facto in facie eccleſiæ apud Bothvile matrimonialiter in ſponſam accepit, *MS. Cupr.*

Qui

Qui incontinenti, poſt receſſum comitis, trepidans timore, ubi fortè non erat timor, ipſum caſtrum de Dunbar, neſcio quo pacto, domino Archibaldo de Douglas, filio et heredi Archibaldi Grym comitis ejuſdem, anno Domini MCCCC. tradidit ad ſervandum. Quod ut audivit comes Marchiæ, caſtrum ſuum per internuncios ſibi reddi petiit, utpote quia ipſe in fide regis Scotiæ liegius ejus homo exſtiterat, et in nullo forisfecit, ſed in Anglia ſub conductu exiſtens certa inibi negotia tractaturus: ſed breviter non potuit caſtrum adipiſci. Quapropter nimium commotus comes Marchiæ, miſit pro filiis ſuis et familiaribus; qui fortes robore et animo feroces ad eum in magno numero confluebant; adjungenteſque ſe Anglis in omni expeditione guerrica terras adjacentes Marchiis Scotiæ, præ ceteris, aggravaverunt. Nam pauci de eis eo tunc ſoliti erant interiora terræ petere, et huſbandos, vel quoſque alios divites circa Hadingtoniam, et ad intra diverſis vicibus capere et captivare, et immunes cum captivis et ſpoliis ad Angliam redire. Eodem namque anno, in craſtino purificationis noſtræ Dominæ, venit comes Marchiæ hoſtiliter cum duobus millibus electorum, habens ſecum Henricum Percy juniorem, qui et Hatſpur dicebatur, et imperceptè venerunt uſque villam de Popil, à qua uſque Lynton deprædantes et depopulantes, affiliebant binâ vice caſtrum de Hales, et combuſtis villis de Hales, Traprin et Merkil*, caſtrametati ſunt apud Lynton et Preſton; ubi pernoctare proponentes, et aſſaturas igni applicantes, dixerunt, Quis nobis nocebit? Scrutati ſunt iniquitates, ſed defecerunt ſcrutinio ſcrutantes: nam acceſſit homo ad cor altum, Archibaldus viz. magiſter de Douglas, qui de nocte præmunitus de adventu inimicorum, per totum illum diem expeditiùs à caſtro de Edinburgh, cum ſuis, Anglis approprians, ad ſonitum cornu et buccinæ patriam concitans, ante ſolis occaſum venit ad collem de Pentrak: de quo præmuniti Anglici, relinquentes ſpolia et aſſaturas ad ignem, ordine prætermiſſo, fugam inierunt. Scoti igitur per totam illam noctem teterrimam illos inſequentes, in boſco et parco de Colbrandiſpeth multos cœperunt, reliquos fugantes uſque Berwicum; quinetiam intra portas ejus Anglos proſtraverunt, et abhinc lanceam et vexillum domini Thomæ Talbot ſecum aſportaverunt.

CAP. XI.

De obitu domini Archibaldi de Douglas comitis ejuſdem, dicti Terribilis, et de exercitu regis Henrici in Scotia.

EOdem anno, ſcilicet Domini MCCCC. obiit dominus Archibaldus primus hoc nomine comes de Douglas, dictus Grym ſive Terribilis, qui in terrena prudentia, fortitudine et audacia, conquæſtu et divitiis, ceteros ſuo tempore Scotos quaſi anteceſſit. Æquiſſimus etiam erat in judiciis, ſed et rigoroſus; firmus etiam in promiſſis, et ubique maximâ comitivâ militum et virorum fortium ſuffultus: miniſtros eccleſiæ in maxima veneratione habebat. Non fuit monaſteriis vel eccleſiis oneroſus, ſed ubicunque contingeret eum in monaſterio pernoctare, de victualibus inibi relictis gaudebat ſe quæſtum magnum reportare.

*Cum eorum grangiis, *addit MS. Cupr.*

Hic, expulſis monialibus de Linclowdan, inſtituit ibi collegium clericorum. Collegium etiam de Bothvile fundavit; Galwidiam rebellantem regi conquiſivit, quam eidem rex contulit, et ſuis ſucceſſoribus in perpetuum heredibus de corpore ſuo aſſignavit.

Eodem anno venit rex Henricus Angliæ cum grandi exercitu in partes Laudoniæ, habens ſuum navigium deferens per mare victualia; qui intrans terram Scotiæ pridie ante feſtum aſcenſionis noſtræ Dominæ, et in feſto ejuſdem ad Hadingtoniam venit, et ibidem per tres dies perhendinavit. Dehinc ad Leth acceſſit, et ibidem per tres dies moram traxit, interim aſſiliendo de Edinburgh; in quo erat dux Rothſaienſis et Archibaldus ſecundus comes de Douglas, cum aliis proceribus et nobilioribus citra aquam de Forth. Quo in tempore copioſum exercitum congregavit dux Albaniæ gubernator Scotiæ, et pervenit uſque Caldir-more. Sed propter quaſdam ſimultates inter ducem Rothſaienſem et ipſum præconceptas, nihil memoriæ dignum actum eſt, ſed quaſi inoffenſo pede rex Henricus repatriavit, modicum damni inferens patriæ: ſed et generoſitatis ſuæ in hoc dedit indicium, ut quodcunque municipium vel turris invalidior in itinere ſuo conſtitutum, ſi dominus ejus aſſecurantiam peteret, ſtatim conceſſit, miſſo illuc ſigno ſuo panno depicto ad exercitui oſtendendum, et abhinc propterea divertendum. Similiter ad monaſteria et quæcunque villagia, vel loca infirmiora. Cùm autem ad eum apud Leth veniſſent duo canonici Sanctæ Crucis, ſupplicantes pro ſalvatione monaſterii, libenter annuit, dicens; "Abſit ut "tam inhumanus cenſerer aliquid moleſtiæ inferre cuicunque ſacroſanctæ "eccleſiæ, et præcipuè loco monaſteriali Sanctæ Crucis, in quo dominus pater meus dux Lancaſtriæ, exulans de regno Angliæ, aſylum "invenit ſingulare. Ego, inquit, ſum Semi-ſcotus de ſanguine Cominienſium* generatus; et ad huc veniendum hoſtiliter, teſte Altiſſimo, provocatus; et hoc propter quaſdam epiſtolas †, per quendam "de majoribus regni veſtri, regi Franciæ tranſmiſſas, ſuper mare per "meos cum latoribus earundem captas, et hîc apud me aſſervatas: in "quibus aſſeruit me proditorem in ſuperlativo. Et propterea huc adveni, non multum ad nocendum patriæ, ſed ad præſtolandum ſi ille "fuerit auſus congredi, et innocentiam ſuam vel probitatem cum tali, "ut ipſe aſſeruit, proditore, etiam in ſua patria præſentialiter experiri."

CAP. XII.

De captione et morte ducis Rothſaienſis.

ANNO Domini milleſimo quadringenteſimo primo, obiit columna eccleſiæ robuſtiſſima, vas eloquentiæ, theſaurus ſcientiæ, ac defenſor catholicæ fidei, dominus Walterus Treyl epiſcopus S. Andreæ; et etiam domina Anabella regina apud Sconam deceſſit, et ſepulta eſt in Dunfermelyn. Hi enim duo, dum viverent, honorem quaſi regni exaltabant; videlicet, principes et magnates in diſcordiam concitatos ad

*Sanguine Cominienſi ex parte matris generatus, *MS. Cup.* †Epiſtolas ſive libellos, ut ita dicam, famoſos, per unum de majoribus regni veſtri, in cujus manuum ſtatere libratio regni convenit ſe gyrare, regi Franciæ, &c. *Ibid.*

concordiam

concordiam revocantes, alienigenas et extraneos egregiè ſuſceptantes et conviviantes, ac munificè dimiſſos lætificantes. Unde quaſi proverbialiter tunc dictum exſtitit, quòd mortuis reginâ Scotiæ, comite de Douglas, et epiſcopo Sancti Andreæ, abiit decus, receſſit honor, et honeſtas obiit * Scotiæ. Eodem anno quarta mortalitas exſtitit in regno. Paulo ante dominus rex in conſilio deputavit certos conſiliarios, valentes barones et milites, juratos ad regendum et conſiliandum dominum David Stewart ducem Rothſaienſem, comitem de Carrik, et principem regni, quia videbatur regi et conſilio quòd immiſcebat ſe ſæpiùs effrænatis luſibus et levioribus ludicris. Propter quod et ipſe conſilio aſtrictus ſaniori †, juravit ſe regimini eorum et conſilio conformare. Sed mortuâ reginâ ipſius nobili matre, quæ eum in multis refrænabat, tanquam laqueus contritus fuiſſet, ſperavit ſe liberatum, et, ſpreto proborum conſilio, denuo in priori levitate ſe totum dedit. Propter quod conſilium procerum ſibi aſſignatum quitabat ſe regi, et ſi voluiſſet, non tamen poſſe ſe eum ad gravitatem morum flexiſſe atteſtatur. Unde rex impotens et decrepitus ſcripſit fratri ſuo duci Albaniæ, gubernatori regni, ut arreſtaretur, et ad tempus cuſtodiæ deputaretur, donec virgâ diſciplinæ caſtigatus, ſeipſum meliùs cognoſceret. Non enim oſculatur filium pater, ſed aliquando caſtigat. Sed quod rex propoſuit ad filii emendam, tendit ei ad noxam. Nam uterque bajulus literæ regalis ad gubernatorem de facto oſtendit, ſe incentorem et inſtigatorem regi ut taliter demandaret, quod honori alterius obviaret, ſicut experientiâ exitus rei patefecit. Domini enim Willelmus Lindeſay de Roſſy et Johannes Remorgeney milites, regis familiares et conſiliarii, nuncii et portatores erant literarum regis gubernatori: quique etiam, ut dicitur, duci Rothſaienſi priùs ſuggeſſerunt, ut, poſt obitum epiſcopi Sancti Andreæ, caſtrum ſuum ad uſum regis, quouſque novus epiſcopus inſtitueretur, reciperet et ſervaret: quique ipſum ducem, nihil mali præmeditatum, ad caſtrum Sancti Andreæ ſimpliciter, et cum moderata familia, equitantem, inter villam de Nidi et Stratyrum arreſtaverunt, et per potentiam eundem ducem ad ipſum caſtrum Sancti Andreæ, ſibi ad deliberandum paratum, induxerunt, et ibidem in cuſtodia tenuerunt, quouſque dux Albaniæ cum ſuo conſilio apud Culros tento, quid de eo facerent, deliberaverunt. Qui quidem dux Albaniæ, cum domino Archibaldo II. comite de Douglas, manu validâ ipſum ad turrim de Faulkland, jumento impoſitum et ruſſeto collobio ‡ chlamidatum tranſvexerunt: ubi in quadam honeſta camerula eum ſervandum deputaverunt. In qua tam diu cuſtoditus, ſcilicet per Johannem Selkirk et Johannem Wrycht, donec dyſſenteriâ, ſive, ut alii volunt, fame tabefactus, finem vitæ dedit vij. Kal. Aprilis, in vigilia Paſchæ, ſerò, ſive in die Paſchæ ſummo mane, et ſepultus eſt in Londoris. Præmiſſus verò Johannes Remorgeney tam principi, quàm domino regi, erat conſiliarius, audax ſpiritu ⸸, et pronunciatione eloquentiſſimus, ac in arduis cauſis prolocutor regis, et cauſidicus diſertiſſimus: qui, ut dicitur, ante hæc ſuggeſſit ipſi principi duci Rothſaienſi, ut patruum ſuum ducem

* Emarcuit *pro* obiit, *MS. Cupr.* † Conſilio aſtrictus ſaniori præmiſſorum baronum, *ibid.* ‡ Propter impetum imbris gelidi, *additur ibid.* ⸸ Infimus genere, *add. ib.*

Albaniæ

Albaniæ arreſtaret, et, qualicunque occaſione nactâ, ſtatim de medio tolleret: quod facere omnino princeps refutavit. Iſtud attendens miles, malitiæ ſuæ fuligine occæcatus, à cœptis deſiſtere nequivit, hujuſmodi labe attachiatus; quia, ut ait CHRYSOSTOMUS, "Coërceri omnino "nequit animus pravâ ſemel voluntate vitiatus." Et ideo, vice verſâ, pallium in alterum humerum convertens, hoc idem maleficium ducem Albaniæ de nepote ſuo duce Rothſaienſi facere inſtruxit; aliàs ſine fallo *, ut aſſeruit, dux Rothſaienſis de ipſo finem facturus fuiſſet. Dictus inſuper D. Willelmus Lindeſay cum ipſo Johanne Remorgeney in eandem ſententiam fortè conſentivit, pro eo quòd dictus dux Rothſaienſis ſororem ipſius D. Willelmi Euphemiam de Lindeſay affidavit, ſed per ſequentia aliarum matrimonia attemptata, ſicut et filiam comitis Marchiæ, ſic eandem repudiavit. Ipſe enim, ut æſtimo, eſt ille David, de quo vates de Breclyngton ſic vaticinatus eſt, dicens;

Pſalletur geſtis David luxuria feſtis,
Quòd tenet uxores uxore ſuâ meliores,
Deficient mores regales, perdet honores.

Paulo ante captionem ſuam apparuit mirabilis cometes, emittens ex ſe radios crinitos ad Aquilonem tendentes. Ad quam viſendum, cùm primò appareret, quodam veſpere in caſtro de Edinburgh cum aliis ipſe dux ſecedens, fertur ipſum ſic de ſtella diſſeruiſſe, dicens; "Ut à "mathematicis audivi, hujuſmodi cometes, cùm apparet, ſignat mor- "tem vel mutationem alicujus principis, vel alicujus patriæ deſtructio- "nem." Et ſic evenit ut prædixit. Nam, duce captò, ſtatim in præjacentem materiam, ſicut Deus voluit, redit ſtella. In hoc potuit iſte dux Sibyllæ prophetiſſæ comparari, de qua ſic loquitur CLAUDIANUS:

Miror, cur aliis quæ fata pandere ſoles,
Ad propriam cladem cæca Sibylla taces.

De natura cometis habes ſuprà, lib. III. cap. lij.

CAP. XIII.

De conflictu de Neſbit ſecundo, per nobilem Patricium Hepburn de Hales.

POST receſſum comitis Marchiæ de Scotia, ut præmittitur, Anglici Scotis familiaribus ipſius comitis, qui infirmitatem et ſecreta terræ noſtræ peroptimè cognoverunt, aſſociati, multa mala Scotiæ intulerunt. Ad quorum malitiam ex adverſo propulſandam, quia pro tunc comitatus Marchiæ et inhabitatores Marchiæ favebant dicto comiti domino ſuo nativo, proceres et nobiles Laudoniæ, de conſilio et ſupportatione comitis de Douglas, qui pro tunc occupabat caſtrum de Dunbar cum comitatu ejuſdem, inter ſe condixerunt, ut certi de majoribus patriæ principaliores domini ſingillatim expeditionem facerent, et exercitum congregarent, ac Angliam hoſtilibus aſſultibus impugnarent. Quorum unus pro ſua vice præeſſet, et nomen ſibi equitatûs aſſumeret: cui etiam ceteri aſſiſterent, et ſibi, tanquam capitaneo, obedirent. Incepit igitur

* Dubio *pro* ſallo, *MS. Cupr.*

ante

ante alios nobilis ac bellicoſus vir dominus Johannes de Haliburton de Dirlton, et viriliter cum ſociis ad terminum præfinitum in Angliam, ſpoliando et conflagrationes faciendo, proceſſit, et ſalvus cum ſuis repatriavit. Conſequenter ſecundò equitatui præfuit miles magnanimus et athleta bellicoſus Patricius de Hepburn de Hales junior, patre præ nimia ſenectute, utpote octogenario et ultra, domi relicto. Qui laudabiliter ſe per omnia habuit in Anglia: ſed et quia alti cordis erat, cupiens nomen ſuæ probitatis dilatari, contra conſilium ſuorum commilitonum, moratus eſt ibidem ulteriùs quàm opportuit vel definitum fuerat, per unum diem naturalem. Unde interim dictus comes Marchiæ, cum belligeris et poteſtate comitis Northumbriæ, unà cum ſuis Scotis ſatis fortiter munitus, prævenit noſtros Scotos apud Neſbit-more in Marchia, xxij. die Junii, A. D. MCCCCII. ubi acriter hinc inde conflixerunt, donec indecentior pars Anglis deputata eſt. Sed tandem ſuperveniens dominus Georgius de Dunbar, filius et heres dicti comitis, in triginta equis habentes ſinguli duos ſeſſores; qui recenter et ex inſperato in noſtros irruentes, præ priore pugna et fatigatione contritos, victoriam de facili de ipſis obtinuere. Ubi ſtatim interfectus fuit capitaneus nobilis Patricius de Hepburn præmiſſus, cum multis valentibus viris, quorum multi vulnerati poſtea moriuntur; alii arte medicorum relevati tandem convaluerunt. Capti ſunt enim ibi incliti milites, viz. Johannes et Thomas Haliburton, Robertus Lawedre de le Baſs, Johannes et Willelmus Cockburn fratres, cum multis valentibus armigeris, et quaſi flos militiæ magnæ partis Laudoniæ; domini Johannes et Thomas Haliburton, obſidibus datis, poſtquam domum pervenerunt, in profluvio ventris occubuerunt.

Eodem anno fundata eſt capella beatæ Mariæ virginis, ſolemniter voltata contiguè ad partem auſtralem chori monaſterialis eccleſiæ Sancti Columbæ de inſula Æmonia, per induſtriam dominorum Richardi de Abirdon Prioris, et Thomæ Crawford canonicorum ejuſdem.

CAP. XIV.

De bello de Homildoun.

VOlens igitur novus comes de Douglas Archibaldus II. gener regis, habens pro tunc in cuſtodia caſtrum de Edinburgh et Dunbar, vindictam de Anglis expetere pro occaſu Scotorum apud Neſbit, adiit gubernatorem Scotiæ ducem Albaniæ, petens ab eo auxilium ad fortificandum exercitum ſuum; quia de conſilio ſuo dixit ſe velle Angliam viſitare. Qui ſibi conceſſit filium ſuum primogenitum, dominum Murdacum, cum multiplicata manu militum et proborum virorum. Collegit igitur exercitum grandem, anno quo ſuprà, numero circiter decem millium pugnatorum electorum, habens ſecum, præter magiſtrum de Fife, filium gubernatoris, comites de Angus et Moraviæ: et intrantes Angliam, deprædati ſunt eam uſque ad Novum-caſtrum. Et in redeundo prævenerunt eos D. Henricus Percy junior, aliàs Hatſpur, cum comite Marchiarum, domino Georgio de Dunbar, et exercitu grandi, apud Milfelde: ubi comes de Douglas aſcendit locum eminentiorem, Homildoun vocatum, et ibidem in edito præſtolabatur adventum Anglicorum:

rum: qui ſtantes in plano ex adverſo, tandem de mandato Percy volebant aſſilire Scotos; ſed comes Marchiæ retinebat Percy per frenum, dicens eum non debere movere, ſed dedere mittere ſagittarios, et Scotos, quaſi ſignum ad ſagittas, poſſe de facili penetrare, et ſic eos victos captivare, ſicut rei exitus patefecit. Nam ad Scotos procedentes arcitenentes Angli ipſos ſagittis conſuerunt, et ad modum erinacii tanquam cetis et ſpinis hiſpidos reddiderunt, manus et lacertos propriis Scotorum lanceis confixerunt, ubi aſperrimo imbre ſagittarum alios proſtraverunt, alios vulneraverunt, et quamplures occiderunt.* Quod attendens miles magnanimus dominus Johannes Swynton, tanquam voce horridâ præconis exclamavit, dicens; "O commilitones incliti! quis vos hodie faſcinavit "non indulgere ſolitæ probitati, quòd nec dextris conſeritis, nec ut "viri corda erigitis ad invadendum æmulos, qui vos, tanquam damu"los vel hinnulos imparcatos, ſagittarum jaculis perdere feſtinant? "Deſcendant mecum qui velint, et in nomine Domini hoſtes penetra"bimus, ut vel ſic vitâ potiamur, vel ſaltem, ut milites, cum honore "occumbamus." Hæc audiens inſignisſimus belliger Adam de Gordon, dominus ejuſdem, qui et ipſe per magna tempora capitales contra dictum dominum de Swynton inimicitias exercuit, interfectis ab utraque parte per diverſos conflictus valentioribus armigeris, flexis coram eo genibus veniam petiit, ac etiam ab eodem, tanquam à tunc probiori milite in armis totius, ut aſſeruit, Britanniæ, ſe per ejuſdem D. Johannis manus in militem circumcingi. Quod et factum eſt: et ipſos ſic reconciliatos ſecuta eſt venerandæ militiæ cohors centena, qui cum millenis Anglicis intrepidè concertantes, non ſine magna ſtrage Anglorum tota illa conventio Scotica cecidit occiſa. Creditum utique fuit, et per Anglos, ut audivi, juratum, quòd ſi ceteri Scoti qui in monte de Homildoun ſteterant ipſos conſimili impetu expetiviſſent, vel quòd Anglici aufugiſſent, vel de ipſis Scoti victoriam obtinuiſſent. Hi etenim milites ibi ceciderunt, Johannes de Swynton ejuſdem, Adam de Gordon ejuſdem, Johannes Levingſton de Kalendar, Alexander Ramſay de Dalwolſi, Walterus de Sancto-Claro, Rogerus de Gordon, et Walterus Scot, cum aliis quamplurimis valentioribus ſcutiferis, quorum mors non minus regno damnabilis, quàm flebilis exſtitit et dolenda. Captus ibi fuit valens miles, et inter ſapientes primus, dominus Willelmus Stewart de Foreſta, et coram domino Henrico Percy juniore de traditione falſo adjudicatus, pro eo quòd, cùm puer eſſet, antequam Thevidalia venit ad pacem regis, ipſe, ſicut ceteri de patria, Anglicatus erat, et de neceſſitate. De hoc acriùs accuſatus, ſed ſagaciter ſuâ propriâ peroratione defenſus, tres Anglorum aſſiſas tanquam immunis evaſit. Sed et dictus Percy, qui Hatſpur dicebatur, inveteratâ excandeſcens malitiâ, probitati nimium et ſapientiæ militis invidens, non paſſus eſt ipſum ſic libertate donari; ſed et de aſſentatoribus ſuis novâ aſſiſâ electâ, præpropere et perperam condemnatur, et, tanquam traditor, tractus et

* *Addit MS. Cuprenſ.* Nunquam recolo me legiſſe vel audiviſſe Anglos in plano bello et plano campo Scotos viciſſe impetu et virtute lanceatum, dummodo Scoti fuerunt in numero pares, ſed ſæpiſſime fulminatione ſagittarum ecciderunt. Ideo caveant ſibi ne unquam exſpectent volatum ſpiculorum arcitenentium, ſed conſeſtim manualiter contendant cum eiſdem decertare, ſicut pro tunc conſuluit dominus Johannes Swynton.

dimembratus,

dimembratus, innocens martyr pro juſtitia paſſus à pleriſque etiam Anglis reputatus eſt. In iſto bello capti ſunt D. Mordacus Stewart primogenitus gubernatoris, dominus Archibaldus ſecundus hoc nomine comes de Douglas et uno lumine privatus, Thomas comes Moraviæ et Georgius comes de Anguſia, qui in Anglia peſte epidemiæ moritur. Capti ſunt etiam ibi, præter præmiſſos, hi milites, viz. domini Robertus Erſkyn de Alway, Willelmus Abirnethi de Salton, Jacobus Douglas magiſter de Dalketh, cum duobus fratribus ſuis Jacobo et Willelmo, Willelmus Erth ejuſdem, cum filio ſuo et herede Hugone, Johannes Stewart de Lorn, Johannes Seton ejuſdem, Willelmus Saintclar de Hirmandſton, Georgius de Leſli de Rothas, Jacobus Saintclar de Lankirmachus, cum filio ſuo Johanne, Patricius Dunbar de Bele, Alexander Home de Dunglas, Adam Forſter de Corſtorphin, Willelmus Stewart de Angus, Robertus Stewart de Duriſdere, Walterus Bikyrton de Lufenoſe, Robertus Logan de Laſtalrik, Johannes Ramſay de Grennoch, Helias de Kynninmont ejuſdem, Laurentius Ramſay de Clattay, Johannes Ker de Samelſtone, Fergufius Macdoual Galvidienſis, cum diverſis aliis, in feſto exaltationis Sanctæ Crucis. Quid plura? captus eſt et redemptus quaſi flos militiæ totius regni Scotiæ.

CAP. XV.

De obſeſſione caſtri de Coklawis.

POST infauſtum itaque bellum de Homildoun Henricus Percy, aliàs Hatſpur, multum confiſus de conſilio et auxilio comitis Marchiæ, de facili putabat Scotiam uſque mare Scoticum ſibi poſſe ſubjugare, pro eo quòd probiores et valentiores in armis Laudoniæ apud Neſbit-more, ac conſimiliter principes et armiductores principaliores Scotiæ devictos, captos et interfectos noverat apud Homildoun; tum etiam quia pro tunc habebant Angli in ſua poſſeſſione optimos et quamplurimos equos, et quaſi univerſas regni armaturas; propoſuit incipere ad Marchias, et ibidem quotquot invenire poterat munitiones obſidere et proſternere: et conſequenter plano ſchemate, conflagrationibus et deſtructionibus indulgere; et ſic ſine obice, ut putabat, uſque mare Scoticum debacchando procedere. Propter quod, collectâ ſecum armatorum multitudine, unà cum dicto comite Marchiarum et Scotis ſuis ferocibus, ſubitò ad turrim de Coklawis, quæ in confinibus Marchiarum in Thevidalia conſiſtit, obſidionem inſtauravit. Ubi, propter fulminationes ſagittantium, qui deintùs erant extra ſummitatem turris levare capita non audebant. Propter quod Angli trabiculis et mangonellis, et aliis ſuis inſtrumentis machinalibus, turrim ſubintrantes, muros celerrimè dolaverunt. At illi deintùs viriliter eis reſtiterunt ex adverſo. Tandem ad tempus abſtinentes à labore, inter D. Henricum Percy et valentem armigerum Johannem, Gryniſlaw, capitaneum caſtri, apunctuatum exſtitit et literis confirmatum, ut vel rex Scotiæ, aut gubernator, conceſſò capitaneo ſex ſeptimanarum ſpatio, A. D. milleſimo quadringenteſimo tertio, primo die Auguſti, caſtrum defendendo recuperaret, vel eo tunc Anglis idem capitaneus, cum omnibus bonis contentis et habitantibus in eo, ipſum caſtrum in deditionem Anglis reſignare. Conventum eſt inſuper

quòd

quòd caſtrum interim non melioraretur, ædificiis, nec pluribus perſonis defenſoribus, victualibus vel armis innovaretur, ſed in eodem ſtatu conſiſteret uſque ad tempus prænotatum. Ex hujuſmodi pacto ſoluta eſt obſidio, et in recedendo contigit quendam ſervum caſtri, in fundo ipſius per Anglos cavato, invenire inſtrumentum ferreum, bidentula ſive ligo vel *mattok* vulgariter nuncupatum: cujus inventionem quidam Anglicus percipiens, acceſſit illico ad Percy et dixit apertè Scotos conventionem fregiſſe, ac eiſdem propterea in nullo fidem adhiberi debere. Quod audiens capitaneus caſtri, de aſſecurantia acceſſit ad Percy, et obtulit ſe duello contra quemcunque Anglicum ibidem præſentem, ſibi comparem, ad defendendum ſervi factum, et quòd in illatione illius inſtrumenti, à fundibulariis obliti, læſum nequaquam fuit pactum. Electo igitur ex millibus fortiſſimo Anglico armigero, appellavit capitaneum, et utroque inibi, ſine mora, conſimili protecti armaturâ, alter alterum aggreditur. Anglicus proſternitur, et ibidem, redemptione ſolutâ, invaſor Anglis liber redditur, capitaneuſque obſes pro caſtro cum Percy proficiſcitur; et ob probitatem victoriæ plurimum ab Anglis collaudatur. Motivum fortè, et, ut dicitur, fuit Percy caſtrum de Coklawis ad illum finem obſidere, et ſic in ſuſpenſo relinquere, ut occaſione hujuſmodi pacti Scotos ad congreſſum provocaret, quia ſciebat eos frontoſos eſſe et animoſos; tum etiam, quia valentiores, ut præmiſimus, bellatores in prioribus binis conflictibus erant, quaſi omnes interfecti vel captivi, ſperavit abſque dubio, et ideo, ut veriſimiliter conjicitur, quòd adeptâ, ſi contingeret, de reliquis, ſive Scotorum reliquiis, unicâ campeſtri victoriâ, ſine difficultate tota illa provincia uſque ad mare foret Anglis deditioni contigua: ſed veriùs, ut in ſequentibus patebit, congregationem exercitûs fecit, non ut caſtrum aſſiliret, ſed ut dominum ſuum regem Angliæ Henricum confunderet; ſicut patuit in bello de Shrewiſbery. Sed quando homo firmiùs ſe putat proponere, et ad vello ſuum arduum quid reflectere, Deus, refugium infirmorum, et virtus, adjutor in tribulationibus quæ circumdant ſuos nimis, novit aliter diſponere, et in ſe dat ſpirantes propterea non timere, donec turbabitur terra, et transferentur montes: qui tam mirabilis eſt in operatione ſua, ut noverit bella auferre uſque ad fines terræ, arcum conterere, arma confringere, et ſcuta igni ad comburendum mittere. Nam bellum illud putatum, et à Scotis multipliciter formidatum, citra fines regni Angliæ, apud Coklawis eſſe committendum in Aquilone, tranſtulit feliciter ſtatuto tempore, in convertendo captivitatem noſtram, ſicut torrens, in Auſtro apud Shrewiſbery commiſſum in confinibus Walliæ.

CAP. XVI.

De reſcurſu de Coklawis per gubernatorem Robertum ducem Albaniæ:

INterea verò dum Coklawis obſideretur, Johannes Gladſtanis dominus ejuſdem tenuit ſe infra turrim ab Anglicis incognitum, et ex cauſa. Quibus à caſtro recedentibus, præſentavit ſe præſentiæ regis, apud Bochan tunc commorantis, exponens eidem modum obſidionis, et pactum deliberationis ejuſdem, ſi termino ſtatuto non relevaretur.

Propter

Propter quod acriùs à rege corripitur, et ad gubernatorem cum literis regiis mittitur, ut, convocato concilio, quid præſtantius ſibi videretur in tam grandi negotio provideret. Qui ad gubernatorem apud Faulkland veniens, et legationis ſuæ materiam per extenſum aperiens, dux primò obſtupuit, et ſtultitiam manu-captionis negotii redarguit, et eidem ſub pœna capitis inhibuit, ne aliqualem conſolationem Anglis interim de non relevatione caſtri exhiberet, ſed in bona ſpe perſiſteret; et quid finaliter in ipſa materia facturus eſſet, infra breve ſibi ſignificaret. Sed quia temporis brevitas non paſſa eſt ut concilium generale convocaretur, ſcripſit gubernator undique majoribus et ſapientioribus, prælatis et magnatibus è vicinio, ut ſibi conſulerent, quid in materia tam ardua foret faciendum. Qui in Faulkland congregati reſponderunt, aviſatè dicentes, quòd tutiùs eſſet, ut ſibi pro tunc videbatur, Anglis reddere municipium, quàm, pro ſuccurſu tantillæ turris, periculo ſupponere regnum. Et cùm de omnibus non fuiſſet nec unus quidem inventus qui contrarium ſapiebat, dux, aliquantulum commotus, è medio ſedentium aſſurgens, in hujuſmodi verba prorupit, dicens; "Die illo ſtatuto, Deo "et Sancto Felano devoveo ibidem me, vita comite, intereſſe, quam- "vis nullus mecum comitetur, niſi puer meus Patricius dextrarii mei "ſeſſor:" eodem Patricio de Kinbuk tunc fortuitò à longe ſtante, et per ducem indice demonſtrato. Mirantibus autem univerſis animoſitatem ducis, lacrimantes præ gaudio dixerunt; "Confirmet hoc Deus "quod operatus eſt in te, et nos ſpem ponentes in Altiſſimo, qui "milites hîc ſumus, promittimus tibi non deeſſe in tam ſerioſo negotio." Quid plura? gubernator omnibus per quos regni honorem credidit exaltari, miſſis curſoribus, ſub celeritate ſcripſit, ut, die et loco præſtatutis, meliori ſuo modo venire non poſtponant. Per quamlibet enim literam ſuam miſſivam ad quoſcunque pervenerat, ſic confortati ſunt, quòd omnes, quaſi ad epulas invitati, præfixo termino lætantiùs pervenerunt. Sed quia diverſa alia municipia interiùs de patria, poſt flebile bellum de Homildoun, traditione Scotorum in manibus erant Anglicorum, dux cum exercitu illuc priùs divertit; et, inter alia, caſtrum de Inverwik in Laudonia, non ſine damno ſuorum, viriliter obtinuit, et ad terram proſtravit. Et abhinc ad Coklawis, habens ſecum in exercitu quinquaginta millia equitum, et fere tantorum peditum, expeditionem duxit. Nec tamen in tanta multitudine fuit unus qui non credidit congreſſionem fieri inter gubernatorem et Percy, quique illo tempore, ut ſatis erant informati, exercitum collegit copioſum. Dum hæc itaque ſic ſe haberent, lis mortalis et diſcordia exitialis exoritur inter regem Henricum Angliæ et dictum D. Henricum Percy. Quorum felici diſcordiâ turris de Coklawis ab inſultu Anglicorum hucuſque permanet illibata. Cùm igitur gubernator cum ſuo exercitu approperabat ad caſtrum, nil aliud tunc ſperans quàm bellum, ad ſuum ſingulare colloquium admiſit certum nuncium ſibi ſecretiùs auriculantem, ſuum et regni adverſarium dictum Henricum de Percy apud Shrewiſbery fuiſſe occiſum. Propter quod præcepit nuncio hæc nova præterire ſilentio. At dum gubernator dictum caſtrum de Coklawis exercitum ſuum fecerat circundare, haraldi voce horridâ fecit illa nova Scotis appetibilia in altum proclamari. Quæ quæſo poterant lingua retexere,

quæ vel quot gaudia cunctos reſperſerant? Propter quod incolæ laudabant Dominum pro ſibi plurima collata gratia: et abhinc proſperè reverſus eſt unuſquiſque ad propria.

CAP. XVII.

De bello de Shrewiſbery.

CIRCA idem tempus Henricus Percy junior, collecto grandi exercitu ad invadendum, ut communis fama erat, caſtrum de Coklawis, ſed aliud mente habuit, viz. ad invadendum et confundendum regem Angliæ, pro eo quòd ſeduxit eum et etiam patrem ejus, ut prætendebat, quando poſt forbannitionem conſenſerunt eidem ad reditum Angliæ, non tamen ad invadendum coronam. Et ad propoſitum ſuum de ſubverſione regis concludendum, confœderati erant ei dux Eboracenſis, et comites de Stafford et Arundel, cum multis aliis, ſicut in cartis ragmannis conventum fuit. Attendens igitur rex de conſilio D. Georgii comitis de Dunbar, qui tunc erat ſecum, quòd dictus Percy exercitum ſuum collectum tam de partibus auſtralibus Walliæ et Angliæ, quàm de aquilonalibus Northumbriæ, &c. et quòd non properaret verſus Coklawis, timuit, et exercitum ſuum collegit. Cum quo erant præmiſſi, dux ſcilicet Eboracenſis, et comites, necnon dominus Thomas Percy frater ſenioris Henrici; qui de nocte receſſuri erant à rege, et cum quibus fuit maxima pars exercitûs regis. Junior Percy præcipitanter omnia agens, noluit exſpectare craſtinum, ut priùs condictum erat. Cui Percy rex ſub dolo nuncium miſit, exhortans eum ut parceret effuſioni ſanguinis: et ſi ſibi videbatur, quòd injuſtè coronam uſurpaſſet, convocato parliamento, ad inſinuationem prælatorum et procerum coronam deponeret, et debenti eam tradi conſentiret. Cujus blæſis oblationibus et promiſſis junior Percy effractus, indixit exercitui ut ſibi hoſpitia pro hac nocte capeſcerent. Qui dum hinc inde diſperſus fuerat, interim rex cum exercitu ſuo, ultra quendam ſtrictum paſſum Percy appropinquabat. Quod Percy audiens, buccinis exercitum ſuum revocare conatus, defecit, et cum paucis in facie regis reſtitit, et occiſus eſt. Ubi inſigniſſimus belliger Archibaldus II. comes de Douglas, qui anno præcedenti captus fuit apud Homildoun, tunc ex parte Percy agonizans, tantam ſtragem exercuit, ut, præter alios, tres reges ſophiſticatos, prætextu veri regis Henrici, utpote habentis tunicas armorum et regias coronellas ſupra caſſides, cum grandi clava interfecit*. Ubi tandem et ipſe captus, et de uno teſticulo caſtratus, ſicut et priùs apud Homildoun monoculatus, grande nomen inter omnes tempore ſuo ſuper terram conquiſivit. Ibi interfectus fuit nobilis miles Scotus Robertus Stewart de Hertſchaw, qui conſilium dedit de congrediendo, dicens Scotis ibidem præſentibus, "Se fore feliciter "vaſtandos ad finem quòd flos Angliæ ibidem emarceſceret." Interfecti ſunt ibidem ex parte regis comes de Stafford per comitem de Douglas, dominus Walterus Blount miles ſtrenuus, dominus de Dapawichecourt,

* *Addit MS. Cupr.* Sed cum poſtea audivit regem obtinuiſſe et ſuperſtitem fuiſſe, ſic fertur ipſum reſpondiſſe; Quamplures reges hodie ceciderunt, et adhuc vivit rex?

dominus

dominus Johannes Maſſy de Podington, dominus Fewater, cum multis aliis, ad numerum ſeptem millium. Ex altera parte interfecti ſunt Henricus Percy comes Northumbriæ, et Thomas Percy comes Worceſter, cum aliis ad ſummam ſeptingentorum.

CAP. XVIII.

De captione regis Jacobi ſuper mare.

ANNO Domini milleſimo quadringenteſimo quarto, D. Henricus de Wardlaw novus epiſcopus S. Andreæ, vir magnarum expenſarum, caſtrum ſuum recepit: in quo, conſervationis gratiâ, Jacobum comitem de Carrik tunc regis primogenitum et heredem, puerum quatuordecim annorum, benignè ſuſcepit; ac ipſum cum quodam ſuo coætaneo, Henrico viz. de Percy tertio, qui paulo ante, cum avo ſuo Henrico ſeniore comite Northumbriæ, domino honoris de Cokirmouth, in Scotiam ad aſylum fugerat, feloniam declinans regis Angliæ Henrici quarti, humaniſſimè tractavit. Sed ibi parvo tempore dictus comes de Carrik, princeps regni, demoratur, cùm, ecce! rex pater ſuus pro ſecuriori conſultus, præmiſſum principem filium ſuum cum nobili viro D. Henrico de Sancto-claro II. comite Orchadiæ, et honeſta familia, clàm conſtituit mittendum in una bargia ad confœderatum ſuum dominum Carolum Francorum regem, ut ibidem moribus imbutus, cum ætatem virilem attingeret ſecuriùs repatriaret, et regnum ſuum prudentiùs gubernaret. Exſpectans itaque princeps opportunitatem navis apud inſulam le Baſs, ibidem cum ſuis navem aſcendit, et in mari coram Flamburghede incidit in manus Anglicorum, ubi ab eiſdem triceſimo die Martii captus eſt, et in caſtro de Penvai arctæ cuſtodiæ deputatus, donec per regem Angliæ Henricum quintum, depopulantem Franciam, eductus ſecum, ſtetit ibi ad revocandum comitem Buchaniæ et Scotos, qui ad auxiliandum Francos ibi miſſi erant per dominum Robertum gubernatorem Scotiæ: ſed nihil ibi profecit. Et quamvis paulo ante trevæ erant tunc inter regna, tam per mare quàm per terram captæ, in Anglia nihilominus per octodecim annos princeps detentus erat et captivatus apud eos. Commeatus autem erat eo tunc principem, uſque ad receſſum ejus in navi, dominus David Fleming de Cummirnauld, cum valida manu procerum Laudoniæ. Et in redeundo Jacobus de Douglas, filius ſecundò genitus domini Archibaldi primi comitis ejuſdem, (qui Jacobus nunc de præſenti comes exiſtit) provocatus per Alexandrum de Seton, qui poſtea fuit dominus de Gordon, de Edinburgh receſſit, et cum ſibi faventibus inſecutus eſt dictum David *, quem apud moram de Langhirdmanſtonmore apprehendit; ubi, dirâ pugnâ commiſſâ, occiſſus eſt dominus David xiv. die menſis Februarii, captis ibidem diverſis nobilibus et militibus, ac denuo libertati donatis.

Cùm verò rex Robertus captionem filii ſui audierat, ſedens ad cœnam in caſtro ſuo de Rothſay, quod et Botha vocatur, tactus dolore cordis intrinſecus ad auditum nuncii ſpiritus ejus continuò defecit, vigor

* Dictum dominum David, avunculum ipſius Alexandri, cum quo et ipſe tunc erat, &c. *MS. Cuprenſ.*

corporis

corporis emarcuit, vultus palluit, et præ triſtitia depoſt cibum non ſumpſit, donec Creatori ſuo ſpiritum exhalaret. Obiit autem apud Botham iv. Kal. Aprilis, id eſt, dominicâ palmarum, A. D. MCDV.* et in Paſleto ante magnum altare tumulatur, anno regni ſui decimo ſexto. Unde,

Quadringenteſimo quinto, mille ſibi juncto,
A dato Chriſti anno mortem ſubit iſte
Tertius Robertus, Aprilis quarto Kalendas.
In Botha leto ceſſit, pauſat Paſſeleto,
Qui rex Scotorum vivat in æde polorum.

CAP. XIX.

De qualitate perſonæ et morum regis Roberti III.

IN diebus hujus regis exſtitit in regno magna fertilitas victualium, ſed maxima diſcordia, rixa et briga inter magnates et proceres, quia rex, tanquam corpore invalidus, rigorem nuſquam exercuit: et propterea, timore ſublato, verificatur quod ait poëta;

Sub molli paſtore lupus lanam cacat et grex.

Interrumptiones etiam ſæpiſſimè ſuper Marchias fuere et ignaves treugæ. Veruntamen pro tunc validiſſimi Marchiani fuerunt, qui auſus et attemptata Anglorum viriliter coërcuerunt. Erat autem prædictus rex ſtaturâ procerus, quamquam claudus, facie pulcherrimus, prolixam habens barbam niveâ canitie venuſtatam, varios etiam oculos hilaritatem ſemper prætendentes, genas oblongas et rubicundas omni decentiâ amabili floridatas; obſervatricem inſuper virtutum humilitatem, viz. comitem indefinenter quocunque pergeret ſecum circumduxit; quæ eum in tantum gratum hominibus reddiderat, ut cunctis ſuis liegiis, tam ob placidum vultum, quàm humilitatis indicium, in ipſum oculos infigere putabant gratioſum. Si igitur humilitas in paupere ſit ſemper grata, profectò et in principe erit gratioſa. " Quanto igitur (ait Scriptura) ma-
" gnus es, humilia te in omnibus, et invenies gratiam coram Deo et ho-
" minibus. Erubeſcant et revereantur principes elati, ubi credunt locum
" habere ſuperbiam; cùm cœlum et terram humilitate audiant deco-
" ratam." Una itaque dierum cùm nobilis regina hujus mitiſſimi regis conjux, dum viveret, Annabella inquireret ab eo, quare non, ut ceteri reges prædeceſſores ſui, pro honorabili monumento provideret, et quid excellentioris commendationis pro epitaphio ejus circumſcribi diffiniret; ſic fertur regem ſibi reſpondiſſe: " Quaſi una de mundialibus mulieri-
" bus locuta es, quia ſi bene conſideravero quid, quis, et qualis ſum;
" quid in natura, quia ſperma fœtidum; quis in perſona, quia eſca
" vermium; et qualis in vita, quia miſerrimus hominum: tanquam
" nihilum curarem ſuperbum erigere tumulum. Habeant igitur hi
" homines dilucida monumenta, qui in hoc ſeculo ambiunt honoris
" oblectamenta: ego autem præoptaverim ſepeliri in imo ſterquilinii,
" ut ſpiritus meus ſalvus fiat in die Domini. Sepelite igitur me, de-

* Hæc inter ſe diſcrepant: dictum oportuit, *quarto die Aprilis*, i. e. *dominica palmarum*, A. D. MCDVI.

" precor,

" precor, me in ſterquilinio, ut ſcribatis pro meo epitaphio, HIC JA-
" CET PESSIMUS REX ET MISERRIMUS HOMINUM IN UNIVERSO
" REGNO.‡" Poſt cujus obitum, frater ejus dux Albaniæ Robertus ratificatus eſt de novo per tres ſtatus in regni gubernatorem, rege noſtro Jacobo tunc in Anglia detento. Eodem anno, quarto die Martii, burgus de Strivelyn fortuito caſu comburitur. His diebus fugerunt multi de Anglia à facie regis Henrici IV. et in Scotiam ad regem Richardum * venerunt. Venit enim Henricus Percy ſenior, cum nepote ſuo Henrico juniore, qui paulo ante venerat, et cum principe noſtro Jacobo I. coævus in caſtro Sancti Andreæ exſtiterat. Venitque tunc temporis dominus de Bardolf, cum diverſis honeſtis perſonis, et duo epiſcopi Wallenſes, viz. dominus Griffinus epiſcopus Bangorenſis, et aliùs epiſcopus, viz. Aſſavehſis, et abbas de Welbek. Quo in tempore rex Angliæ Richardus not potuit induci, neque per gubernatorem vel alios quoſcunque, ad habendum familiare colloquium cum comite Northumbriæ. Qui comes, dum in Scotia perſtiterat, ſcripſit literas ſuas Northumbrenſibus, ſuis olim ſubditis et amicis, ſperans per eos poſſe debellare regem ſuum Henricum, et poſſeſſiones ſuas recuperare; præ ceteris confidens in quodam milite, vaſſalo ſuo, Richardo Rukby nomine, qui ad eum in Scotia reſcripſit, conſulens ut, aſſumptis ſecum nonnullis Scotis, Northumbriam planè intraret, et infra paucos dies Anglici ad eum † confluerent, ita quòd proinde rex Henricus metu mirabili percelleretur, et tunc vel regnum, aut, ad omne minus, placabilem tractatum de ipſo reportaret. Credens igitur Percy, conſilio Rukby, præter voluntatem et contra conſilium gubernatoris, ut regnum Angliæ intraret, ad mortem illico feſtinavit. Conſtituto certo die per Rukby et loco, ad quos comes Northumbriam repeteret, interea regem Henricum de adventu ejus præmunivit. Qui clam congregationem per Rukby fieri conſtituit, et dictum Percy apud Wedderbymore decepit, ubi A. D. MCCCCVI. interfectus eſt, unà cum dicto domino de Bardolf; quorum capita delata ſunt ad oppida famoſiora, et in palis ſuſpenſa. Hoc anno occidit Pariſius dux Burgundiæ ducem Aurelianenſem proditoriè, per Reynoldum Octovile Normannum, in die Sancti Clementis de nocte. Cujus funus ad ſepeliendum cum aliis detulit dictus dux. Anno ſequenti fuit bellum de Liegez, ubi devicti ſunt Leodienſes per Johannem Baveris fratrem ducis Hollandiæ, cum potentia ducis Burgundiæ. Cum quo fuit Alexander Stewart comes de Mar, cujus conſilio aſcripta eſt victoria duci. Dimicatum fuit propter epiſcopatum Leodienſem.

CAP. XX.

De combuſtione Jacobi Reſby hæretici apud Perth.

EOdem anno, die combuſtus eſt Jacobus Resby, preſbyter Anglicus de ſchola Johannis Wykliff, hæreticus condemnatus

‡ *Addit lib. Cuprenſ.* Illud idem ſentit de ſe rex, ſicut et ille qui dixit:
" Flos homo, fumus homo, cineris vas, olla favillæ:
" Aret, pendet, olet, teritur; cur arrogat ille?

* R. Richardum exulem, exules et ipſi, venerunt, *MS. Cupr.* † In tanta copia confluerent quòd, *&c. ibid.*

in concilio cleri ſub magiſtro Laurentio de Lundoris, inquiſitore hæreticæ pravitatis, ſolidiſſimo clerico et famoſo theologo, vitæ ſanctitate quamplurimum collaudato. Qui quidem Jacobus, quamvis interdum celeberrimus reputabatur ſimplicibus prædicatione, periculoſiſſimas tamen concluſiones interſperſerat in ſua dogmatizatione. Quarum prima fuit, quòd Papa de facto non eſt Chriſti vicarius. Secunda, Nullus eſt Papa, nec Chriſti vicarius, niſi ſit ſanctus. De conſimilibus, vel pejoribus, tenuit quadraginta concluſiones. Cujus tam ſcripta quàm auctorem inquiſitor confutavit, et ad ignem applicavit et incineravit. Hujuſmodi errores excerpti ſunt de hæreſibus dicti Johannis Wykliff hæreſiarchæ, damnati Londoniis in Anglia anno Domini MCCCLXXX. per primatem Angliæ, et tredecim epiſcopos, ac magiſtros in ſacra theologia triginta, ex dialogo, trialogo, et aliis ſuis libris. Concluſiones et libelli iſtius hæretici adhuc a nonnullis Lolardis habentur in Scotia, et curioſè ſervantur, ex inſtinctu Diaboli, per tales quibus aquæ furtivæ dulciores ſunt, et panis abſconditus ſuavior. Quicunque ſchola hujus ſceleratiſſimæ doctrinæ ſemel imbuti fuerint et radicati, vix aut nunquam ad unitatem fidei perveniunt. Rarò etiam vel nunquam memini me tales conſpexiſſe, Chriſtiano more, in Domino obdormire: et nec mirum, quia tales ſunt Gog et Magog, in gregem Domini et Papam, ut Antichriſticolæ, clamque palamque malignantes. Sunt etiam miliares, à dæmone miliari derivati, qui artes habent mille fallendi. Sunt etiam dracones in aëra, i. e. per patrias, advolantes; in terris, i. e. terrenis, reptantes; et in aquis, i. e. ſuperficiis Scripturarum, natantes. Sunt etiam ſemen nequam Chanaan, et non Judah: filii ſcelerati, filii mentiti et inveterati, claudicantes à legis ſemitis, quibus nos ut cribraret, ſicut triticum, expetivit Satanas. Iſti ſunt qui ponunt in theſauris abyſſos, et congregant ſicut in utre aquas maris; Sacramentum pœnitentiæ reſtinguentes, vocalem confeſſionem enervantes, umbras attemptantes conſtruere in palatia regalia, ſolares radios claudentes gremio, ac modio ingurgitantes mare oceanum, ſtatera librantes doloſa fontes aquarum. Iſti ſunt qui errant corde, qui corde non credunt ad juſtitiam; quibus nec ore confeſſio fit ad ſalutem. Sacramentum pœnitentiæ irritantes; quibus dicit Dominus, "Juravi in ira mea, ſi, (*pro*, "non) introibunt in requiem meam." Iſti ſunt de quibus in APOCALYPSI, "Nec calidi, nec frigidi, ſed tepidi ſunt," hoc eſt, in parte Chriſtiani, et in parte prophani. Qui ſanctæ matris eccleſiæ provocant nauſeam, ad eos de numero ſalvandorum evomendum. Iſti ſunt qui, peregrino procurato lumine, conantur cernere ſolem, nequaquam philoſophantes, quod ſol duntaxat proprio lumine videatur; ſed ut fides alienis radiis valeat corruſcare. Iſti ſunt qui nunc in ſtatu præſenti manna abſconditum conantur referare, id eſt, ipſam fidem in claram ſcientiam convertentes, tunc pro nunc tranſponentes, nec nunc pro tunc advertentes, quod tunc non nunc evacuabitur, quod ex parte eſt. Et nunc non tunc ex parte cognoſcimus, et ex parte prophetamus. Iſti ſunt de quibus PAULUS ad Timotheum, "In noviſſimis, inquit, temporibus decedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris et doctrinis dæmoniorum." Sed notate Paulum, fidem alibi in epiſtola penſantem. "Si, inquit, angelus de cœlo evangelizaverit præterquam quod "evan-

" evangelizatum eſt, Anathema ſit." Iſti ſunt ut lumina lippis, ex intuitu rationis nimium elevato, per fidei radios repercuſſo; cùm " Fides ſit " ſubſtantia rerum ſperandarum, argumentum non apparentium." Iſti ſunt magiſtri ab unitate fidei diviſi: contra quos Chriſtus in evangelio; " Non vocemini magiſtri, unus eſt enim magiſter veſter." Quod exponens AUGUSTINUS, libro Retractationum, ait; " Quàm diu teneatur " una fides, unum baptiſma, tam diu unus eſt magiſter veſter Chriſtus, " ad quem reducti eſtis; ſed cùm fides dividatur per varia ſchiſmata, " hæreſes et falſa dogmata opinionum, ab unitate diviſi, plures eſtis " effecti magiſtri, per quos ſeducti eſtis." Quid igitur hæreticabilius eſt, quàm dicere, quòd Papa de facto non eſt Chriſti vicarius? quia poteſt clare omnibus conſtare, et verum eſt, aliquem de facto eſſe Chriſti vicarium: alioquin eccleſia eſſet acephala, quantum ad caput miniſterii. Et ille eſt Papa. Ergo, per converſionem, Papa de facto eſt Petri vicarius. Item eſſe vicarius Petri notat officium plenum, ſeu plenitudinem poteſtatis, ligandi atque ſolvendi in utroque foro, ut ſupponitur ex dictis doctorum ab eccleſia approbatorum: ſed ſolus Papa habet plenitudinem poteſtatis ligandi atque ſolvendi in utroque foro, quia ipſi ſoli commiſſa eſt cura univerſalis totius gregis Dominici; ratione cujus, officium hujuſcemodi ſeu poteſtas, eſt in eccleſia. Petro namque tunc dictum eſt, " Paſce oves meas." Item ſi ſic hoc videtur eſſe, quia Papa, qui nunc eſt, non eſt conformis Petro in vita et moribus. Sed hoc non obſtat: aliàs oporteret ad hoc, quòd aliquis eſſet Petri vicarius, quòd eſſet ſanctus ſicut Petrus. Et ſic ſequeretur, quòd non liceret eligere Papam, niſi Sanctum; etiam, quòd non poſſet abſolvere vel ligare loco Petri niſi foret Sanctus. Et conſequenter quòd non liceret eligere Papam, nec electo exercere officium Petri, cùm de nullo conſtare poſſit in vita iſta, ipſum eſſe ſanctum vel immunem à mortali peccato, dicente Scripturâ; " Quis poteſt dicere, mundum eſt cor " meum, purus ſum à peccato?" Quaſi diceret, Nullus. Per hujuſmodi rationes confutabat magiſter Laurentius inquiſitor dictum Jacobum hæreticum. Qui etiam et ſui ſimiles confutandi ſunt per librum Revelationum Brigittæ, cui, ut in lib. VII. cap. 7. reſponſum eſt per Mariam quærenti in conſimili hæreſi, ubi Domina noſter ſic dicit: " Dic etiam illi ex parte mea, qui reſpondebit etiam illis, qui Papam " dicunt non eſſe verum Papam, nec id eſſe verum corpus Chriſti filii " mei, quod ſacerdotes in altari conficiunt, quòd ipſe reſpondeat hæ" reticis ſic: Vos vertitis occiput ad Deum, et non videtis eum. Ver" tatis ergo ad eum faciem, et tunc poteritis eum videre. Nam vera " et catholica fides eſt, quòd Papa, qui eſt ſine hæreſi, quantumcun" que aliis peccatis ſit commaculatus, nunquam tamen eſt ita malus ex " illis peccatis, et ex aliis ſuis malis operibus, quin ſemper ſit in eo plena " autoritas et perfecta poteſtas ligandi et ſolvendi animas. Quam auto" ritatem ipſe beatus Petrus habuit et aſſumpſit à Deo. Quoniam multi " ſummi pontifices fuerunt ante Johannem Papam qui ſunt in inferno: " nihilominus tamen ipſorum juſta et rationabilia judicia, quæ in " mundo fecerunt, ſtabilia et approbata ſunt apud Deum." De hoc infrà lib. XVI. cap. XXIJ.

De

CAP. XXI.

De deſtructione caſtri de Jedwod, et reſtitutione caſtri de Dunbar comiti, et de bello de Harlaw.

ANNO Domini MCCCCIX. captum eſt caſtrum de Jedwod quàm feliciter per mediocres Thevidaliæ, et ad terram proſtratum, quod remanſit in manibus Anglicorum à bello de Durham. Sed quia cæmentum ipſius valde tenax et durum erat, non ſine maximo labore fractum fuit et comminutum. Ad quod dirimendum concluſum fuit in concilio generali tento apud Perth, pro taxa levanda, ne fortè Anglici reædificarent illud, videlicet duorum denariorum de unaquaque domo focali. Cui reſtitit gubernator, dicens, " quòd nunquam, tem-" pore ſuæ gubernationis, fuerat taxa levata, nec etiam levaretur, ne " pauperes ſibi maledicerent, qui talem abuſum introduceret." Sed ſtatim aſſignavit Marchianis de cuſtumis regiis expenſas fieri pro direptione caſtri. Unde benedictiones plebium quæſivit ſuper numerum. Eodem anno dominus Georgius comes Marchiæ reſtitutus eſt ad caſtrum ſuum de Dunbar et ad comitatum Marchiæ, non tamen ſine aliquali dimembratione poſſeſſionum ipſius: nam antequam Archibaldus II. hoc nomine comes de Douglas ad hoc conſentiret, in ſaſinam recepit pro ſe et heredibus maſculis de corpore ſuo, in recompenſationem caſtri de Dunbar, caſtrum de Lochmaban, cum toto dominio vallis Annandiæ. Et quia Walterus de Haliburton dominus de Dirlton, gener tunc gubernatoris, qui deſponſavit filiam ejus Iſabellam comitiſſam de Roſs, fuit mediator inter ipſum comitem Marchiæ et gubernatorem, poſſeſſionem ſuſcepit hereditariam quadraginta libratarum terrarum in villa de Brigeam, ſibi et heredibus perpetuè remanſuram.

Eodem anno fuit validus ventus in die S. Kentigerni, cujus impetuoſâ procellâ arbores ſilvarum radicitùs ſunt evulſæ, domus et eccleſiæ dirutæ, naves et batellæ ſubmerſæ. Excuſſit etiam gabulum auſtrale magnæ eccleſiæ monaſterialis Sancti Andreæ, cujus vehementiâ grandes lapides corruentes, perforaverunt dormitorium et etiam inferius capellum. In quo paulo ante et à caſu ſeceſſit venerabilis vir D. Thomas de Cupro canonicus et ſub-prior domûs, licentiatus in decretis, qui multitudine ac gravitate caſûs lapidum præventus, contritus et conquaſſatus fuit in ſcapulis et in tibiis; quibus infra paucos dies ſpiritum exhalavit.

Anno D. milleſimo quadringenteſimo decimo, Patricius de Dunbar, filius dicti comitis Marchiæ, non minus ſubtiliter quàm viriliter cepit fortalicium de Faſtcaſtell, capto capitaneo ejuſdem Anglico, qui Thomas Holden vocabatur, qui multa mala in Laudonia tempore quo ſtetit perpetravit, tam per mare quàm per terram. Eodem anno caſualiter incenſa eſt villa de Cupro.

Anno Dom. milleſimo quadringenteſimo undecimo, in vigilia Sancti Jacobi Apoſtoli, conflictus de Harlaw in Marria, ubi Dovenaldus de Inſulis cum decem millibus de inſulanis et hominibus ſuis de Roſs hoſtiliter intravit terram cis montes, omnia conculcans et depopulans, ac in vaſtitatem redigens; ſperens in illa expeditione villam regiam de

Abirdene ſpoliare, et conſequenter uſque ad aquam de Thaya ſuæ ſubjicere ditioni. Et quia in tanta multitudine ferali occupaverunt terram ſicut locuſtæ, conturbati ſunt omnes de dominica terra qui videbant eos, et timuit omnis homo. Cui occurrit Alexander Stewart comes de Marr, cum Alexandro Ogilby vicecomite de Angus, qui ſemper et ubique juſtitiam dilexit, cum * poteſtate de Mar et Garioch, Angus et Mernis, et, facto acerrimo congreſſu, occiſi ſunt ex parte comitis de Mar Jacobus Scrymgeour conſtabularius de Dundé, Alexander de Irevin, Robertus de Malvile et Thomas Murrave milites, Willelmus de Abirnethy filius et heres domini de Salton et nepos gubernatoris, Alexander Straiton D. de Lauranſton, Georgius de Ogilby heres domini ejuſdem, Jacobus Luvale, Alexander de Strivelyn, et alii valentes armigeri, necnon Robertus David conſul de Abirdene, cum multis burgenſibus. De parte inſulanorum cecidit armidoctor, Maclane nomine, et dominus Dovenaldus capitaneus fugatus, et ex parte ejus occiſi nongenti et ultra, ex parte noſtra quingenti, et fere omnes generoſi de Buchane. De hoc bello metra:

Anno milleno, quater C. et X. ſimul uno,
In feſto Jacobi fuit hæc victoria belli.

Incontinenter poſt bellum, dux Albaniæ gubernator, congregato exercitu, acceſſit ad caſtrum de Dingvall, quod fuit domini Inſularum †, et illud recepit, et eidem cuſtodiam deputavit in fine autumni. Et in ſequenti æſtate collegit tres exercitus, ad invadendum dominum Inſularum: cui idem ‡ occurrit apud Polgylbe, et de pace conſervanda et indemnitate liegiorum regis juramenta et obſides præſtitit.

CAP. XXII.

De fundatione univerſitatis Sancti Andreæ.

ANNO præcedenti, ſcil. Dom. MCCCCX. poſt feſtum Pentecoſtes, incepit ſtudium generale univerſitatis in civitate Sancti Andreæ de Kylrymonth in Scotia, tempore Henrici de Wardlaw epiſcopi et Jacobi Biſet Prioris ejuſdem Sancti Andreæ. In qua cœperunt primò legere magiſter Laurentius de Londoris, magnus theologus et vitæ venerabilis vir, quartum ſententiarum. Et in jure canonico decreta, magiſter Richardus Cornel doctor, archidiaconus Laudoniæ; et de mane in eadem facultate dominus Johannes Litſtar licentiatus in decretis, canonicus Sancti Andreæ; et conſequenter in eadem facultate magiſter Johannes Scheves, officialis S. Andreæ, et magiſter Willelmus Stephani, qui poſtea fuit Dunblanenſis epiſcopus. Et in philoſophia ac logica magiſtri Johannes Gyll, Willelmus Fowles et Willelmus Croiſer: et ita continuabant lecturas ante confirmationem privilegiorum per duos annos et dimidium. Tandem A. D. MCCCCXIII. iij. die Feb. h. e. craſtino purificationis noſtræ Dominæ, ſabbato, ſciz. F literâ, venit ad civitatem S. Andreæ privilegiorum bajulus Henricus de Ogilby magiſter in arti-

* Cum omnibus quos habere potuit de Mar et Garioch, Angus, *&c. MS. Cupr.* † Ex parte uxoris ſuæ, *addit idem MS.* ‡ Ipſe Dovenaldus de aſſecurantia occurrit, *ibid.*

bus. Ad cujus jocundum adventum, pulsatum est classicum omnium ecclesiarum civitatis. Et in crastino, hoc est dominicâ sequenti, factâ solemni congregatione totius cleri, præsentatæ sunt in refectorio, propter hoc honorificè præparato, horâ IX. bullæ privilegiorum domino episcopo, almæ hujus universitatis cancellario. Quibus in conspectu omnium perlectis, *Te Deum laudamus* canorâ voce, procedentes usque ad magnum altare, clerus et conventus decantabant. Quo cantato, et omnibus genua flectentibus, episcopus Rossensis versiculum de Sancto Spiritu, cum collecta *Deus qui corda*, pronunciabat. Reliquum verò hujus diei transigerunt cum inæstimabili jocunditate, et per totam noctem fecerunt per vicos et plateas civitatis ignes copiosos, bibentes vinum in lætitia. Statuentes insuper ad sequentem proximam diem Martis solemnem fieri processionem, ut celebrarent festum adventûs privilegiorum, cum ipso eodem festo adventûs reliquiarum. Quis autem de facili possit explicare quæ in illa processione facta sunt cantica dulcisona clericorum, tripudia populorum, pulsationes classicorum, sonus organorum? Prior eo die magnam missam de Sancto Spiritu solemniter celebravit, episcopus Rossensis sermonem ad clerum peroravit, et bedellus ad hanc processionem præter mirabilem multitudinem populorum, quadringentos clericos præter clericulos et fratriandos numeravit, ad Dei gloriam et ad universitatis laudem et honorem. Sed unum modernis temporibus in universitate non solùm reprehendendum, sed et reformandum quidam esse putant, viz. quòd cùm clerici incipiunt sapere, et gradus in scholis apprehendere, mox scholas relinquunt, et sic scientiam, quæ ipsos honorare deberet, prostituunt. Contra tales invehit HUGO, in suo Didascalicon, scribens uni qui, post arreptum gradum in scholis, ipsas deserere disposuit, dicens; Si post alphabetum discere contemptisses, nunc inter grammaticos tantum nomen non haberes: seu quosdam esse qui statim philosophare volunt, quorum scientia formæ asininæ est simillima. Noli hujusmodi imitari; nam,

Parvis imbutus, temptabis grandia tutus.

Sapiens etenim ille vir Græciæ Themistocles, cùm, expletis centum septem annis, se mori cerneret, dixisse fertur se dolere, quòd egrederetur de vita, quando sapere cœpisset. Plato etiam octagesimo primo anno scribens, mortuus est. Socrates in docendi et scribendi labore senium complevit. Refert itaque Homerus, quòd de lingua Nestoris, jam vetuli et pene decrepiti, dulcior melle oratio effluxerit. Hæc ille. Aliter modò sentiunt clerici moderni, qui indifferenter ad illas scholas se transferunt, quibus de lucro participare putant: propter quod OVIDIUS, primo de vetula,

Omnes declinant ad ea quæ lucra ministrant:
Utque sciant discunt pauci, plures ut abundent.
Sic te prostituunt, O virgo scientia, sic te
Venalem faciunt, castis amplectibus aptam;
Non te propter te quærentes, sed lucra per te.
Ditarique volunt potius, quàm philosophari.

Pro

Pro quo vide finem capituli xxx. libri ſequentis. Cuidam interroganti ab Hugone de Sancto Victore, quæ eſſent neceſſaria ſcholaſtica ut proficeret in ſcientia? reſpondit;

Mens humilis, ſtudium quærendi, vita quieta,
Scrutinium tacitum, paupertas, terra aliena:
Hæc reſerare ſolent multis obſcura legendo.

De hoc Galenus, quales debent eſſe ſcholaſtici, pulchrè peroravit.

CAP. XXIII.

De diverſis incidentibus, et de infelici bello de Egincourt in Francia.

ANNO Dom. MCCCCXI. villa regia de Linlithgow caſuali incendio comburitur, in vigilia Apoſtolorum Petri et Pauli, et pons de Roxburgh frangitur per dominos Willelmum de Douglas et Drumlangrig et Gawanum de Dunbar milites, et villa combuſta. Anno ſequenti dominus Archibaldus II. comes de Douglas liber de captivitate Anglorum, cum honorabili comitiva militum et armigerum, tranſtulit ſe primò ad Franciam; unde ter navem aſcendit, et vela tetendit, ſed toties repulſus, ventus contrarius vela retorſit, donec de conſilio domini Henrici de Sancto-claro, ſecundo hoc nomine comitis Orchadiæ, ſocii ſui itineris, inſulam Æmoniam devotè adiit; ubi, factâ oblatione Sancto Columbæ, navem reaſcendit, et proſpero vento Flandriam ſubiit, et, Sancto Columbâ duce, feliciter ad propria reverſus eſt. Eodem anno fundata eſt nova eccleſia parochialis S. Andreæ; cui tunc præfuit vicarius dominus Willelmus Bowar, vir multùm laudabilis, religioſus et benignus, canonicus Sancti Andreæ. Eodem anno duellum fit inter Johannem Hardi et Thomam Smyth apud Batelhalch, judice Archibaldo ſecundo hoc nomine comite de Douglas, ubi occubuit Thomas Smyth invaſor, qui falſò oppoſuit crimen proditionis Johanni præmiſſo.

A. D. MCDXIII. Joh. Dromond de Conçrag miles interfecit dominum ſuum D. Patricium de Graham comitem de Strathern inſidioſè, in feſto S. Laurentii apud Creff in Stratherne, non obſtante quòd ante hoc erant per literas et juramenta aſſecurati, et de perpetua amicitia confœderati, datâ in matrimonium dicto militi ſorore dicti comitis; ac de fractione ſacramenti corporis Chriſti, ad firmiorem fœderis indiſſolubilitatem, ad invicem communicati. O! quàm maxima et temeraria præſumptio eſt, Chriſtianos temptare Creatorem ſuum de tali menticuloſa communicatione, cùm ſufficere poſſet eis ſola promiſſio, fides præſtita, vel juramentum literis et ſigillis vallatum, cùm tamen dicat JACOBUS in ſua Canonica; "Sit ſermo veſter Næ, næ; non, non; ut non ſub "judicio decidatis." Nunquam recolo me audiviſſe fructum de hujuſmodi communicatione proveniſſe. O quàm pauci hodie reperiuntur tales, qualis fuit ille qui dicebat; "Malo mihi ſucceſſum deeſſe quàm "fidem, quæ etiam hoſti ſervanda eſt: nam qui ſemel fidem perdit, non "poteſt ultra perdere. Fides, unde ſemel abiit, nunquam redit. Fi-"dem nemo unquam perdit, niſi qui non habet!" Hæc SENECA

in

in Proverbiis. Hæc propterea dico, quia, cùm ante inimici exſtiterant, in compoſitione pacis perpetuam juraverunt amicabilem fidelitatem; et, ad confirmationem hujus, participaverunt de communione ſarcamenti corporis Chriſti. Quin et principales factores *, videlicet Willelmus Olifant, et Arthurus frater ejus, tracti fuerunt et ſuſpenſi, miles † verò dyſenteriâ periit.

An. Dom. MCCCCXV. combuſtio villæ de Pennyr per Archibaldum comitem de Douglas. Propter quod eodem anno Anglici combuſſerunt villam de Drumfres. Eodem etiam anno facta eſt liberalis commutatio et liberatio dominorum Murdaci Stewart filii et heredis domini ducis Albaniæ gubernatoris regni, et Henrici Percy tertii hoc nomine comitis Northumbriæ. Qui Murdacus in Anglia captivus tenebatur à bello de Homildon uſque tunc, et ſimiliter dictus comes in Scotia, non tanquam captivus, ſed per avum ſuum, qui apud Weddirby occubuit, domino duci Albaniæ, pro ipſius vita conſervanda, commiſſus, honorificè in Scotia tractabatur. Propter quod hucuſque valde favorabilem ſe Scotis exhibet atque gratum.

Anno Domini milleſimo quadringenteſimo decimo quarto incepit concilium Conſtantienſe, quod continuavit feliciter per quatuor annos: ubi diſſipatum fuit ſchiſma continuatum per octoginta annos et ultra, quod proceſſit inter tres de Papatu contendentes, ſciz. inter Balthazar de Coxa, qui et Johannes XXIII. et Angelum Corario, qui et Gregorius XII. et Petrum de Luna, qui et Benedictus XIII. dicti ſunt in ſuis obedientiis. Ubi electus fuit Guido de Columna in Papam unicum et indubitatum, qui Martinus V. vocatus eſt. Anno ſequenti fundata eſt nova eccleſia parochialis de Cupro in Fife.

Eodem anno rex Angliæ Henricus quintus †, filius Henrici de Longcaſtel, qui depoſuit regem ſuum Richardum, cepit portum munitiſſimum Normanniæ, Harfleu Montevilleris nomine; dehinc Hundflet, Caldbek, Tankirvile, Cant et Rothomagum, et conſequenter quaſi totam Normanniam. Et abhinc, deputatis certis cuſtodibus ad oppida et caſtra cuſtodienda; quia multi de exercitu ſuo dyſenteriâ perierunt, propoſuit ſe cum exercitu duodecim millium Angliam ad refocillandum ſe pro tempore transferre. Sed in itinere multitudine Francorum circumſepti, apud Egincourt, prope Sanctum Paulum, congreſſum eſt acriter et pugnatum; ubi ducenta millia Francorum ‡ devicti. Interfecti ſunt, duces Brabantiæ, Alanſon et Baar, cum Johanne fratre ſuo, comes de Guyveris et conſtabularius Franciæ, necnon archiepiſcopus Cænomannis; captique ſunt duces Burgundiæ et Aurelianenſis, et Burſigaldus mareſchallus Franciæ, &c. Ex parte Anglorum cecidit dux Eboracenſis. Occiſi ſunt Francorum duodecim millia.

* Factores hujus ſceleris fuerunt duo fratres, Willelmus, &c. *MS. Cupr.* † Miles profugus in Hibernia, &c. *ibid.* † Traditione Francorum, &c. *ibid.* ‡ Propriâ ſocordiâ, *addit idem MS.*

CAP.

CAP. XXIV.

De altercatione univerſitatis et Harding.

AN. D. milleſimo quadringenteſimo decimo ſexto, obiit dominus Jacobus Biſet, Prior Sancti Andreæ, in craſtino nativitatis Sancti Johannis Baptiſtæ. Hoc etiam anno par avium ciconiarum venerunt in Scotiam, et ſuper eccleſiam S. Ægidii de Edinburgh nidificabant, et per unam ratam anni ibi morabantur; ſed quò poſtea avolaverunt, neſcitur. Maxima eſt illis, ut dicit Plinius, cura fœtûs, adeo ut, dum nidos perpenſiùs fovent, aſſiduo accubitu plumas exuunt. Sed et pullis non minus eximia pietas exſtat erga matres: nam quantum temporis matres impenderint fœtibus educandis, tanto tempore et ipſæ à pullis aluntur. Unde et pia avis dicitur.

Hoc etiam anno obſeſſit comes de Douglas caſtrum de Edinburgh, quod dominus Willelmus Crawford ab eo recepit in cuſtodia, et idem ſibi reddidit An. D. MCCCCXVIII. Hoc etiam anno, ſciz. Domini MCCCCXVI. gubernator, collecto grandi exercitu, miſit comitem de Douglas Archibaldum ſecundum ad aſſiliendum Roxburgh caſtrum, et ipſe ad obſidendum Berwicum ſe diſpoſuit: ubi nihil inibi laudis peractum eſt; ſed, infecto negotio, cum dedecore ad propria redierunt, quorundam ſuorum fraude deluſi: et ideo vulgatiter *le Foulrade* vocabatur. Anno præmiſſo, ſcil. Dom. MCCCCXVII. miſſus eſt à concilio Conſtantienſi venerabilis pater D. abbas de Pontiniaco ad Scotiam, pro reductione eccleſiæ Scoticanæ ad adhærendum Conſtantienſi concilio, et ad ſubſtractionem fiendam à domino Benedicto XIII. tunc in pannifiole ſtante. Cui tunc nulla provincia firmiter adhæſit, exceptâ Scotiâ. Hic abbas magiſter in theologia ſolemniſſimus habebatur: qui, in concilio generali tento apud Perth, legationem ſuam ſermone diſertiſſimo coram domino gubernatore et tribus ſtatibus peroravit. Circa idem tempus Sigiſmundus Romanorum Auguſtus, Hungariæ, Dalmatiæ et Croatiæ rex, ſcripſit gubernatori et tribus ſtatibus regni, de Pariſius, ad mittendum procuratores ad corporandum regnum Scotiæ, ſicut et alia regna incorporata erant concilio Conſtantienſi.

Scripſit interea Papa Benedictus, tunc ſic in obedientia ſua nuncupatus, gubernatori et tribus ſtatibus, ut perſeveranter ſtaret ſibi in ſua obedientia. Cui multum gubernator favebat; et quendam fratrem, natione Anglicum, Robertum Harding, in ſacra pagina magiſtrum, promotorem cauſæ eccleſiæ, ex parte dicti D. Benedicti, conſtituebat: qui multa, in diſputationibus et ſermonibus, ad partem Benedicti allicientia proponebat. Contra quem tota univerſitas Sancti Andreæ inſurgebat. Ipſe nihilominus, manutenentiam gubernatoris nactus, eiſdem invectiva ſcripta et dicta mittebat, et taliones receptabat. Propter quod, die ſecundo vel tertio menſis Octobris anno quo ſuprà, in concilio generali tento apud Perth, pro concluſione obedientiæ regni, ſcilicet adhæſionis Benedicto, vel ſubſtractionis ejuſdem ad Martinum quintum, paulo ante concorditer et univerſaliter in concilio Conſtantienſi electum, prædictus Harding, frater de ordine Minorum, ad retardandum regnum, ne conformaret ſe unitati, ut dicitur, eccleſiæ, et ceteris nationibus Chriſtianitatis,

ſtianitatis, propoſitionem ſolemniter de manutenentia gubernatoris fecit ad clerum et populum, hoc eſt, tam in lingua materna, quàm Latina: cujus thema erat in terminis; *Ante actum conſilium ſtabili.* Cùm tamen locus, unde allegabat, aliter ſe habeat in litera, viz. *Ante omnem actum præcedat te conſilium ſtabile*, ECCLES. XXXI. Unde non ſolùm literam, ſed et ſenſum, retorquebat ad placitum ſuum, circumducens materiam ad retardandum populum de convertendo ad unitatem eccleſiæ, ut putabatur. Unde rector univerſitatis, magiſter Johannes Elwold, cùm aliis famoſis theologis, elicientes de propoſitione concluſiones ſcandaloſas et ſeditioſas, de hæreſi multùm ſuſpectas, ſchiſmatis nutritivas, et unionis ſanctæ matris eccleſiæ non inductivas, ipſas domino apoſtolico miſerunt ad examinandum: Quas damnavit Romana curia, ſicut patet per bullam plumbeam regno Scotiæ directam, et per induſtriam et laborem magiſtri Johannis Fogo, monachi de Melros, poſtea abbatis ejuſdem, magiſtri in ſacra pagina digniſſimi, executam.

Concluſiones ſuas probavit Harding per naturas, figuras, ſcripturas, picturas*, et alia exempla, quæ per ordinem enarrare tædium legenti generarent. Tamen breviter elici poſſunt per bullam Papalem decem errores continentem. Quorum primus ſapit hæreſim, et eſt iſte; Si Benedictus cederet, daret occaſionem ſuis ſubditis æternæ damnationis. Secundus, Secundùm juſtum juris ordinem, prius debet fieri reſtitutio Benedicto, quàm ipſe teneatur cedere. Tertius, Si poſt concilium Conſtantienſe Benedictus fuerit notoriè negligens, prælati Scotiæ habent jus ad procedendum, ad movendum et abſcindendum ipſum, ſi ſit incorrigibilis: quo caſu dato, et per ipſos Benedicto præſciſſo, ipſi prælati, qui ſunt de obedientia Benedicti, habent jus eligendi Papam unicum. Quartus, Quòd poſt notoriam negligentiam et incorrigibilitatem Benedicti, et abſciſſionem ejuſdem, eccleſia Scoticana tenetur, propter omne dubium removendum Papatûs in Martino, primò eidem jus Papatûs exhibere, et deinde obedientiam ſubinferre. Quintus, Quia damnavit concilium Conſtantienſe, et quòd ibi exiſtentes non potuerunt facere unionem in eccleſia Dei, ſed tantùm illi de regno Scotiæ, ſicut exemplum dedit de elephante. Sextus, Qui eſt ſeditioſus, viz. quòd aliqui de regno Scotiæ, prævenientes ſuos fratres, Martino obedientes, ſunt filii Diaboli et viperis ſimiles: et ſequitur ſimilis aſſertio, Quòd illi qui receperunt beneficia à Benedicto, poſtea adhærentes Martino, ſunt ſimiles ſcorpionibus, et hoc ſecundùm duplicem proprietatem, &c. Septimus, Quòd quamdiu Johannes vivit incarceratus, non erit unio in eccleſia Dei ſine ſuſpicione. Octavus, Poſt negligentiam notoriam Benedicti, jus eccleſiæ univerſalis deſcendit in membra obedientiæ ejus. Nonus error, qui videtur ſchiſmaticus, Quòd ſoli illi de obedientia Benedicti ſunt catholici, et omnes alii ſchiſmatici et hæretici. Decimus, Quòd Benedictus non fuit negligens quoad illa quæ reſpiciunt unionem eccleſiæ, nec in concilio Conſtantienſi, nec tempore præcedenti.

* *Al.* puncturas.

CAP.

CAP. XXV.

De ſubſtractione eccleſiæ Scoticanæ à Benedicto, et obedientia facta Martino V.

CONtra iſtum Harding magiſter Johannes Fogo, poſtea Melroſenſis abbas, acriter diſputavit, et in quadam ſua epiſtola invectiva contra eum diſſeruit, multum improbationem ſibi faciens de themate, ſic dicens; " Utinam uſus fuiſſes ſententiâ tui thematis, viz. *Ante actum* " *conſilium ſtabili:* quoniam ſi ſtabiliter conſultus fuiſſes, et ſapien- " ter, ſeu ſobriè, deliberâſſes, nunquam in præſentia tanti cœtûs tot " ſcandaloſa, erronea et ſeditioſa propoſuiſſes. Sed non es ſecutus ſen- " tentiam tui thematis. Nonne parabola tua odioſa eſt hæc? Quòd " elephas arbori ſemiciſæ incumbens, et ideo caſum paſſus, reſurgere " per ſe non potuerit, quia juncturis caruit: ad cujus rugitum ſuper- " venit ingens alter elephas, qui nec eum juvare valuit; ſed illis duo- " bus ruminantibus, congregati ſunt duodecim elephantes, nec hi " omnes erigere potuerunt elephantem lapſum, nec unquam poterunt, " niſi advenerit parvus elephas, qui, ſe ſupponens, erigere poterit. Hu- " jus parabolæ tua interpretatio hujuſmodi eſt. Elephas eſt eccleſia: " arbor, papalis juriſdictio, cui eccleſia innitens cecidit; quæ, cùm " reſurgere non potuit, clamavit. Ad cujus clamorem excitatus eſt ille " ingens elephas rex Romanorum, ſed non prevaluit. Duodecim alii " elephantes ſunt alii Chriſtiani reges et principes; nec hi omnes ſuc- " currere potuerunt ruinæ eccleſiæ, quamvis ſtrepitum magnum faci- " ant, quoad uſque venerit parvus elephas, quæ eſt eccleſia Scoticana. " Et ſubintuliſti exhortando, *Sinite eos rugire, ſinite clamare, permit-* " *tite circumire, vos Scoti patienter ſubſiſtite. Clauſura eſtis vos in* " *volta ſpiritualis ædificii, et clavem tenetis eccleſiæ. Non feſtinetis,* " *non properetis. Ante actum conſilium ſtabili.* O homo crudelior " beſtiis! beſtiæ enim ſatagunt ut elephantem erigant; et homo per- " ſuadet ut in ſua ruina permaneat mater eccleſiæ. Unde hoc tibi " alienigena, ut iſta audeas aſſerere? certè quia alienigena es nobis, et " à veritate alienus." Multas enim aſſertiones minus appretiabiles poſuit in ſua propoſitione, concilio Conſtantiæ applicabiles, veluti iſtas: *Si inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem utique*, hæc loquens in perſona Benedicti ad concilium. Et imperatori Sigiſmundo applicavit illud quod ſequitur: *Et ſi is qui oderat me, magna locutus fuiſſet, abſcondiſſem me forſitan ab eo.* Sed quoad cardinales ab eo recedentes, ſubjunxit; *Tu verò homo, unanimis dux meus et notus meus, qui ſimul mecum dulces capiebas cibos.* Et ſic concluſit quoad omnes; *Veniat mors ſuper illos, et deſcendant in infernum viventes.* Sed ſubitò, poſtquam Fogo adduxerat hanc bullam condemnatoriam ad partes, venit mors naturalis ſuper eum in Lanark, et ſic ceſſavit contradictio. Et conſequenter ac noviſſimè, eodem anno, omnium regnorum facta eſt à Bendedicto Scotorum ſubſtractio, et ad Martinum adhæſio: quod utique Scotis, ad magnam ſtabilitatem et conſtantiam ſingularem, ab omnibus prædicatur, et ad laudem.

CAP.

CAP. XXVI.

Quòmodo rex Angliæ Henricus pater, cum filio, ſubjugare niſus eſt Walliam, quæ proditione propriâ ſubverſa eſt.

CIrca idem tempus, vel paulo antè, poſt tamen bellum de Shrewiſbery, attendens Henricus de Longcaſtel rex Angliæ, quòd Wallenſes inſurrexerant cum Henrico Percy juniore contra eum, (qui tamen ſi expectaſſet per duodecim horas adventum ducis Eboracenſis, et comitum de Arundel de Stafford, cum ipſorum ſequelis, uſque in craſtinum, qui de nocte promiſerant regem deſerere, et ſibi, Henrico, adhærere, cum exercitu Wallenſium ſibi occurrentium, rex non fuiſſet compos congredi contra eos,) ob hoc nimium ſtomachatus, guerram omni anniſu movit contra Walliam, quam per ſe, et filium ſuum Henricum, virgam furoris Domini contra Francos, continuavit per quindecim annos, donec in exterminium et ſervitutem quaſi noviſſimam redacti ſunt. Cùm igitur binâ vice rex in propria perſona, et per filium ſuum Henricum, per annos xv. præmiſſos omni anno Walliam hoſtiliter intrâſſet, et plurima damna inibi perpetrâſſet, noviſſimè diſpoſuit ſe omnia ſolo coæquare. Unde, collectâ ſuâ maximâ potentiâ centum et quadraginta millium armatorum, rubeum vexillum, ſive draconem, in ſignum excidii et internecionis extremæ ſexûs utriuſque, erexit, et tanquam leo rugiens per terram Wallenſem deſæviens, ad viginti milliaria combuſſit et deſtruxit, ſic proponens à fine uſque ad finem omnia conterere fortiter, et pro libito ſuo perdere crudeliter. Tandem circa feſtum Sancti Michaëlis tanta et tam vehemens pluviarum inundatio ſubitò de cœlo cecidit, ut decem millia de ſuis cum ſummis et herneſiis, præter carriagia et ſarcinas, alluvione pluviali et undis mergerentur. Propter quod vix valens rex exercitum ſuum inter fluvios et fluenta ſalvare, citatis amfractibus, ultra quam creditur, perterritus, Angliam petiit, plus damni ſuſtinens, quàm pro tunc intulit inimicis. Dehinc in propria perſona non audens illuc revertere, commiſit filio ſuo primogenito Henrico executionem ſui propoſiti: qui callidè valentiores, ſic ſaltem putatos, viros Walliæ, illos ſcilicet de Morgannoch, donis et promiſſis corruptos allexit, ut, cùm multitudo Wallenſium contra eum, ſi quid contingeret, congregaretur, ipſi priùs fugam arriperent, ad quorum exempla ceteri aufugerent. Quod et factum eſt. Nam cùm idem Henricus princeps Angliæ, et qui etiam Walliæ titulo potitus, cum grandi exercitu Walliam funditùs deſtructurus petiviſſet, præmiſit dominos de Cobeham et le Gray Godnore, et David Gam, ad exterminandum eos. At ipſi Wallenſes magnâ multitudine contra eos inſurgentes, campeſtri pugnâ ſecum certare diſpoſuerunt. Sed cùm perventum fuerat ad aciem belli, illi domeſtici proditores de Morgannoch, qui vangardiam regere ſperabantur, prout antea fuerat conditum, terga dederunt: et ſic ad ignominioſam fugam ceteros ſuos comprovinciales inſtruxerunt, ſed veriùs, quod deflendum eſt, deſtruxerunt. Ubi quamplurimis cæſis et occiſis, captus eſt princeps Walliæ, filius illuſtris Griffet ap Bowan, necnon belliger inſignis Hopkyn ap Thomas, eum multis aliis. Et abhinc totam Walliam de facili Angli ſunt conquæſti.

CAP.

CAP. XXVII.

De ſuccurſu miſſo Walliæ per Carolum regem Franciæ.

SED quamdiu ipſa Wallia ſtetit indiviſa, modicum contra eum profecit Anglia. Sed illi de Morgannoch, habentes latens odium contra principem ſuum proprium, faciliùs inclinaverunt ſe inimicis, et principi Henrico, qui valde ingenioſus fuit in malo, ſicut patuit in omnibus ſuis actis bellicis in Francia et Normannia; quas atrociſſimè caſtigavit, donec reſpectus ab Altiſſimo tyrannus ſublatus eſt è medio. Hic finxit artem ex malitia, quâ fortè diviſa eſt Wallia, ſicut et per eundem ipſa Francia. Neſcio ſi VEGETIUM ſtuduit, qui practicare docuit, ubi de re militari, libro ſuo tertio, cap. x. ſic ſcribit, dicens; " Inter hoſtes " diſcordiarum procurare cauſas, doloſi ducis eſt. Nulla enim, quam- " vis minima ſit, natio poteſt ab adverſariis perdeleri, niſi propriis " ſimultatibus ſeipſam conſumpſerit: nam civili odio ad inimicorum " perniciem nihil efficacius?" Eodem modo fecit iſte Henricus Francis, qui cùm percepiſſet duces Burgundiæ et Aurelianenſem caros cognatos vel ſemel ſimultates inîſſe, ſi de plano practicavit, ut et ipſe cum armata manu Anglicorum ſtipendiaretur et tranſiret in ſubſidium ducis Johannis Burgundiæ, et conſimiliter junior frater iſtius Henrici Thomas cum conſimili vel majori potentia ingereret ſe duci Aurelianenſi. Et ſic hi duo fratres, quaſi alter contra alterum, ſed veriùs alter pro reliquo, ad explorandum infirmiora terræ, de modica ſcintillula, focum tam fervidum in Francia ſuccenderunt, ut adhuc ejuſdem flammulæ favillæ de facili non extinguuntur. Unde actum eſt hujuſmodi occaſione per ipſorum doloſam induſtriam, ut dux Aurelianenſis, cooperante ad hoc arte Johannis ducis Burgundiæ, ſeditioſè Pariſius occideretur: et abhinc tota quaſi Francia, ferro et flammâ Anglorum, ſtrage ſæviſſimâ et inteſtinâ malitiâ deperiret. Sic et ipſa, ut præmiſimus, Wallia ſtetit in ſeipſa firmè radicata, donec ſimultates et proditiones conciperentur intra ſe. Nam in principio ſuæ guerræ cum ſeniore Henrico motæ, poſſeſſiones ſuas egregiè defenderunt. Ad quorum tunc ſupplementum Carolus rex Franciæ miſit principi Walliæ, tanquam ſuo ab antiquo confœderato, inclitum bellatorem baronem de Rocheforde Britannum, mareſcallum tunc Franciæ, cum armatorum duobus millibus, quorum quingenti erant milites et lanciferi, mille etiam et quingenti *valetis armez* et albalaſtrarii, unà cum magna ſumma auri et diverſis apparaturis armorum, præter ſtipendia navigii et victualia, miſſorum: quæ tamen victualia, unà cum claſſe Francorum, Anglici magno navigio inſequentes, prope Milford in South-Wallia deſtruxerunt, Francis remanentibus ferè per annum in Wallia, et honorificè remiſſis per principem ad propria.

Et eſt notandum, quòd poſtquam ille Henricus ſecundus, ſub quo paſſus eſt Sanctus Thomas Cantuarienſis, et Johannes filius ejus, reges Angliæ, omni anniſu ſuo conati ſunt ſubigere Walliam, nec prævaluerunt, quamvis multas tyrannides inibi exercuerunt, ſupervenit illis Eadwardus Langſhankis, filius Henrici III. et proditione ipſam conquiſivit. Nam, ipſo rege Angliæ cum exercitu ad Walliam properante,

nec de facili in interiora terræ, propter arctitudinem viarum, et diſtrictus quaſi immeabiles, patuit exercitui acceſſus, donec unus de procerum primoribus et nobilioribus ſanguine totius Walliæ, Penvyn nomine, mercede conductus, docuit regem certos paſſus circa ſilvam ſecuribus ſuccidere, et per eam meatum exercitui facere, ut vel ſic de facili valeret de Wallenſibus intentum aſſequi. Quod et factum eſt. Et hujuſmodi ſeductoriâ introductione, tota quaſi Wallia deperdita eſt. Unde infra breve rex Angliæ Eadwardus Walliam, partim conquiſitam et partim de novo ædificandam, cepit, refecit ac conſtruxit triginta ſeptem caſtra munitiſſima. Ad quem ſtatim acceſſit ille Penvyn proditor propriæ patriæ, petens ſibi à rege exhiberi * competens ſalarium, propter ipſius conſilium regi opportunum. Cui rex; " Salarium, Penvyn, " meruiſti; et ideo, cùm juſtum videatur quòd unuſquiſque ſecundùm " laborem mercedem ſit accepturus, juxta malum tuum meritum et " nominis proprii interpretationem, excelſiorem te faciam ceteris et " pendere glorioſius, eo quòd in tota parentela tua ceteris generoſior " eſſe comprobaris." Erectum eſt ergo excelſum patibulum, in quo ſuſpenſus eſt traditor, ſoluto tamen ſibi priùs auri pondo immenſo ſibi pro facinore præmiſſo, ſecum ad horam pendulo, in omnium proditorum exemplar et dedecus adnotandum. Et ſic ſubjecta eſt Wallia uſque ad tempus ſecundi Richardi regis, quī eam majore dignitate Wallicis donavit. De hoc conquæſtu vide ſuprà, lib. x. cap. xxxviij.

CAP. XXVIII.

Quomodo, prædicatione abbatis, Wallici humiliati recuperaverunt poſſeſſiones ſuas.

RElIquiis igitur Wallenſium nondum Anglis adhuc ſubjectis, omni ſpe propriæ poſſeſſionis et libertatis recuperandæ deſtitutis, tandem ſuſcitavit Dominns ſpiritum cujuſdam religioſi patris canonici regularis S. Auguſtini, Johannis Powal nomine, qui fuit pro tunc abbas Glamorgantiæ prope urbem Legionum: qui, aſſumpto ſibi prædicationis officio, palam in eccleſiis pauciſſimis Deo derelictis, orphanis Wallenſibus, ut olim Jonas Ninevitis, prædicare cœpit et dicere; " Adhuc " modicum, et Wallia ſubvertetur, niſi ad Dominum ſuum citiùs con- " vertatur, Propter peccata enim noſtra invenerunt nos mala. Con- " vertatur igitur unuſquiſque à via ſua mala, et ab iniquitate quæ eſt " in manibus ſuis. Uſquequo claudicatis in duas partes? Si Henricus, " Angliæ invaſor, rex veſter eſt, ſequimini eum; ſi autem princeps " Walliæ, ſequimini eum. Sed quia princeps veſter eſt, et ipſe in " manibus inimicorum detentus eſt, non minus pugnemus pro patria " noſtra. Humiliemus Deo animas noſtras, et ſerviamus ei in timore, " et promitto vobis auxilium provenire de excelſo. Si autem voluerimus peccata noſtra confiteri, et, de cetero, vitam noſtram proponere ſine fictione emendare, facile eſt concludi, multos injuſtos in " manu paucorum, Deo famulari ſtudentium; quia, ut inclitus teſtatur " Macchabæus, Non eſt differentia in conſpectu Dei cœli, liberare in

* Juxta promiſſum, *addit MS. Cupr.*

" multis,

" multis, aut in paucis: quia non in multitudine exercitûs victoria " belli, ſed de cœlo fortitudo eſt. Inimici noſtri inveterati, Anglici, " veniunt ad nos in multitudine contumaci et ſuperba, cùm tamen " nihil juris in nos habere dinoſcantur, ut ſpolient et diſperdant nos et " hereditatem noſtram. Quod ſi volueritis, et me audieritis, pugnantes " pro patria veſtra et hereditate paterna, terram veſtram recuperabitis, " et in ea, abſque pavore inimicorum, habitabitis. Convertimini ergo " ad Dominum, et ipſe convertetur ad vos, et conteret inimicos veſtros " ante faciem veſtram: æquè potens eſt nunc, ut in diebus antiquis; " quia manus ejus non eſt abbreviata."

Ad hujuſmodi itaque exhortationes, et crebras iſtius abbatis prædicationes, pauci illi, qui adhuc libertate ſunt potiti, aliquantulum reſipiſcentes, et plus ſolito ſpiritum aſpirantes, ſpem ſuam in Altiſſimo, juxta verba viri Dei, ponentes, et curam ſuam in Domino jactantes, bis aut ter in ſeptimana; ſed et aliqui, quorum ad hoc dictabat conſcientia, quaſi omni die, purè peccata ſua ſunt confeſſi, jejuniis et orationibus ac miſericordiæ operibus propenſiùs ſe dantes, ſemel omni ſeptimanâ de ſacramento altaris communicati ſunt: et ſic, in nomine Domini, inimicos ſuos, qui in terra ſua plantati fuerant, invaſerunt, et tam acriter vexaverunt, ut interdum centum de Wallia de facili vincerent vel fugarent millenos de Anglia; mille etiam de Wallia Anglorum decem millia; ſicut patuit per dominum Gray de Ruchin, habentem ſecum duo millia armatorum, qui devictus eſt per ducentos Walliæ, et captus ac redemptus, ceteris cæſis et fugatis. Unde et factum eſt, ut, Deo ſibi propitio, infra tres annos de Wallia expellerent cunctos inimicos, et etiam dilatarent marchias ſuas ad ulteriorem terminum primæ inſtitutionis ejuſdem per Brutum, qui Britanniam inter fratres primò dividebat. Omnia etiam caſtra, per Anglos reſtaurata, forti manu et feliciori omine cœperunt, et, tribus duntaxat exceptis, ſcilicet Abirhuſtwich, Conwai et Hardlach, ſolo tenus deſtruxerunt.

CAP. XXIX.

Quomodo Wallici prævaricantes amiſerunt terram ſuam.

PRopter hujuſmodi proſperos eventus ſibi ad votum ſuccedentes, erigebant ſe fatui Wallici ſupra ſe, exaltantes corda ſua in ſuperbia, immemores beneficiorum Dei, in luxum et luxuriam paulatim defluxerunt, obliti confeſſionis et priſtinæ pœnitentiæ, ac ſi Deus eis ignoſceret, vel dormiret, aut impunitatis obliviſceretur. Sic ſic corrupti ſunt, et abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis, relinquentes eccleſias frequentabant tabernas; quibus ſermo divinitùs ulteriùs non ſapuit, ſacroſancta communio ſacramenti eis omnino deſipuit, deciis et ludicris ſe dedicantes, crapulis et ebrietatibus ſeſe volutantes, cùm priùs cognoviſſent Deum, non nunc ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, et obſcuratum eſt inſipiens cor eorum: dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti ſunt facti. Nam quia terga Deo dederunt, ſuſcitavit contra eos denuo præmiſſos inimicos Anglos, qui ſubitò eos humiliaverunt, ita ut unus de Anglia fugaret decem

decem de Wallia, et centum, millenos, quia incraſſatus eſt dilectus et recalcitravit, et receſſit à Deo ſalutari ſuo: propterea vidit Deus, et ad iracundiam provocatus eſt, et concluſit Wallicos in manibus inimicorum ſuorum, qui de facili receptaverunt caſtra, et reſarcierunt, et hucuſque remanet Wallia eis ſub ſervitute tributaria. Ecce quomodo iſti Wallici, propter ingratitudinem ſuam, et quia Deo dignè gratias non egerunt pro multiplici victoria eis de Anglis collata, defecerunt in vanitate dies eorum, et anni eorum cum feſtinatione. Exemplum ad iſtud poſſumus adducere de Ezechia, de quo ISAIÆ XXXVII. legitur, quòd cùm Angelus Domini occidiſſet de exercitu ſuperbi Senacherib centum octoginta quinque millia, quia exſtitit ingratus Ezechias, ægrotavit uſque ad mortem. Unde, ſicut dicit JOSEPHUS; "Licet hoſtias cum "populo Deo immolâſſet, tamen non dignè gratias egit, nec laudis "canticum inde cantavit ſicut patres eo tempore facere conſueverunt."

Commentator JUVENALIS ſcribit, quòd quædam domina, Nephaſtes nomine, impregnata et vicina partui, ingreſſa eſt templa deorum, ut conſuleret eos ſuper fœtum, an marem aut feminam foret paritura, ut à ſingulis eorum divina peteret dona. Cui primus, Tuus fœtus erit filius, et ſibi concedo pulchritudinem; ſecundus conceſſit fortitudinem, tertius divitiarum plenitudinem. His acceptis reſponſis, non tamen acceptatis, mulier indignata eſt, eo quòd nullus eorum conceſſit filio vitæ longitudinem. Sed, ut moris fuit, templum egreſſa, et denuo regreſſa, ut deos pro beneficiis honoraret ſacrificiis, obtulit eis contraria dona; ſcilicet, pro pulchritudine lutum, pro fortitudine ſputum, pro divitiarum copia deriſionis nutum. Quibus ſic oblatis, dii nimium offenſi mutaverunt fœtum in utero. Nam pro dono pulchritudinis, portavit caput ſimiæ; pro dono fortitudinis, branchias anſeris; pro dono divitiarum, pellem excoriatam. Sic moraliter iſti Wallici, pro pulchritudine militari, obtulerunt lutum luxuriæ; pro fortitudine victoriali, ſputum diſcordiæ; pro opulentia virtuali, nutum ſuperbiæ. Et ſic, juſto Dei judicio, ut ſimiæ, viluerunt per luxuriam; ut anſeres, debilitati ſunt per diſcordiam; et tandem, tanquam nudi, excoriati ſunt per propriæ libertatis et patriæ amiſſionem et carentiam. Prolixiorem me fortè debito præmiſſis inſteti, ut, horum exemplo, cautelam in ſimilibus ſumant Scoti, levitatibus hujuſmodi, quod dolenter refero, nimium dediti: quia, ut ſcribit LEO Papa, "Validiora ſunt exempla "quàm verba, et pleniùs opere docetur quàm voce:" Quia,

Tunc tua res agitur, paries cùm proximus ardet.

CAP. XXX.

De eodem, et de morte abbatis de Glamorgantia.

DE infelici regimine horum Wallenſium doluit ultra modum dictus abbas Johannes Powal, qui nec valuit quaque prædicatione, vel exhortatione eos à via ſua peſſima revocare, per quam incederant vitioſè. Sed propter hoc non ceſſavit prædicare et clamare, donec raucæ factæ ſunt fauces ſuæ, et præ ſtudioſioribus vigiliis defecerunt oculi ſui, vix valens inducere ſordeſcentes reliquias Britonum ad Saxonibus reſiſtendum.

ſiſtendum. Unde cùm ſemel, ſicut ſolito, Saxones Walliam intraverunt, adhortationibus dicti abbatis congregati ſunt Britones, ſeptuplo plures Anglicis; quos quidem Britones fiducialiter animavit pugnare pro patria, terras ſuas et poſſeſſiones defendere, natos ſuos et conjuges ſalvare, ac pro libertate paterna, uſque ad mortem, agonizare. Quorum quidem ipſe abbas, in propria perſona, ante certamen confeſſiones audiebat, et abſolutiones impendebat, inceſſanter clamitans, et inſtanter prædicare non ceſſans, quòuſque acies in procinctu accingere contingebat. Propter hoc abbas, in nullo conſternatus, ſed in tantum zelatus eſt patriæ libertatem et gentis, quòd, quamvis licitè potuit, tamen ei aufugere non libuit, quin cum ceteris ſuis Wallenſibus Saxones acriter cædens, apud Brinbiga ſuper aquam de Uſke, tam doctiloquus quàm armiloquus regularis, ut ita dicam, canonicus, mortem temporalem cum ſeptingentis Britonibus ſubiit, et vitam inde ſempiternam mercatus eſt, ut ſperatur.

Non enim ſic fecit ille frater, de quo hujuſmodi ſuſcepimus relatum: quòd, dum exercitui prædicaret, et confeſſiones audiret, ad congreſſum perventum eſt. Propter quod frater finem faciens ſermoni, clamavit elatâ voce, dicens; " Viri eſtote, confortamini, et viriliter agite: quia " habetis juſtitiam; et pro defenſione partis veſtræ, ſi quoſquam con- " tingat occumbere in hoc prælio, fidejubere audeo, et in fide, quâ " aſtatis, promitto, ipſos hac eadem nocte, antequam ſanguis eorum " innocuus, ab inimicis effuſus, infrigidetur, cœnare cum Chriſto." Sed ſtatim, ut perventum fuerat ad verbera, ceſſabant fratris verba: propterea quòd frater, ſe à periculo ſalvare feſtinans, fugam præcinctis lumbis arripuit, et in auram dilapſus eſt. Ad quem cùm clamatum foret à dicentibus, " O ſancte frater! exſpectes et revertaris in prælio, " ut, juxta promiſſum tuum, hac vice merearis cœnare cum Chriſto;" illum ſemper fugitando fertur reſpondiſſe, " Proficiat vobis obſecro, " quia hodie reverà jejuno, et ideo non convenit mihi hac nocte cœ- " nare cum Domino." In hoc patet hunc fratrem unum eſſe de illis, de quibus dixit Chriſtus; *Dicunt et non faciunt: alligant enim onera gravia et importabilia, et imponunt in humeros hominum, ſed ipſi digito ſuo nolunt movere ea.* In iſto fratre verificatur quod ſcribit GREGORIUS in Paſtorali; " Si negligas implere quod doces, aliis meſſem ſe- " minas, et ipſe à frumenti participatione jejunas." Adhuc ipſa Wallia jacet ſub gente Saxonica, ſqualida et oppreſſa: ſperat ſe tamen aliquando reſpirare meritis Cadwalladri, poſt illud fatale tempus de prophetiis aquilæ, et quod Merlinus Arthuro prophetizaverat, maximè propter promiſſum Angeli, diſſuadentis pro tunc Cadwalladrum ab Armorica Britannia ad ſuam Britanniam ſe transferre. Dicunt tamen Wallici ſe nunquam poſſe jura ſua ad plenum recuperare, ſine adjutorio ſuæ ab antiquo confœderatæ gentis Albanicæ. Nam quod ſequitur apud ſe reputant pro definito:

Te cor clam cruciet, laus Chriſti virginis inſtet,
Hoc quando fiet, Saxica gens periet.
Wallia, revera patieris bella ſevera.
Scotia, te ſerva, ne fias ſubdita ſerva.
Wallia damna feres, tum de relevamine ſperes.

Scotia, ſine bono potieris, celebri dono.
Quos tibi ſerviles reputabis, Anglice miles,
Hos dum tu viles, opus eſt fatearis heriles.
Bruti poſteritas, Albanis aſſociata,
Anglica regna teret Marte, labore, nece.
Flumina manabunt hoſtili tincta cruore;
Perfida gens omni lite ſubacta ruet.
Quem Britonum fundet Albani juncta juventus,
Sanguine Saxonico tincta rubebit humus.
Hiſtoriæ veteris Gildas luculentus arator
Hoc retulit, parvo carmine plura notans.
Vigebunt Britones Albaniæ gentis amici;
Antiquum nomen inſula tota feret.
Ut profert aquila, veteri de turre locuta,
Cum Scotis Britones regna paterna regent.
Regnabunt pariter in proſperitate quieta,
Hoſtibus expulſis, judicis uſque diem.

Ad idem.

VOCI veriſonæ *Merlini ſpem prope pone:*
Scoti cum Britone ſternent Anglos in agone.
Flumina manabunt de ſanguine, quos ſuperabunt
Montes planabunt Britones, diadema levabunt.
Inſula tunc uti, ſic debet nomine Bruti,
Cum Scoti tuti vivent, Angli quaſi muti.

Anno Domini MCCCCXVIII. Walterus abbas Sancti Columbæ de Æmonia munus cœpit benedictionis, xvij. die Aprilis, et in octavo die ſequenti benedictus eſt dominus Adam de Crennach abbas de Scona, virtexitiæ religioſitatis et ſcientiæ; primus à domino Roberto Cardine apud Dunkelden, ſecundus à domino Henrico de Watdlaw apud S. Andream epiſcopis eorundem.

CAP. XXXI.

De tranſitu comitum Buchaniæ et Wigton ad Franciam in ſubſidium Francorum.

AN. Dom. MCCCCXIX. caſtrum de Werk capitur per Willelmum Haliburton de Faſtcaſtel; qui, deceptus per D. Robertum Ogyl, interfectus eſt proditorie, et cum eo XXIII. Scoti, viri fortiſſimi. Qui, poſtquam caſtrum ceperunt, incontinenti adfuit D. Robertus Ogyl, tractatum cum eiſdem faciens, et pro deliberatione domûs multa promittens. Sed interim Anglici ſcalas aſcendentes cannabicas, quas reliquerant Scoti à muris dependentes, ſupergreſſi ſunt: et ſic omnium Scotorum decapitatorum cadavera ultra muros projecerunt.

Eodem anno fuit maxima ſiccitas in æſtate, et frumentum abundavit.

Scripſit etiam rex Franciæ D. Roberto duci Albaniæ, gubernatori Scotiæ, pro ſubſidio virorum armatorum, virtute confœderationis regnorum, contra regem Henricum V. Angliæ, regnum Franciæ tunc inquietantem. Qui, concilio trium ſtatuum convocato, miſit Franciæ ſecundò-

ſecundò-genitum ſuum, inclitum militem Johannem Stewart, comitem Buchaniæ et camerarium Scotiæ, cum ingenti multitudine nobilium, militum et armigerorum, ad numerum ſeptem millium: qui quàm glorioſè, pro tempore quo illic ſtetit, ſe habuit, Francorum laudabiles faſſiones eundem ad plenum præconizant. Honorificè igitur à rege Franciæ cum ſuis receptus eſt, et conſtabularius Franciæ poſt bellum de Beaugé conſtitutus, reverendâ maturitate, admirandâ diligentiâ, diligenti ſolertiâ, eleganti ſtatu, decenti apparatu, morum moderamine, et diſerto affamine, et eleganti formâ vultûs compoſitus in tantum allexit corda regis et communitatis, ut ipſe, tanquam alter Meſſias, inter et apud eos oriri videbatur; quanquam proceres regni propterea movebantur: quia, ut dictum eſt,

Invidus alterius rebus marceſcit opimis.

Et quantum à rege plus honorabatur, tanto invidiâ tabeſcebant. Conſtabulario igitur deliberatum fuit ad manendum in oppidulo de Chatelon, cum munitiſſimo ipſius caſtro, infra ducatum Turonenſem. Cujus commilito et conſors exſtitit Archibaldus comes de Wigton, filius et heres domini Archibaldi ſecundi comitis de Douglas, qui poſtea in bello de Vernolze Perſe, pro tuitione juris Franciæ, cum multis millibus ſuorum occubuit. Hic igitur conſtabularius futurus, et Archibaldus de Douglas comes de Wigton ſecum, in Chatelon retentis valentioribus militibus Scotis, elegerunt capitaneos, qui cum rutariis campum tenerent, et ſinguli ſingulis turmis cum ſtantibus vexillulis et interſignis præeſſent, et in fronteriis adverſus Anglos excubarent: qui, non ſine dira pugna, captis quibuſdam oppidis, et ab Anglis municipiis recuperatis, ſtrenui ſtrenuos, ſinguli ſingulos actus bellicos perfecerunt. Sed ſtatim quia non excluſerunt Anglos de regno, delati ſunt Scotia apud regem, et vocati ſunt à Gallis devoratores vini, et multonum epulones. Quorum murmura rex bibulis auribus patienter abſorbens, diſtulit exprobrantibus reſpondere verbum, donec commiſſo bello de Beaugé, ubi Anglici capti erant et devicti, vocatis ad ſe querelantibus, dixit; "Quid vobis videtur de Scotis multonum epulonibus, et vini vorato-"ribus?" Qui, tanquam malleo frontibus repercuſſi, præ verecundia non habent quid regi reſponderent.

Hoc anno obiit dominus Finlaius epiſcopus Dunblanenſis, qui ædificavit pontem ejuſdem. Eodem obiit Richardus rex Angliæ, in feſto Sanctæ Luciæ, apud caſtrum de Strivelyn. Anno etiam MCCCCXIX. obiit dux Albaniæ, ut infrà.

CAP. XXXII.

De quadam peſtilentia dominorum et aliorum, in infirmitate qui Le Quhew *vocabatur.*

ANNO Domini milleſimo quadringenteſimo viceſimo, Willelmus Drakis Anglicus monachus Dunelmenſis, et intruſor in prioratum de Coldingham, (quia Scoti ob ſalvationem ſuæ vitæ, qui in Coldingham et in vicinia morabantur, de nocte in eccleſia et campanili ejuſdem quieſcebant; et ne ab Anglicis, ſi alicubi cubarent, captivarentur)

rentur) ex præmeditata malitia magnam materiem bruerii et meremii in plauſtris et carris miniſterio Anglicorum adduci fecit, et atrociter eccleſiam concremari demandavit. De quo ſuprà, lib. xx. cap. xxxiij. cum ſequenti.

Eodem anno Archibaldus ſecundus, comes de Douglas, potenti virtute intravit Angliam, et combuſſit oppidum de Alnewik. Eodem anno, et paulo ante, obierunt multi de valentioribus et nobilioribus regni, viz. Georgius de Dumbar, comes Marchiæ, qui in omni congreſſu bellico fortunatiſſimus dictus eſt: nam ſemper prævaluit pars ejus, ſive fuerat ipſe capitaneus, ſive cum majoribus; ut patuit in bellis de Ottirburn, Neſbit, Homildon, Shrewiſbery, Benrig, et aliis conflictis admirandis. Obiit etiam Henricus de Sancto-claro, hoc nomine comes Orcadiæ ſecundus; ſimiliter valens dominus Jacobus Douglas de Dalketh pater, Willelmus de Abirnethy, Willelmus de Sancto-claro et Willelmus Cockburn, milites magnanimes, cum multis aliis. Infirmitas iſta, quâ non ſolùm magnates, ſed et innumerabiles de plebe extincti ſunt, *Le Quhew* à vulgaribus dicebatur; quæ, ut phyſici ferunt, cauſabatur ex inæqualitate vel intemperantia hiemis, veris et æſtatis præcedentium: quia hiems fuit multùm ſicca et borealis, ver pluvioſum, et ſimiliter autumnus; et tunc neceſſe eſt in æſtate fieri febres acutas, et ophthalmias, et dyſenterias, maximè in humidis. In hieme ſicci humores, per frigiditatem retenti, acuuntur. In vere autem, in nimia humiditate diſtemperata, multæ ſuperfluitates generantur, et per calorem reſolvuntur. In æſtate verò, dum calor non eſt potens, eas conſumere putrefacit, et ſic febres acutas generat, et inducit multas alias paſſiones. Si verò hiems calida fuerit et humida, ver autem fuerit frigidum et ſiccum, neceſſe eſt homines in æſtate ægrotare, et mulieres parituras levi occaſione abortire. Cujus rei rationem aſſignat GALENUS, dicens; Quando corpora prægnantium in hieme ſunt calida et humida, tenera ſunt et rara: unde frigiditas aëris vernalis, ſubitò penetrans ad interiora, lædit fœtum; per frigiditatem enim et ſiccitatem, quæ ſunt mortificativæ qualitates, mortificatur fœtus. Unde fœtus mortificatus aggravat retinacula et abrumpit, et ſic mater ex neceſſitate abortit. Sed quid ad nos de his, quæ foris ſunt, ut de phyſica diſſeramus? Ideo ad chronicas divertamus.

CAP. XXXIII.

De bello de Beaugé, et de victoria Scotorum habita ſuper Anglicos.

ANNO Domini milleſimo quadringenteſimo viceſimo primo, rex Angliæ Henricus quintus, depopulator Franciæ, poſt conquæſtum Normanniæ receſſit in Angliam, ad recolligendum novum exercitum, intendens totam Franciam ſuæ ſubdere ditioni; dimiſſo in Normannia fratre ſuo domino Thoma, duce Clarentiæ, regente * ejuſdem: qui ſibi nomen grande, in abſentia regis Angliæ fratris ſui, aucupare præoptans, collegit ſuos, ad decem millia numero, et ad caſtrum de Beaugé in Andegavia ſe transferens, obſidionem circa id ponere diſpoſuit. Quo audito, comes Buchaniæ, cupiens ſecum congredi, aſſociatis ſibi comite

* Quem regentem Franciæ conſtituit appellari, *MS. Cupr.*

de

de Wigton et *le Heere Briſſak*, cum ſex millibus ſuorum, acceſſit ad villam de Lude, quatuor milliaribus à Beaugé, in die Paraſceuæ, intendens ibidem occupari circa ſervitium et officium divinum uſque in craſtinum magni Paſchæ, ob reverentiam divinæ paſſionis et Chriſtianiſſimæ communionis Euchariſtiæ; ſed audito quòd dux Clarentiæ receſſiſſet à Beaugé ad Beaufort*, illac hac die hoſpitatus eſt cum ſuis dictus comes Buchaniæ circa veſperam. In craſtino verò, id eſt, vigiliâ Paſchæ, dux Clarentiæ movit exercitum, attemptans ex improviſo fallere Scotos, et eos imparatos interimere†. Comes tamen Buchaniæ, timens verſutias æmulorum, miſit dominum Johannem Stewart militem, ſuum carum conſanguineum, dominum de Dernley, cum domino de le Fontanis Gallico, et cum eis quadringentos de electis, ad explorandum Anglos. Qui ſubitò ſuper exercitum Anglorum erumpentes, terga dederunt exploratores, et hinc inde fugati, ſed evaſi, nunciatum eſt Scotis adventum Anglorum‡: qui, quaſi horâ tertiâ poſt nonam ſe ſoporantes, illico experrecti, ad arma confluxerunt. Et ſtatim præmiſit comes Buchaniæ conſanguineum ſuum Robertum Stewart de Railſton, virum armis ſtrenuum, cum triginta de expeditioribus, ad inquirendum vada, ſive paſſagium, cujuſdam profundi torrentis de Beaugé. Qui, dum approximarent cuidam ponti arcuali et arcto, et aliunde non erat tranſitus, ſupervenit dux Clarentiæ cum vexillis diſplicatis, petens paſſagium pontis: cui dictus Robertus cum ſuis viriliter ex adverſo reſtiterunt, et tranſitum obſtruxerunt, donec centum vel eo circà Scoti, de retinentia magiſtri Hugonis Kenedi, qui prope in quadam eccleſia hoſpitati ſupervenerunt, et magnum impedimentum tranſitûs Anglorum præſtiterunt, quouſque, non ſine maxima difficultate et violentia, dimiſſis equis trans pontem, dux cum ſuis pedeſtribus paſſagium obtinuerunt, et campum de Beaugé petierunt. Ad quem continuò ſupervenit comes Buchaniæ cum ſuis vix ducentis in primâ acie, et ad clangorem tubarum congreſſi, dux Clarentiæ lanceâ D. Willelmi de Swynton† in facie vulneratus, et clavâ comitis Buchaniæ ad terram proſtratus, occubuit. Interim gregatim confluunt ex utraque parte, et congrediuntur, vulnerantur, capiuntur, occiduntur, et fugantur Anglici uſque ad profundæ noctis caliginem. Ex parte Scotorum non ceciderunt ultra duodecim, et de communibus: de Francis duo viri, ſcilicet, Carolus dominus de Buteclar, et frater domini de Fontanis. Ex parte Anglorum ceciderunt Thomas dux Clarentiæ, comes de Riddiſdall, dominus de Roſſe, dominus Gray-Codnor, cum aliis numero mille ſexcentis ſeptemdecim. Capti autem erant comes de Somerſet per Laurentium Vernor Scotum, poſtea militem; comes de Huntingdon per Johannem Sybald militem Scotum; dominus Thomas, frater dicti comitis de Somerſet, qui fratres fuerunt dominæ Johannæ reginæ Scotorum, per Johannem Kirkmichael, qui haſtam fregit in ducem Clarentiæ; dominus de Fewalt per Henricum Cuningham Scotum, cum multis aliis. Audito Romæ rumore belli de Beaugé, fertur Papam Martinum ſic reſpondiſſe; "Verè Scoti Anglorum tiriaca ſunt*." Unde quidam;

*Bewluſe, *MS. Cupr. et ed. H.* †Confundere, *MS. Cupr. in quo etiam ſubjung.* Sed dolus eorum converſus eſt in ſeipſos: nam comes, &c. ‡Et fugam ſuorum, *addit idem MS.* †Sororii dicti comitis, et nepotis gubernatoris Scotiæ, *ibid.* *Quaſi diceret, quod venenum Anglorum inficit quos attingit, ſed Scoti mitigant eorum humorem, *ibidem.*

Pontifex ſupremus Martinus fert vice quintus,
Antidotum Scoti Anglorum ſunt bene noti.

CAP. XXXIV.

De vindicta illata regi Angliæ in mortem per quendam Scotum Sanctum.

CONſequenter poſt bellum de Beaugé rex Angliæ, auditâ morte fratris ſui, et amiſſione ſuorum, ſeipſum præ rancore non ſuſtinens, cum poteſtate valida applicuit ad portum de Hondeflew, et abhinc obſeſſit oppidum et caſtrum de Droco et obtinuit. Habuit etiam tunc ſecum dominum Jacobum regem Scotorum, qui diu ante hoc erat in manibus eorum captus infra trebas. Dehinc proceſſit juxta Aurelianam uſque civitatem de Mulyn, quæ ſtat ſuper Sequanam; hanc obſeſſit et cepit, unà cum capitaneo ejus domino de Barbaſon. Ubi etiam capti ſunt viginti Scoti, viri fortiſſimi: quos omnes fecit rex Angliæ ſuſpendio interire, vocans eos traditores et rebelles regi ſuo, qui ibidem de oportet fuit regi Angliæ aſſociatus; et ibidem deputatis cuſtodibus, acceſſit ad Meldunum in Campania, Mewez viz. Inbry ſuper aquam de Marle, oppidum quaſi inexpugnabile. Quod tamen brachio forti cepit poſt tres menſes, non ſine magna ſtrage ſuorum. Qui carens victualibus, miſit ſuos ad prædandum patriam. Sed quia nil poterant, quod comedi poſſet, apprehendere, juſſit immunitatem Sancti Fergusii ſive Feogri, quondam regis Scotiæ filii, infringi et violari. Quam nemo immunis à vindicta audet violenter attemptare. Abhinc catalla et victualia, inibi pro immunitate à patriotis commendata, aſportavit: et ſubitò infirmitatem cancroſam, quam vulgariter *Saint Feakre le male* vocant, ſubiit, et melancholicus effectus, captâ civitate, capitaneum ejuſdem Baſtardum de Verreris decapitatum per aſtellas ſuſpendi fecit, transfixo ejuſdem capite ſude acutatâ, occiſis de civibus in ſua rabie trecentis vel ultra: et quia morbus acriter eum invaſit, quæſivit à medicis originem et ſuæ infirmitatis occaſionem. Reſponderunt, quia temeravit immunitatem Sancti Feogri Scoti. Ad hæc rex torvo vultu et ferali voce reſpondit; Quocunque perrexero, tam vivos Scotos quàm defunctos in barbam meam reperio. Abhinc in feretro locatus, juſſit ſe deferri ad parcum le Bovincentis in rabie, ubi, putrefactis omnibus ſuis intralibus, genitalibus et ſpiritualibus membris, mortuus eſt, et corpus ſuum Angliæ à ſuis tranſportatum eſt. Poſt bellum de Beaugé, dictus comes de Buchan factus eſt conſtabularius Franciæ. Et facto intervallo collegit ſuum exercitum ad aſſiliendum oppidum de Caladon, quod eſt à civitate Carnotenſi diſtans duabus leucis. Quod percipiens Delphinus Franciæ Carolus, qui nunc eſt rex, aſſociatis ſibi Richardo fratre ducis Britanniæ, et comite de Harcourt, unà cum conſtabulario, obſeſſerunt dictum oppidum per quindenam, et ad unum dirum aſſultum obtinuerunt arcem, et occiderunt capitaneos Burgundos proditores, redemptis Anglis. Eodem anno, in feſto Sancti Niniani, erat in Laudonia maxima inundatio pluviæ, ita ut, aquâ intrante eccleſiam fratrum de Hadington, in ea poſſent ſupernatare magnæ batellæ, ubi in veſtiario et librario madefacta erant veſtimenta et libri quamplurimi, et notabiles

notabiles deperditi et corrupti; et ſuper aqua de Tyna molendina quaſi duodecim profluvio aquæ funditùs deſtructa.

CAP. XXXV.

De bello de Vernolze Perche in Francia, per Scotos et Anglos.

ANNO Domini milleſimo quadringenteſimo viceſimo ſecundo, conſtabularius Franciæ obſeſſit manu forti oppidum de Averanchez, in confinibus Normanniæ, diſtans à monte Sancti Michaëlis per quatuor leucas, et cepit, dimiſſis Anglis defenſoribus liberis, cum eorum armis et equis. Et inſequenti æſtate venit conſtabularius in Scotiam, ubi induxit dominum Archibaldum ſecundum comitem de Douglas, cujus filiam duxit dictus conſtabularius, ad transfretandum Gallias. Qui ſecum habens decem millia militum et valentium virorum, ex donatione regis Franciæ acceptavit ducatum Turonenſem.

Hoc anno, in feſto Sancti Oſwaldi, villa de Abirdene combuſta eſt. Et in anno ſequenti, menſe Auguſti, commiſſum eſt bellum de Vernolze Perche in Normannia, in octavis Sancti Laurentii, anno Domini MCDXXIV. ubi ceciderunt conſtabularius Franciæ comes Buchaniæ, et comes de Douglas locum-tenens Franciæ, et Jacobus de Douglas filius ejus, dominus etiam de Swynton nepos ducis Albaniæ, cum multis militibus et valentibus dominis, tam Scotis quàm Gallicis. Ex parte Francorum ceciderunt comes de Hercourt, conſanguineus regis Franciæ germanus, et comes Narbonenſis, ac etiam comes de Tunnas. Numerus occiſorum ex omni parte, tam Anglorum quàm ceterorum, ſex millia. Ita quòd tanta multitudo occiſa eſt Anglorum, quanta etiam Scotorum et Francorum. Superba enim, ut dicitur, ſocordia et præceps temeritas Scotorum fuit occaſio caſûs et perditionis eorum: qui, dum in quadruplo exceſſerunt numerum Anglorum, præter ſagacis militiæ ordinem, in hoſtes irruunt; ubi poſt quantulamcunque concertationem arcitenentes Anglorum Scotorum haſtis conterebrati, fugam unanimiter inierunt. Quod cernentes lanciferi Anglici deditioni ſe ultrò dediſſent, niſi quòd paulo ante aciem belli pro certo didicerunt, quòd dux Turonenſis proclamari fecit, quòd nullus ſub certis pœnis Anglos captivaret, ſed indifferenter, ſine quacunque redemptione, occiderentur. Sed et aliud infelicitatis ibi accidit, quòd ubi magna et terribilis cohors Longobardorum emiſſariis geneticis armatis, et ipſi peroptimè armati inſederent, Anglorum arcinentes de bello fugientes, revertere ociùs ad campum compulerunt. Qui videntes ſe nullo modo fugæ præſidio poſſe ſalvari, ponentes animas ſuas in propriis manibus, tam ingentem imbrem jaculorum et ſagittarum acutarum in hoſtes emiſerunt, quod ſentientibus terror affuit cum dolore. Unde arcinentium invita reverſio fuit parti adverſæ infauſta averſio, et irreparabilis caſûs exitialis ſubverſio. Et, quòd vecordius fuit, illa concio Lombardica, tanquam phalanx angelica, quæ compulit ſagittarios refugere, nunquam campum petierunt, nec de equis deſcenderunt, ſed ultra creditum perterriti nuſquam, poſt arreptam ſuam propriam fugam in Francia, apparuerunt. Capitaneus ex parte Anglicorum erat dominus Johannes frater regis Henrici,

Henrici, cancroſo morbo Sancti Feogri extincti: cum quo præcipuus erat comes Sariſbirienſis, inſtructor et armiductor belli.

Delata ſunt enim funera nobilium ducis Turonenſis, et conſtabularii Franciæ, necnon Ja. de Douglas filii ducis, ad monaſterium canonicorum ſecularium eccleſiæ S. Gaciani, infra civitatem Towrez de Turane; ubi, in choro ejuſdem collateraliter tumulati, decori et amabiles in vita in morte quoque non ſunt ſeparati. Poſt infauſtum bellum de Vernolze, D. Jo. Rothomagum petiit, et ſubitò leprâ percuſſus, ibidem quievit, miſſo ab eo dicto comite de Sariſbiri cum potentia ad continuandum guerras in Galliis; ubi in aſcenſu ſuo in territorio Aurelianenſi infra terram de Beauez, obſeſſit oppidum de Convile, et caſtrum munitiſſimum de Turenny, et cepit; et, immiſſis in eiſdem Anglicis cuſtodibus, ſeceſſit ſatis pompoſè ad aſſiliendum Aurelianum; et, dum iter faceret, obſeſſit oppidum Bogente, et etiam Mone ſuper aquam de Lare, et obtinuit. Dehinc proceſſit ad Aurelianam, et compoſitis quatuor baſtallis ligneis obſidionem firmavit: circa quam per duos menſes obſidentes, tandem recuperaverunt turrim munitiſſimam ſuper pontem. Quo comperto, civitatenſes effregerunt arcum pontis, ne per eundem acceſſus ad civitatem haberetur. Dum hæc ſic ſe haberent, miſit comes Sariſberiæ comitem de Southfolk oppidanis de Geargewis petens deditionem villæ, alias maximas minas eiſdem intentabat: qui ſtatim oppidum deliberabant, quia veriſimiliter credebant dictum comitem infra breve civitatem Aurelianenſem vi armorum adepturum. Sed Deus, diſpoſitor viciſſitudinis et rerum, deſtruxit violentiam ſuperbi comitis. Nam cùm unâ dierum ipſe comes, in meridie æſtivalis caloris, aſcenderet turrim ad introſpiciendum civitatem, et ſtans in feneſtra, ſicut de more conſueverat, auream targiam in manu ferebat, per umbonem illius minutis rimulis perforatum, ad contuendum per eaſdem tempore emiſſionis ſpiculorum et ſagittarum, qui bene cognitus fuit per geſtionem ejuſdem: ubi tunc fortè et à caſu ſuper muros civitatis ex tranſverſo dimiſſa fuit funda bombardica, ad emittendum lapidem præparata; quam fundibularius tempore prandendi commiſit cuſtodiæ duorum parvulorum, duodecim vel eo circa annorum. Qui videntes targiam comitis, dixit alter reliquo; "Ecce verè ibi eſt comes; ponamus "tactum jam ignitum in camera, et faciemus jaculum quo terrebitur "comes, qui ſe ſemper exhibet civitati adverſarium." Ad factum eſt conſenſum; et comes lapidis fulminatione vulneratus eſt in facie et per oculum: qui citò hujus ſeculi amiſit gaudium. Quod audientes cives glorificaverunt Altiſſimum, qui innocentiâ parvulorum liberavit eos de tyrannide capitis ſuperborum. Et iſtud factum aſcriptum eſt miraculo noſtræ Dominæ.

CAP. XXXVI.

De victrici puella Franciæ, et de morte ejus.

ABhinc rapuerunt eum Angli ad oppidum Bojenſe, ubi vitam finivit. Reliquit autem poſt ſe, ad obſidionem Aurelianenſem, locum-tenentem quendam famoſum armigerum, Glaſynden nomine.

Circa

Circa idem tempus venit de Lotharingia quædam virgo juvencula, nomine Johanna; quæ dicebat, ſe fuiſſe miſſam ab Altiſſimo ad propulſandum et enervandum Anglorum molimina. Quæ, acceptis à rege Franciæ duobus millibus armatorum virorum, acceſſit Aurelianis cum victualibus, heraldum præmittens cum litera, et præcipiens obſidentibus, ex parte Dei omnipotentis, ut à civitate et à Francia recederent, aliàs pœnas eis mirabiles intentabat. Qui, nuncium ſurdâ aure ſpernentes, nullum eidem reſponſum mittere dignabantur. Quæ ubique arma ferens virilia, per batellas civitati victualia intromiſit, et baſtella conquiſivit, et ipſum Glaſſenden cum ſecentis et ultra occidit, et civitatem intravit, et civitatenſes humaniter comfortavit. Abhinc receſſit Turonis ad regem, et, congregatâ majori potentiâ, cum duce Alaunſon, i. e. Alanconiæ, et conſtabulario Franciæ, Aurelianas repetiit, et obſidionem levavit. Unde Anglici receſſerunt ad oppidum de le Muneſolare, quos à tergo inſecuta, cum eis commiſſit bellum campeſtre: ubi occiſi ſunt de Anglis tria millia, et de Francis et Scotis viginti perſonæ. Ubi capti ſunt dominus de Talbot, et dominus de Scalez. Dehinc proceſſit et obſeſſit oppidum de Geargewis, et per aſſultum ſumpſit: ubi captus fuit comes de Southfolk, cum duobus fratribus ſuis. Et conſequenter de conſilio *le Pucelle* acceſſit rex ad civitatem Rhemenſem in Campania, et ibidem coronatus eſt, et inunctus unctione ampullæ per angelum Carolo M. tranſmiſſæ. [Hoc in tempore eccleſiæ Aurelianenſi præfuit epiſcopus Johannes Kirkmichaël Scotus.] Quæ puella, dimiſſis ibidem cuſtodibus, acceſſit ad civitatem Santlice, quæ reddita eſt ei. Dehinc ad Sanctum Dionyſium, quæ ultrò reddita eſt ei. Et ibidem, dimiſſo rege, puella acceſſit Pariſius cum decem millibus, et ipſum aſſilivit: ubi multi de exercitu regis ſagittatione fundarum, albaliſtrorum, lapidum et ſagittarum vulnerati occubuerunt. Ubi etiam *le Pucelle* per utraque femora ictu garaldi transfixa eſt. Quo comperto, rex tranſtulit ſe Aurelianas, et ipſa tranſducta ad Valois, ubi curata tranſlata eſt ad Compendium; et ibi explorata et capta ab Anglis et Burgundis, tranſmiſſa fuit Rothomago, ubi, judicio domini Johannis regentis dolio incluſa, incinerata eſt. Multa namque bona contulit regno Franciæ, et terrorem ad tempus Anglis incuſſit; ſed quo ſpiritu præmiſſa præſumpſit, novit ille qui nihil ignorat. Detulit enim in indice manûs ſiniſtræ annulum, quem quaſi continuè intueri ſolita fuit, ſicut mihi retulit qui hæc vidit. Hæc eſt illa fortè de qua Merlinus in ſuis ſecretis ſcribit ita dicens:

Gloria ſublimis, rutilans ab aggere ſalis,
Megeros ebulliet merſos in Aurelianis.
Mæror magnificus Anglorum ſtigmatà terit,
Frendens annuli quæ magica mira ſatis,
Corruet ab alto, ſublimi tacta nitore,
Perget et ad pelagus, pace ſuâ perit hic.

De qua etiam, ut dicitur, prophetatum fuit ſic:

Vis cum vi, culi bis ſeptem ſe ſociabunt,
Gallorum pulli, tauro nova bella parabunt.
Ecce boant bella, portat vexilla puella.

Virgo puellaris, artus induta virili
Veſte, Dei monitu, præparat relevare jacentem
Liliferum regemque ſuos delere nefandos
Hoſtes, præcipuè qui nunc ſunt Aurelianis.
Urbe ſub hac ipſam deterrent obſidione,
Et, ſi tanta viris mens eſt, ſe jungere bello,
Arma ſequi ſe quæ ſua nunc parat alma puella.
Credit fallaces Anglos ſuccumbere morte,
Marte puellari Gallis ſternentibus illos.

Hîc Brigitta de Francis, cui apparuit noſtra Domina dicens; "Quòd "nunquam erit ſic firma et tranquilla pax in Francia; quòd habitan- "tes in ea plena ſecuritate et concordiâ poſſunt ullatenus congaudere, "antequam populus regni placaverit Deum filium meum, per aliqua "magna pietatis et humilitatis opera, quem, ſuis multis peccatis et of- "fenſionibus, ad indignationem et iram hactenus provocaverunt." Hæc puella capitanea fuit apud Mune, ubi interfecti ſunt tria millia Anglorum, et capti domini de Talbot, Willuby et Skelby.

CAP. XXXVII.

De morte ducis Albaniæ gubernatoris Scotiæ comitiſque de Fife.

ANNO Domini MCDXIX. obiit inclitus princeps Robertus dux Albaniæ comes de Fife et de Menteth, ac gubernator regni, tertio Nonas Septembris. Qui gubernator, poſt mortem fratris ſui regis Roberti tertii, quindecim annis virtuoſè regebat. Et ſi qua fortè in regno per potentes enormia commiſſa erant, patienter ea ad tempus diſſimulavit: quæ ſatis prudenter, congruitate temporis adveniente, noverat reformare, vel emendam aſſequi juxta votum, attendens ad id CLAUDIANI;

Quod violenta nequit, peragit tranquilla poteſtas.

Patientiſſimus omnium vir erat, mitis ſatis et benignus, communicativus et affabilis; convivus quotidianus, ſuper omnes ſuos compares ſingularis, vir magnarum expenſarum, et extraneis munificus. Erat etiam formâ præcipuus, corpore procerus et altus; canus capite et ſenſu, amabilis aſpectu, prudentiâ et fortitudine præditus, temperantiâ clarus, longanimitate aſſiduus. Et ita in eo quaſi omnium virtutum decorem ſapientia adornabat, ut ſermo illius, vel in ſummis regni conciliis, vel aliubi conſtitutus, ſemper in gratia ſale eſſet conditus. In caſtro Strivelenſi, in ſenectute bona, octogenarius et ultra, perceptis catholicis ſacramentis eccleſiæ, ſanâ mente, Chriſtiano more, obdormivit in Domino; ſepultuſque eſt in eccleſia monaſteriali de Dunfermelyn, inter chorum et capellam noſtræ Dominæ. Cujus epitaphium eſt:

Jura tuens, et pacis amans, et maximus armis,
Robertus primus, dux in Albania ſummus,
Gratia naturæ ſpeculum, quo vera refulcit
Juſtitia, et quicquid in principe mundus adorat,

Occidit

Occidit, et pariter decus et pax, Scotia, totus
Excidit, Roberto cuſtode rebus adempto,
Anno milleno quater C. X.que noveno.
Ejuſdem flamen cum Chriſto gaudeat. Amen.

Poſt cujus mortem, filius ejus primogenitus dominus Murdacus Stewart ſtetit gubernator regni quaſi per quatuor annos, uſque ad liberationem regis noſtri Jacobi de Anglia. Qui in gubernatione ſua remiſſus nimium erat. Cujus propterea filii inſolentiores debito effecti, ad libitum, nec ad licitum, operantes, caſtigati fuerunt à ſuperveniente rege ad propria.

CAP. XXXVIII.

De virtute Miſſæ, et miraculo Sancti Columbæ.

QUiddam etenim quod ſtuporis multitudinem * excedere creditur, ſubſequentis eſſe dinoſcitur miraculi novitas, et inſoliti operis ſoliditas, de virtute Miſſæ prædicabili; quod et etiam ad Sancti Columbæ honoris reverentiam nunc proſequendo deſcribitur. Contigit autem, anno Dom. MCCCCXXI. quòd abbas S. Columbæ de inſula Æmonia, cum ſuis, erat ad terram in æſtate et autumno, quia his temporibus in inſula morari non audebant, propter metum Anglicorum: non enim erant tunc, quales et nunc, in monaſterio munitiones. Appropinquante igitur procelloſâ hieme, poſt congregata in horreo blada, quando minus timetur Anglicorum incurſio, abbas cum ſuis fratribus, et familia, ac eorum utenſilibus, intravit inſulam ad morandum viij. Kalend. Novembris, et in craſtino die, ſciz. dominicâ, ad introducendum in barellis cereviſiam apud Bernhil braſiatam, cum aliis victualibus et domûs neceſſariis, miſit celerarium cum ſervis. Qui, quaſi horâ tertiâ poſt meridiem, ſervi-nautæ dum à portu ſe moverent, et pacata æquora alacres et potoſi aligero ſulcarent remigio, nihil quod alicujus offendiculi impedimentum eis præſtaret ſentiebant. Sed his non contenti, dicebant ſe velle velificare. Qui, à duobus canonicis prohibiti, prævaluerunt, et velum in altum tetenderunt. Et ecce ſubitò navis quâdam ſubitatione turbinis impetitur, fluctibus inquietis perturbatur, et tempeſtatum furiis inquietiùs agitatur. Fluctus batellam lateraliter impellunt et rejiciunt, nunc proram in aëra extollentes erigunt, nunc ad maris infima in præcipitio deducunt. Velum tandem nimiis tempeſtatum flabris diſſilierat. Nauta armaturam regiminis, quâ carina diſponi debuerat, amiſit, et navis, ſine gubernaculi deſtitutâ ſolamine, emergens in profundum diſſiliebat. Quid plura? de ſex perſonis, quæ in batella continebantur, tres, viz. Alexander canonicus celerarius, et duo ſervi nautici, ſubmerſa ſunt. Reliqui tres, viz. dominus Petrus canonicus, Willelmus Bullok capellanus, et unus latomus, non minùs mirificè quàm miraculoſè, ſalvati, mortem pro tunc evaſerunt. Petrus adminiculo cujuſdam ſtupæ, ſibi per beatum Columbam, ut aſſeruit, viſibiliter apparentem, cujus adjutorium indefinenter flagitabat, miniſtratæ, ſuſtentatus eſt. Duo verò alii innitentes faſciculo ſtraminis, per horam et dimidiam ſuper-

* Magnitudinem, *MS. Cupr.*

natantes,

natantes, ac alterutrò peccata ſua confitentes, ſic perſtiterunt, quouſque homines in Abirdour per batellam de Portevin ipſis ſuccurſum præſtiterunt. In hoc adjicitur miraculo, quòd eo die hi tres, qui participes ſacro-ſanctæ Miſſæ fuerunt, de mortis confinio liberantur. Dominus namque Petrus canonicus ipſâ dominicâ majori aviditate, et præter ſolitum, Miſſam celebrare cupiebat. Fuit enim tunc in inſula ex caſu niſi una oblata ad celebrandam magnam Miſſam reſervata, et Prior loci, albâ et ſtolâ indutus, aquam conſecraverat benedictam. Ad quem acceſſit Petrus, petens pro Deo, ut ſe eccleſiaſticis exueret, et ſibi facultatem ad celebrandam miſſam concederet. Quod cùm ſibi denegâſſet, Petrus abbati humiliter ſupplicavit, ut Priorem alloqueretur. Qui, propter obedientiam, ceſſit Petro, et, qui nunquam antè tam ardenti appetitu celebrare ſe diſpoſuit, factâ humiliter peccatorum confeſſione, Miſſam celebravit, et, modico de cibis prælibato, ad inferendum lectiſternia ſua terram petiit, et cum pereuntibus et aliis naviculam intravit, habens ſecum dictum latomum, qui miſſæ eo die interfuit. Capellanus etiam, qui tunc in batella erat, Miſſam ipſo die apud eccleſiam de Dalgathy celebravit: et hi tres ſalvati ſunt. Reliqui verò qui eodem die Miſſæ non curaverunt, vel, propter ſolicitudinem, non quiverunt intereſſe, perierunt. Unde in hoc verificatur quod dicit AUGUSTINUS de meritis Miſſæ; "Quòd illo die quo quis Miſſam devotè "auderit, mortem ſubitaneam non incurret." Propter quod, ut in fine hujus libri noſtri xv. aliquid ædificationis inſeramus, merita Miſſæ, excerpta ex diverſis ſententiis ſanctorum et doctorum, ab eccleſia approbatorum, præſentibus conferamus.

CAP. XXXIX.

De meritis Miſſæ, et quomodo prodeſt devotè audienti eam.

INprimis, ut ait AURELIUS AUGUSTINUS, anima in Purgatorio patiens tamdiu refrigerium inveniet, vel, ad minus, tollerabilior pœna erit, quamdiu preſbyter pro ea Miſſam celebraverit. Secundò, juxta eundem, hodie devotè audiens Miſſam, et ſic intendens craſtino, et conſequenter omni die, tantam gratiam conſequetur, ut inconfeſſus non morietur: quia,

Hunc Deus exaudit, qui Miſſam ſæpiùs audit.

Tertiò, juxta eundem, excellit omnem aliam orationem, eo quòd continet in ſe Dominicam orationem. Quartò, poſt auditionem Miſſæ meliorem faciet homo digeſtionem cibi et potûs, et melius conveniet talis ſumptio naturæ, quàm quando Miſſam non audierit. Quintò, quamdiu homo fuerit in audiendo Miſſam, in effectu non veteraſcet, vel tantum ante mortem habebit ſpatium vitæ, quantum fuerit in audiendo Miſſam. Sextò, interea dum homo devotè fuerit in audiendo Miſſam, Diabolus, ſi in eo poteſtatem habeat, amittit, poſt hoc minorem, quàm antè, poteſtatem habiturus. Septimò, celebratio Miſſæ æquivalens eſt paſſioni Chriſti, dicentis; *Hæc quotieſcunque feceritis, in mei memoriam facietis.* Octavò, homo devotè audiens Miſſam, ſi ſit peccator, virtute Miſſæ citiùs reſurget; ſi innocens, firmiùs ſtabit.

Nonò,

Nonò, quo die Miſſam quis devotè audierit, miniſtrabuntur ſibi victûs neceſſaria. Decimò, vana verba, jocoſa, et incognita juramenta, et venalia peccata, dummodo exercitio non ducantur, remittuntur. Undecimò; Illo die quo quis Miſſam devotè audierit, mortem ſubitaneam non incurret. Duodecimò, lumen oculorum non amittet. Decimo tertiò, ſi moriatur, et velit communicari de ſacramento, et copiam preſbyteri, vel ſacramenti, non habuerit, pro communicato apud Deum reputabitur. Decimo quartò, omnes paſſus euntis ad Miſſam devotè audiendam, ab angelo computantur, et pro labore ejus homo remunerabitur. Hæc AUGUSTINUS, qui ſic concludit: "Miſſa eſt honor ſanctorum, ſalus "vivorum, et redemptio mortuorum: per Miſſam enim peccata, tam "vivorum quàm mortuorum, condonantur; et tantum eſt celebratio "Miſſæ, quantum mors Chriſti in cruce. Nam ſicut omnes credentes "ſalvati ſunt Chriſti morte, ſic omnes redempti celebratione Miſſæ. "Ergo dignè et devotè Miſſa audiatur, per quam homo perditus in "fide ſalvatur." Decimo quintò, ad propoſitum dicit Chriſtus ad Brigittam, Revelationum lib. IV. cap. lviij. "Ex oblatione hujus ſacrificii "tria veniunt animabus. Primò, denique patientia mea laudatur, "quòd, ſciens proditorem meum, non repuli converſationem ejus. "Secundò, quia aſtante proditore cum ſuis, omnes ex unico verbo "meo ceciderunt ad terram, ubi potentia mea oſtendebatur. Tertiò, "quia oportet malitiam ejus et Diaboli ad animarum converti ſalutem, "ubi ſapientia et charitas Divina manifeſtabatur. Sic etiam ex oblatione ſacerdotum tria veniunt bona." Decimo ſextò, "Primò laudatur ab omni exercitu celeſti patientia mea, quia idem ſum in manibus boni et mali ſacerdotis, quia apud me non eſt perſonarum "exceptio, nec merita hominum conficiunt hoc ſacramentum, ſed "verba mea." Decimo ſeptimò, "Secundò, quia hæc oblatio prodeſt "hominibus, à quocunque ſacerdote eſt oblata." Decimo octavo. "Tertio, quia prodeſt etiam ipſis offerentibus, quantumcunque malis; "quia ſicut ex uno verbo quod dixi, ſciz. *Ego ſum*, corruerunt hoſtes "mei corporaliter in terram; ſic dicto verbo meo, ſciz. *Hoc eſt corpus meum*, fugiunt dæmones à temptando animas offerentium, nec "auderent redire ad eos cum tanta audacia, ſi effectus peccandi non "ſequeretur: aliàs formidandum eſt qui manducat et bibit indignè," &c. Decimo nono. S. MATILDIS in Revelationibus dicit, "Quòd "ſi homo omnia perdita, depoſita, ſive neglecta ſua ſufficienter recuperare voluerit, ſæpiùs ad illud prænotabile et digniſſimum accedat "ſacramentum corporis Chriſti, quod in ſe continet omnia bona "omniſque gratiæ inventivum." Viceſimo. HIERONYMUS ſcribit, "Quòd quotidie Miſſam audienti conceditur hîc quod juſtè à Deo "poſtulat, aut in futuro ſibi reſervabitur quod melius eſt." Viceſimo primò, dicit CHRYSOSTOMUS, "Quòd mulier die partûs ſui audiens "Miſſam, pariet cum minore dolore vel pœna, quàm ſi Miſſam non "audierit." Viceſimo ſecundò: ſacramenti ſuffragio quotidie cœlum aperitur. Unde AUGUSTINUS in Enchiridion; "Non eſt ambigendum, "defunctorum animas pietate viventium relevari, cùm pro illis ſacrificium altaris piè offertur mediatori." Ad illud facit quod ſcribit GREGORIUS IV. Dialogorum; "Quis fidelium dubium habere poſſit,

" in ipſa immolationis hora, ad ſacerdotis vocem cœlos aperiri, et in " illo Jeſu Chriſti miniſterio choros angelorum adeſſe ſummis imas " ſociari?" Viceſimo tertiò, exiſtenti in Purgatorio quotidie pœna minuitur; pro quo ſcribit ANTISIODORUS in Summa, " Quòd nulla " Miſſa dignè in eccleſia pro defunctis celebratur, quin virtute ejus " multæ animæ de Purgatorio liberantur." Vigeſimo quartò, GREGORIUS; " Cùm una Miſſa dicitur pro defunctis, ſingulæ animæ in " Purgatorio exiſtentes, unam Miſſam integram ſe habere ſentiunt, et " gratulantur." Vigeſimo quintò, et quòd virtute Miſſæ peccatores convertuntur: unde BERNARDUS ſuper Cantica; " Ecce, inquit, " quàm bonum et quàm mirificum de Dei miſericordia donum! nam " nunquam debitè celebrantur divina myſteria, quin ibi concurrunt " duo opera virtuoſa, viz. unius peccatoris converſio, vel, ad minus, " unius animæ de Purgatorio liberatio." Vigeſimo ſextò, alios quatuor effectus virtuoſos ponit idem BERNARDUS, ſic dicens; " Cor contra " vitia roborat, virtutes augmentat, venialia hoc ſacramentum delet, et " unit Chriſto." Unde de eo ſic concludit, dicens; " Corpus Chriſti " eſt ægrotis medicina, peregrinantibus dieta; debiles comfortat, va- " lentes delectat, languores ſanat, ſanitatem ſervat. Per hoc fit homo " manſuetior ad correctionem, patientior ad laborem, ardentior ad " amorem, ſagacior ad cautelam, ad obediendum promptior, ad gra- " tiarum actiones devotior." Unde HILDEBERTUS:

Unde fit, ut, quotiens ſacris accedimus aris,
Particulis cedat hoſtia fracta tribus?
Pars intincta mero pro vivis orat, opuſque
Sanguinis et carnis expiat ipſa caro.
Pro bene defunctis (quorum purgatior unus
Hoc interventu non eget, alter eget)
Offerimus tibi, Chriſte, duas, ſed propter eoſdem
Oblatæ pariter non operantur idem.
Nam pars pro ſanctis, pars eſt pro ſanctificandis:
Illa refert grates, ſupplicat iſta Deo.
Hoſtia pro juſtis, laus eſt pro juſtificandis;
Mentio pro reliquis cauſam agit alterius.
Fit cibus hic ex pane caro, Deus ex elemento,
Myſterio ſimplex, utilitate triplex.
Néve putes illi tumulumve crucemve deeſſe,
Ipſe calix tumulum denotat, ara crucem.
Utque fides aſſit, terrorque recedat et horror,
Fit cibus ipſa caro, panis imago manet.
Conſtat in altari carnem de pane creari.
Inde Deus cibus eſt, qui negat hoc reus eſt.
Tam ſacrum pignus nullus ſumat niſi dignus.
Qui capit indignè baratri cruciabitur igne.
Dum corpus Chriſti ſacratur ab ore miniſtri,
Vinum fit ſanguis, panis ſubſtantia carnis.
Panis mutatur, ſpecie remanente priore,
Sed non eſt talis qualis ſentitur in ore.
Sumitur occultè Chriſtus, ne ſit tibi ſtultè,

Ut

Ut quia ſub forma propria nequit ipſe videri.
Sic occultatur quare? quia, ſi videatur
Forſitan horreres, et manducare timeres.
Dat ſeſe Ieſus, manet integer omnibus eſus.
Manditur illæſus, bibitur non vulnere cæſus.
Vim ſacramenti non mutat vita miniſtri.
Preſbyter in menſa Chriſti quid agas benè penſa,
Aut tibi vita datur, aut mors tibi dira paratur.
Si Chriſti panis non eſt ſanus niſi ſanis,
Ægris et ſanis eſt ſana refectio panis.
Hæc caro quam comedis te ſalvat ſi bene credis;
At male ſi credis, judicium comedis.

Hic finem libri propoſui feciſſe, ſed mente ulteriùs ſtimulatus, ob intolerabilem tyrannidem, undique excreſcentem concitò poſt mortem inclitiſſimi regis noſtri Jacobi primi, per univerſum regnum, nunc breviter perſtringam ejus actus inclitos, ut regalis ejuſdem rectoria ſit ſequacibus ejus regibus, tanquam imago deſcripta ſpeculo, refulgens forma virtutis, &c. Sed, heu! quia poſt ejus mortem,

Sub pedibus timor eſt ſecuraque ſumma malorum.

EXPLICIT LIBER DECIMUS QUINTUS.

Incipiunt

Incipiunt tituli capitulorum libri decimi ſexti.

Prologus libri decimi ſexti. CAPITULUM I.
De liberatione regis noſtri Jacobi primi de Anglia. CAP. II.
De diverſis ſchiſmatibus inter contendentes pro Papatu. CAP. III. cum IV. ſequentibus.
De Amadeo, duce Sabaudiæ, electo per conſilium Baſilienſe. CAP. VIII.
De arreſtatione Walteri Stewart, primogeniti ducis Albaniæ, et de taxa. CAP. IX.
De arreſtatione et decollatione D. Murdaci ducis Albaniæ. CAP. X.
De legatione hinc inde inter reges Franciæ et Scotiæ, miſſa pro primogenita regis Scotiæ. CAP. XI.
De deſponſatione primogenitæ regis Scotiæ cum Delphino Franciæ. CAP. XII.
Quòd impoſitiones et taxæ de facili non ſunt indicendæ. CAP. XIII.
Quòd nec de facili ſtatuta ſunt facienda: et de regali feſto Natalis. CAP. XIV.
De parliamento apud Invernes, et de arreſtatione Catervanorum. CAP. XV.
De conflictu et fuga de Badzenach, et nativitate Jacobi ſecundi regis noſtri. CAP. XVI.
De occiſione comitis Cathaniæ, et conflictu mirabili Catervanorum. CAP. XVII.
De fundatione Cartuſienſium apud Perth, in valle virtuoſa. CAP. XVIII.
De commendatione ordinis Cartuſienſis. CAP. XIX.
De combuſtione Paule Crawe, et de Lollardis. CAP. XX. cum II. ſeq.
Quòd Anglici ſubtiliter conati ſunt inducere Scotos ad cifrandam ligam quæ eſt inter nos et Francos. CAP. XXIII.
De altercatione inter prælatos de hac re, et receptione caſtri de Dunbar. CAP. XXIV.
De conflictu de Piperden, et de morte comitis Marriæ, et de comite de Averoiſe. CAP. XXV.
De obſidione caſtri de Roxburgh, et de epiſcopo Urbinate legato. CAP. XXVI.
De proditioſa morte regis noſtri Jacobi primi. CAP. XXVII.
De deſcriptione ejus. CAP. XXVIII. cum III. ſequentibus.
De bona litera et exhortatione ejus ad abbates, pro capitulis ſuis generalibus repetendis. CAP. XXXII.
Quòd ſummam tranquillitatem et pacem introduxit regno. CAP. XXXIII.
Quòd felici pace omnes regnicolæ gaudebant in vita regis. CAP. XXXIV.
Hic deflet auctor ſeculum nequam, et regnum quaſi acephalum ſine rectore. CAP. XXXV.
Quòd convenit regi habere fortes aſſidentes lateri ſuo. CAP. XXXVI.
De inevitabili morte ejus et omnium, et quòd conſolemur in filio ſuo nunc regnante. CAP. XXXVII.
De epitaphio ejus. CAP. XXXVIII.
De concluſione operis. CAP. XXXIX.

LIBER

LIBER XVI.

CAP. I.

Prologus libri decimi ſexti ſequentis.

CONSIDERANTI mihi de inſtabilitate ſtatûs hujus regni, utpote in quanta requie opulenta, et juſtitia optabili, in diebus claræ memoriæ domini Jacobi regis noſtri defuncti, cujus actus et temporum viciſſitudines nunc ſum deſcripturus, reſpectu fallacis inſtantis ævi, magis flere libet, quàm ulteriorum chronicarum telam retexere. Sed quia cœleſte gaudium non niſi per terrenas amaritudines recuperare ſperamus, ad toleranda patientiùs adverſa, ſpes felicitatis, quæ præſenti miſeriæ ſuccedit, non corroborat, ut ipſa ſpes manentis lætitiæ leviget triſtitiam tranſeuntis anguſtiæ. Sic, etſi mortuus ſit legifer noſter rex et auriga, non tamen ut mortuum omnino deploremus. Similem enim ſibi reliquit heredem, ejuſdem quidem nominis, ſed utinam uſque ad mortem non inferioris ominis, qui hucuſque hilarem ſui, ſuis ſaltem innocuis liegiis, præbet opinionem adoleſcens; cujus, laus Altiſſimo, inter ætatis initia virtutis indicia coaleſcunt. Sed, ut proverbialiter dicitur, dum herba creſcit vitulus deficit. Longum reputamus adventum tuum, O rex! ad ætatem virilem, quâ valeas nos, quotidianâ tyrannide turbatos, rapinis et ſpoliis depreſſos, de tribulatione, quâ nos deprimimur, erigere, leges dictare, juſtitias exercere, ut liberes pauperem à potente, et pauperem *, cui, præter Deum, non eſt apud nos alius adjutor. Memineriſque te legis eſſe latorem, ut compeſcas latronem, et raptorem refrenes. Quod ſi abſit, non rectè regas, leges non legas, ſed firmes exleges. Quid enim poteſt eſſe melius, quàm homines de bonis legibus confidere, et caſus reliquos non timere? Jura enim publica certiſſimè ſunt humanæ vitæ ſolatia, infirmorum auxilia, tyrannorum frena; unde et ſecuritas venit, et conſcientia proficit. Sed heu! nunc, quia nos miſeri in defectu juſtitiæ deflemus tempus adveniſſe, de quo OVIDIUS in Metamorphoſi;

Vivitur ex rapto, non hoſpes ab hoſpite tutus;
Non ſocer à genero. Fratrum quoque gratia rara eſt.
Victa jacet pietas, &c.

Propter quod utique dicere et ſentire poſſumus cum poëta:

Aurea tempora primaque robora præterierunt.
Aurea gens fuit, et ſimul hæc ruit, illa ruerunt.
Flebilis incipit, aurea ſuſcipit, aurea metas
Tranſiit ociùs, et ſtudium prius, et prior ætas.
Gratia firmior, ordo valentior eſſe ſolebat.
Melleque lactea, lacteque mellea terra fluebat,
Affluа frugibus, arva rigantibus arida cælis,
Dans bona dantibus, atque fidelibus ipſa fidelis.
Pax dabat otia, gens erat inſcia prorſus obeſſe;
Terra fidelibus affluа patribus, affluа meſſe.

*P. inopem, HEARNIUS.

Pax jacet irrita, terraque perdita, juſque bonumque:
Hujus amor ruit, illius aruit: aret utrumque.
Terra negat ſata, pax homini data ſola fugatur.
Quæ rata floruit, irrita corruit et violatur.
Lex Domini ruit, improba non luit improbus auſus.
Auſibus ultio deeſt, datur unctio pro cruce plauſus.
Vis caret obice, crimina vindice, judice lites;
Probraque verbere, furtaque carcere, præſule mites.
Prorſus ad impia larga licentia fertur ubique.
In mala curritur, et malè vivitur, itur iniquè.

Propter enim gemitus inopum et miſerias pauperum, quos etiam ego, qui hæc ſcribo, præſenti et eodem die vidi et audivi, in proximo et in confinibus meis pauperes denudari veſtibus, et utenſilibus inhumaniter ſpoliari, dicam cum eo qui dicebat; " Vidi calumnias quæ ſub ſole " geruntur, et lacrimas innocentium, et conſolatorem neminem: nec " poſſe reſiſtere eorum violentiæ cunctorum auxilio deſtitutos. Lau- " davi magis mortuos quàm viventes; et feliciorem utroque judicavi, " qui nec dum natus eſt, nec vidit mala quæ ſub ſole fiunt" Eccles. IV. Unde et ego alter, æquè ut in Trenis Jeremias, idiomate varians, celeumata de cordis penetralibus erumpere cogor, et dicere compellor:

" Lauch liis down our all: *fallax fraus regnat ubique.*
" Micht gerris richt down fall; *regnum quia rexit iniquè.*
" Treuth is made now thrall; *ſpernunt quam dico plerique.*
" Bot til Chriſt we call, *periemus nos animique.*"

CAP. II.

De liberatione regis noſtri Jacobi primi de Anglia.

ANNO Domini milleſimo quadringenteſimo viceſimo tertio, circa dominicam in paſſione, rex Jacobus primus, liber de captivitate effectus, convento tamen priùs de redemptione ad ſolvendum centum millia pro coſtagiis, intravit terram Scotiæ, ducens ſecum Johannam ſponſam ſuam, filiam nobilis principis D. Johannis Beauford markiſii de Dorſet, comitis de Somerſet, filii domini Johannis Gaunt ducis Lancaſtriæ. Cujus mater erat domina Catherina, filia domini Thomæ de Hollandia comitis de Kent, fratris domini regis Richardi II. quem à regno et regimine pepulit Henricus IV. rex Angliæ. De c. millibus mercarum præmiſſis pro dotalitio remittitur regi medietas, i. e. L. millia: pro cujus ſummæ ſolutionis ſecuritate miſſi ſunt obſides, comites et barones, necnon et filii et penè heredes omnium procerum Scotiæ: quorum in Anglia multi obierunt; multi, adhuc viventes, nunquam, ut creditur, reverſuri, ſicut infrà dicetur. Et eodem anno ſive ſequenti, ſciz. Domini MCCCCXXIV. viceſimo primo die Maii, ipſe rex cum regina apud Sconam coronantur, officium exſequente reverendo in Chriſto patre domino Henrico de Wardlaw epiſcopo Sancti Andreæ, aſtantibus quaſi omnibus epiſcopis, prælatis, et proceribus regni: ubi dux Albaniæ, comes de Fife, dominus Murdacus Stewart, ex privilegio ſibi competenti, regem in ſede collocavit regali.*

Hoc

Hoc in tempore celebratum eſt concilium Senenſe, quod inchoatum fuit in Papia, anno ſcilicet quinto poſt concilium Conſtantienſe. In quo, pro exſtirpatione hæreſium et ſchiſmatum, proque eccleſiæ in capite et in membris exceſſuum reformatione, et pace inter regna et principes Chriſtianos habenda, ſtatutum eſt, et per concilium Baſilienſe innovatum ſeu confirmatum, quòd primum concilium à fine hujus Conſtantienſis concilii in quinquennium immediatè ſequens celebretur; ſecundum verò, à fine illius immediatè ſequentis concilii, in ſeptennium, et deinceps de decennio in decennium perpetuò celebrentur, in locis quæ ſummus pontifex per menſem ante finem cujuſlibet concilii, approbante et conſentiente concilio, vel, in ejus defectu, concilium deputare et aſſignare teneatur; ut ſic, per quandam continuationem, ſemper aut concilium vigeat, aut per anni pendentiam exſpectetur: quem terminum liceat ſummo pontifici, de fratrum ſuorum ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalium conſilio, obmergentibus fortè cauſis, abbreviare, ſed nullatenus prorogetur, ut patet per conſtitutionem quæ frequens ibi nominatur. In iſto concilio Conſtantienſi finem ſortitum eſt doloroſum ſchiſma, quod continuavit per octoginta annos, ut patet ſuprà lib. xv. cap. xxiv. Quæ et quanta damna temporibus ſuis efficiunt hujuſmodi maledicta ſchiſmata, non ſolùm humanis corporibus, ſed et animabus, non eſt noſtræ facultatis evolvere. Et ideo breviter omnia ſchiſmata, quæ ex diverſis chronicis, ex collectis præcipuè magiſtri Andreæ Civitatenſis epiſcopi, recolligere potui, pro majore parte illorum qui de Papatu contendebant, præſentibus inſerere dignum duxi.

CAP. III.

De diverſis ſchiſmatibus inter contendentes pro papatu.

PRimum ſchiſma ortum eſt anno Domini CCCXLIX. tempore Conſtantini et Conſtantis, (filiorum Magni Conſtantini) et Felicis ſecundi Papæ. Ejus antipapa fuit Liberius Arrianus, qui tamen primò fuerat catholicus, ſed, poſt mortem Felicis, ultione divinâ, crepuit medius, et diffuſa ſunt viſcera ejus. Duravit id ſchiſma ſex annis. Secundum ſchiſma fuit A. Domini CCCLXX. tempore Juliani apoſtatæ et Damaſi Papæ, cujus antipapa fuit Urſinus, ſed concilio rejectus. Iſtud ſchiſma duravit menſibus ſex. Tertium ſchiſma anno Domini CCCCXL. tempore Honorii et Arcadii, et Bonifacii Papæ, cujus antipapa Eulalius per Honorium violenter dejectus eſt. Et duravit ſchiſma duobus annis. Quartum anno Domini CCCCXCIII. tempore Theodorici regis † Gothorum. Cujus antipapa fuit Laurentius, Ravennæ cum confuſione ejectus. Et duravit annis quatuor. Quintum anno Dom. CCCCXCIV. tempore Bonifacii ſecundi: cujus antipapa fuit Dioſcorus, qui ſubitò moritur; et duravit tantum menſibus quatuor. Sextum anno Domini CCCCXLIV. tempore Silverii primi: cujus antipapa

* *Addit MS. Cupr.* In craſtino coronationis ſuæ rex apud Perth incœpit parliamentum ſuum, ubi pro republica diverſa ſtatuta actitata ſunt. † Addend. forſitan *et Symmachi.* Notandum vero, in re chronologica graviter lapſum eſſe collectorem. Quemadmodum et mire erravit in aliis ad hæc ſchiſmata pertinentibus. H. ARNIUS.

fuit

fuit Virgilius; et duravit per octo menſes; ſed, mortuo Silverio, Virgilius eligitur, et ſtetit Papa XVII. annis. Septimum anno Domini CCCCXCI. tempore Juſtiniani II. et Zenonis: cujus antipapæ fuerunt Petrus et Theodarius; quibus caſſatis, ſtetit Zeno Papa annis ferme tribus; et duravit ſchiſma menſibus tribus. Octavum ſchiſma anno Domini DCCXXIV. habuit Gregorius ſecundus: cujus antipapæ fuerunt Theodorus et Paſcalis; et duravit menſibus quinque. Nonum anno Domini DCCLXIX. habuit Stephanus ſecundus: cujus antipapæ Conſtantinus et Philippus, ſed ejecti ſunt per clerum et populum Romanum; et duravit annis duobus. Decimum ſchiſma A. D. DCCCXXVI. habuit Eugenius ſecundus: cujus antipapæ nomen ignoratur, ejectus per Lotharium imperatorem; et duravit menſibus quatuor. Undecimum ſchiſma anno Domini DCCCCX. tempore Arnulphi imperatoris, habuit Formoſus primus; qui tamen fuit degradatus per Johannem IX. Papam, et vi tenuit Papatum. Poſt quem ſuccedunt octo Papæ, qui parvo tempore durant. Quorum aliqui approbaverunt Formoſi geſta, alii in concilio LXXIV. epiſcoporum condemnaverunt. Sedatum fuit per Sergium Papam; duravit annis quinque et menſibus ſex. Duodecimum anno Domini DCCCCXXIII. tempore Conradi imperatoris, habuit Leo quintus, et manſit publicè XL. diebus, quem Chriſtophorus captivavit, et antipapa effectus eſt, et poſt mortem Leonis ſtetit ſic Chriſtophorus menſibus ſeptem; ſed, auxilio Lotharii regis Franciæ, Sergius ſecundus eligitur; et, capto Chriſtophoro et in monaſterio detento, omnia facta Formoſi approbavit. Duravit ſchiſma menſibus octo. Decimum tertium ſchiſma anno Domini DCCCCLIV. tempore Othonis primi, periculoſiſſimum exſtitit. Nam, collecto à tota Italia epiſcoporum concilio, Johannes decimus Papa de nefariis cauſis infamatur. Qui tertiò evocatus, dum ſe excuſatum venire cunctatur, poſt multa tandem, eo à cunctis præjudicato, Leo ſextus, adhuc laicus, electione omnium et conſenſu imperatoris Papa ſubſtituitur. Sic Leo, præſidens Apoſtolicæ ſedi, fecit ordinationes, et ea quæ erant Apoſtolica. Nec longum Romani, alteratâ fide, apud imperatorem Papam receperunt Johannem. Ille, ſynodo collectâ, Leonem depoſuit, et ejus geſta caſſavit.

CAP. IV.

Adhuc de eiſdem ſchiſmatibus.

STatutum quoque eſt publico omnium judicio, ſynodum à Leone habitam nec nominandam ſynodum, ſed proſtibulum favens adulteris. Quicunque ergo eo ordinante erant damnati, juſſi ſunt ſuam ipſorum proſcriptionem præſentare in carta, hæc continente verba; "Pater meus nil ſibi habuit, nil mihi dedit:" et ſic depoſiti remanſerunt in illis gradibus, ſi quos habuerant, non à Leone ordinati. Si qui autem digni judicantur, non acceptâ priùs conſecratione ordinantur; indicto illis eodem ſecreto, quod et damnatis à Conſtantino Neophyto. Romani igitur, à Papa Johanne pecuniâ illecti, imperatorem, cum paucis Romæ morantem, ſubitò aggreſſi, ita ab exercitu imperatoris ſunt attriti, ut, niſi ab imperatore et à Papa Leone milites imperatoris

à cæde

à cæde revocarentur, uſque ad internecionem Romani delerentur. Quibus per Leonem imperatori reconciliatis, poſt abſceſſum imperatoris, Leo Papa, inſidias ſibi parari ſentiens, ad imperatorem fugit. Johannes Expapa, ſe cum uxore cujuſdam oblectans, à Diabolo in tempore percutitur, ac ſine viatico Dominico moritur. Romani verò, contra juramentum, quod imperatori fecerant, ſe nunquam electuros Papam ſine ejus et filii ejus Othonis conſenſu, Benedictum quintum ſibi Papam ſtatuerunt. Imperator autem, Româ obſeſſâ, Romanos cæde et fame adeo afflixit, ut Leonem Papam ſe recepturos promitterent. Sic Benedictus ejectus, non ſolùm Papatu, ſed etiam ſacerdotio, à Leone exordinatur. Hoc ſchiſma annis novem duravit. Decimum quartum ſchiſma anno Domini milleſimo, tempore Othonis tertii imperatoris, Gregorius quintus habuit; quia imperator prædictus, caſtro Sancti Angeli obſeſſo, quendam Johannem, epiſcopum Placentinum, quem Creſcentius ſenator Romæ, qui antipapam præfecerat, exoculatum omnibus mulctavit, et Gregorium in Papatum repoſuit. Hoc ſchiſma duobus annis duravit. Decimum quintum ſchiſma anno Domini MXII. tempore imperatoris Henrici I. Benedictus VIII. electus in Papam habuit contra Gregorium antipapam. Sed Benedictus per clerum et populum reſtituitur; et antipapa per Romanum populum ejicitur. Duravit autem ſchiſma fere per annum. Decimum ſextum ſchiſma anno Domini MXLVII. tempore Henrici ſecundi, habuit Benedictus nonus, qui poſtquam ſtetit novem annis è Papatu ejicitur; et quidam Cardinalis, dictus Sylveſter, in Papam erigitur. Et poſt XXV. dies, Sylveſtro de Papatu ejecto, Benedictus reponitur; qui, poſt dimidium menſem, Papatum vendidit cuidam archipreſbytero Romano, qui dictus eſt Gregorius ſextus. Qui mox timore divino correptus Pontificem ſubſtituit, et ipſe ſolus ſpiritualibus intendebat. Contra quos clerus et populus tertium in Papam elegerunt, qui vires amborum gereret. Contra quos imperator recipit juramentum à Romanis, quòd nunquam eligeretur aliquis Papa ſine conſenſu imperatoris. Et, convocatâ per ipſum ſynodo, illi tres perpetuò relegantur; et electus eſt in Papam epiſcopus Bambergenſis, vocatuſque eſt Clemens ſecundus. Duravit hoc ſchiſma duobus annis et menſibus quinque. Decimum ſeptimum ſchiſma A. Dom. MLVI. tempore Henrici tertii, Nicolaus ſecundus habuit, qui fecit ſtatutum Papæ fiendi et eligendi per Cardinales. Cujus antipapa Benedictus tandem, ſe ſentiens malè intrâſſe, renunciavit Papatui, et humiliter ſe ſubdidit obedientiæ Papæ Nicolai. Et duravit duobus annis.

CAP. V.

De eiſdem ſchiſmatibus.

DEcimum octavum ſchiſma anno Domini MLXVI. tempore Henrici tertii, habuit Alexander ſecundus, electus ſecundùm ordinationem Nicolai. Cujus antipapa fuit Cadulus Parmicenſis, electus per clerum Lombardiæ, auxilio imperatoris: qui antipapa, cum ſuis fautoribus Romanis et imperatore, poſt annos XII. quibus duraverat ſchiſma, converſi ſunt ad obedientiam Papæ. Decimum nonum ſchiſma anno

Domini MLXXX. habuit Gregorius ſeptimus. Cujus antipapa fuit Wibertus Ravennenſis epiſcopus, qui malâ morte moritur. Quod ſchiſma duravit, inter G. et Henricum quartum imperatorem et Wibertum, octo annis; et circa alios antipapas annis XXV. De quibus vide ſuprà, libro quinto, cap. xviij. et xix. Viceſimum ſchiſma anno Domini MXCIV. habuit primò Gelaſius, poſt et Calixtus ſecundus. Quorum antipapa Burdanus Hiſpanus, Gregorius vocatus, Romæ intruſus de mandato Henrici quinti imperatoris. Unde Papa, congregato exercitu, antipapam Ferraris obſeſſit et captivavit, et ipſum ſuper aſinum, verſâ facie ad caudam, Romæ miſit, et horrendâ morte interiit. Duravit ſchiſma quatuor annis. Viceſimum primum anno Domini MCXXX. tempore Lotharii imperatoris, habuit Innocentius ſecundus. Cujus antipapa fuit Petrus Leonis, per potentiam Romanorum intruſus. Et duravit octo annis. Hoc ſchiſma per Beatum Bernardum ſopitum eſt. Viceſimum ſecundum anno Domini MCLIX. tempore Frederici primi, habuit Alexander tertius. Cujus antipapæ fuerunt quatuor; quos omnes defendebat dictus Henricus imperator: qui omnes malâ morte vitam finierunt. Duravit hoc ſchiſma annis XVIII. Viceſimum tertium ſchiſma anno Domini MCCCXXIV. habuit Johannes XXII. Cujus antipapa fuit quidam frater minor de Corbaria, dictus frater Petrus, qui per Piſanos præſentatus Papæ Avinione, in carcere moritur, errorem ſuum recognoſcens. Viceſimum quartum ſchiſma anno Domini MCCCLXXVIII. vel quaſi incepit, nullum habens Papam vel antipapam certum vel determinatum, quod ad univerſalem eccleſiam, propter magnas obedientias, quas quælibet pars habuit, quia aliquando in duas, aliquando in tres, ſe gerentes pro Papis, eccleſia diviſa fuit. Nam in urbe Romana fuerunt ſex gerentes ſe pro Papis, ſciz. Urbanus ſextus, Bonifacius nonus, Innocentius ſeptimus, Alexander quintus, Johannes XXIII. et Gregorius XII. Sed in Avinione fuerunt niſi tantùm duo gerentes ſe pro Papis, ſcilicet Clemens ſeptimus, et Benedictus XIII. Quibus regna Arragoniæ, Navarriæ, Hiſpaniæ, Franciæ, Scotiæ, Caſtelli, comitatus Armoniaci, Fuxi, et aliorum quamplurium firmiter adhæſerunt. Finitum eſt hoc ſchiſma per ſacroſanctum concilium Conſtantienſe per ejectionem Balthazar de Coxa, qui et Johannes XXIII. et Petri de Luna, qui et Benedictus XIII. apud ſuos nuncupatur, et per renunciationem Angeli Corarii, qui Gregorius XII. gerentium ſe pro Papis. Iſtud ſchiſma duravit, per iſtos octo contendentes, uſque ad Martinum quintum, qui priùs dicebatur Guido de Columna, quaſi LXXX. annis. Hoc etenim ſchiſma ſic oritur: mortuo Gregorio XI. unico, Cardinales, qui tunc in curia remanſerant, ſeptemdecim, intrantes conclave, proceſſerunt ad electionem. Interea factus eſt in populo Romano tumultus magnus et furor horribilis, dicentes, Volumus Romanum aut Italicum; aliàs comminati ſunt electores periri. Propter quod Cardinales ultramontani, ad vitandum mortis periculum, pro impreſſione, nominaverunt Bartholomæum, Barenſem archiepiſcopum, quem Urbanum vocaverunt. Poſt hæc Cardinales duodecim ultramontani paulatim de Roma receſſerunt, et in civitate Fundana elegerunt Robertum Gebenenſem, vocantes eum Clementem. Cujus electionem notificaverunt regibus, &c. aſſerentes, Urbanum non habere jus in Papatu, ſed per metum et impreſſionem eſſe intruſum.

CAP.

CAP. VI.

Adhuc de eiſdem.

HIC Martinus ſtetit Papa tredecim annis, bene regens eccleſiam, et malefactores ac ſicarios circa Romam et itinera Romana ſagaciter compeſcuit, et ſtetit primò Florentiæ per aliquot annos, deinde Romæ pacificè. Viceſimum quintum ſchiſma nunc ſupereſt, An. ſciz. Dom. MCCCCXLIII. Et incepit A. D. MCCCCXXXVIII. inter D. Eugenium quartum, ſucceſſorem domini Martini V. ſuo more depoſitum per concilium Baſilienſe, et Felicem quintum electum per ipſum concilium, ſicut poſtea in loco ſuo pleniùs edocebitur. Per quos in eccleſia Dei maxima ſcandala, et in diverſis regnis, maximè in Scotia, augeſcunt diſſidia, dum alter ab altero diſſidet, dum regnum et ſacerdotium diſſentit, dum alter alterum excommunicat, alter alterius excommunicationem, aut ex cauſa aut ex tempore, præjudicio contemnit. Dum alter in alterum excommunicandi auctoritate, magis fortè ex ſuo libito quâm ex juſtitiæ reſpectu, potitur, auctoritas illius, qui dedit poteſtatem ligandi atque ſolvendi, omninò deſpicitur. Initium ſumpſit ſchiſmatis, quòd dictus Papa Eugenius, primo anno Pontificatûs ſui, ſciz. A. D. MCCCCXXXI, cùm approbâſſet concilium Baſilienſe, demum revocavit commiſſionem, factam Juliano Sancti Angeli diacono Cardinali legato, de præſidendo in concilio Baſilienſi, et quòd diſſolveret concilium, et ut indiceret aliud pro tempore decennii fiendum Bononiæ; et hoc, ut prætendebat, pro reductione Græcorum, qui dicebant, ſe nolle, propter viarum diſtantiam, adire Baſileam; et conſequenter miſit bullam revocationis concilii Baſilienſis, in qua cautum fuit, quòd aliud concilium in anno cum dimidio, à die datæ illius bullæ computando, in Bononia fieri declaravit. Et ad hujuſmodi diſſolutionem fiendam ſcripſit Sigiſmundo Romanorum, Hungariæ et Bohemiæ regi, exhortans eum ad incitandum per literas et oratores ſuos Johannem, Græcorum ſive Romanorum imperatorem, et Joſeph Patriarcham Conſtantinopolitanam, ut, juxta eorum promiſſum, tranſmitterent oratores ſuos cum plena poteſtate ad ipſum concilium Bononienſe. Cui reſcripſit Sigiſmundus, diſſuadens diſſolutionem, propter periculum hæreſeôs Pragenſis ſive Boëmorum, tunc virulenter vigentis, et ad concilium Baſilienſe venire promittentis. In qua materia, pro reductione ipſorum, fortiter inſtabat concilium Baſilienſe. Et propter hæc ſcripſit imperator Sigiſmundus Papæ bona aviſamenta. Cui reſcripſit Papa reſponſa ſuper factis concilii negativa. Concilium ſuper hoc aviſatum fecit hujuſmodi declarationes, ex decretis ſynodi Conſtantienſis, in ſecunda ſeſſione concilii Baſilienſis. Et primò declaravit, quòd ipſa ſynodus, in Spiritu Sancto congregata, generale concilium faciens, et eccleſiam militantem repræſentans, poteſtatem à Chriſto immediatè habet: cui quilibet, cujuſcunque ſtatûs vel dignitatis, etiam ſi Papalis exiſtat, obedire tenetur in his quæ pertinent ad fidem et exſtirpationem ſchiſmatis, et ad generalem reformationem eccleſiæ Dei, in capite, et in membris.

CAP. VII.

Item de eodem.

ITEM declaravit, quòd quicunque, cujuſcunque dignitatis vel ſtatûs, etiam ſi Papalis exiſtat, qui mandatis, ſtatutis ſeu ordinationibus aut præceptis illius ſacræ ſynodi, et cujuſcunque alterius ſynodi generalis, legitimè congregatæ, ſuper præmiſſis, ſeu ad ea pertinentibus, factis, vel fiendis, obedire contumaciter contempſerit, niſi reſipuerit, condignæ pœnitentiæ ſubjici, et debitè puniri teneretur. Et ſic concluſit, quòd nec per Papam, vel quemcunque alium, poſſet diſſolvi, aut ad alium locum transferri, ſeu ad aliud tempus prorogari debuit, aut potuit, aut in futurum poterit, abſque ſynodi deliberatione et conſenſu. Poſt hujuſmodi declarationes, adhuc inſtetit imperator, ut Papa non diſſolveret tam ſanctum concilium, ut dicebat. Et Papa ſibi reſcripſit, ſuggerendo de non diſſolvendo, ſed potius de continuando ſive commutando ad Bononiam. Sed quia Papa, ut videbatur, fuit multùm voluntarius in facto ſuo, concilium fecit tertiam ſeſſionem, in qua decrevit, Papæ fore ſcribendum pro revocatione ſuæ, ut dicebat, prætenſæ diſſolutionis concilii. Quod et factum eſt, præfigendo ſibi terminum, ut hoc faceret intra trium menſium ſpatium, peremptoriè citando tam Papam quàm Cardinales, ut veniant ad concilium. Et quia non comparuerunt, in quarta ſeſſione fecit concilium revocationes juramentorum, factorum Papæ per concilium, et de non creandis novis per Papam Cardinalibus. Dehinc accuſabant Papæ contumaciam, ſciz. A. Dom. MCCCCXXXII. Et poſt debitam, ut volunt, admonitionem, proceſſum eſt ad ſuſpenſionem ejus. Adjectis debitis intervallis, mandatur omnibus Curteſanis, in curia Eugenii exiſtentibus, ſub pœna privationis, ut recedant de curia; propter quod Papa revocavit commutationem ſeu diſſolutionem à Baſilea ad Bononiam, revocationemque trium literarum, in palatio Apoſtolico promulgatarum in derogationem concilii Baſilienſis, fecit, ipſaſque adnullans, caſſas et irritas fuiſſe et eſſe declaravit: et unam denuo literam de nova adhæſione publicavit in XIV. ſeſſione, in præſentia imperatoris, anno Domini MCCCCXXXIII. Poſt hæc delatus eſt Papa concilio ſuper diverſis, et citatus ad comparendum, ac de contumacia accuſatus, et pro contumace declaratus in ſeſſione XXVIII. anno Dom. MCCCCXXXVII. In ſeſſione XXXI. iterum ſuſpenditur. Et in ſeſſione XXXIII. declaravit concilium Baſilienſe diſſolutionem ejus, et tranſlationem in civitatem Ferrarienſem minimè valere, revocans hujuſmodi diſſolutionem et tranſlationem, &c. anno ſciz. Dom. MCCCCXXXVIII. Papa tamen eodem anno celebravit concilium Ferrarienſe, oſtenſâ inibi literâ et ſigillo concilii Baſilienſis de conſenſu ejuſdem, ut apparuit. Quam quidem literam et ſigillum dixit concilium fuiſſe ſurreptitia. Propter quod cuſtodes ſigilli carceribus ſunt puniti. Ubi decretum concilii lectum fuit per dominum Antonium epiſcopum Portugalenſem, ſermone Latino, deinde per dominum Dorotheum archiepiſcopum Mitilenenſem, ſermone Græco. Ibi, ex parte Orientalium, affuit perſonaliter imperator Romanorum, cum deſpoto germano ſuo, procuratores etiam Patriarcharum Conſtantinopolitani, Alexandrini, Antiochi-

ni

ni et Hieroſolymitani, xx. archiepiſcopi, octo abbates, et tres cruciferi, qui dicuntur Cardinales eccleſiæ Conſtantinopolis, oratoreſque principum, imperatoris Trapeſundarum, et regis Hiberorum, duoque archiepiſcopi Armeni. Fuerunt etiam dominus Papa cum mitra gemmata, et decem Cardinales Latini, et tres Græci, et tres Patriarchæ, duo viz. Latini, et unus Armeniæ; XXXII. archiepiſcopi, XII. ſcilicet Latini et XX. Græci, et LXII. epiſcopi Latini; XXXIX. abbates, viz. XXXI. Latini et octo Græci, et omnes mitrati. Summa prælatorum mitratorum CXLVII.

Ab iſto Eugenio coronatur Sigiſmundus Romæ A. D. MCCCCXXXII. Et anno ſequenti Romani in eum conſpiraverunt, et arctaverunt cuſtodiæ, à qua, in habitu fratrum minorum, fugiens, vix cum paucis evaſit, et galeâ evectus Florentiam venit feliciter.

CAP. VIII.

De duce Sabaudiæ electo in ſummum pontificem.

IN XXXV. ſeſſione Baſilienſi, anno Domini MCCCCXXXIX. vij. Kal. Julii, concilium Baſilienſe ſententiam depoſitionis in Eugenium Papam fulminavit, nominans eum Gabrielem, declarans ac pronuncians eundem eſſe et fuiſſe notorium et manifeſtum contumacem, mandatis ſeu præceptis eccleſiæ univerſalis inobedientem, et in aperta rebellione perſiſtentem, violatorem aſſiduum atque contemptorem ſacrorum canonum ſynodalium, pacis et unitatis eccleſiæ perturbatorem notorium, univerſalis eccleſiæ ſcandalizatorem notorium, Simoniacum perjurum, incorrigibilem ſchiſmaticum, à fide devium, pertinacem hæreticum, dilapidatorem jurium et bonorum eccleſiæ, inutilem et damnoſum ad adminiſtrationem Romani pontificii, &c. Dehinc proceſſit concilium, et elegit Amadeum ducem Sabaudiæ, quem vocavit Felicem quintum. Et adhuc quaſi ſub judice lis eſt. Propter quod eccleſia Dei ſcandalis ſupponitur, et nimium à laicis infamatur. Unde quidam;

Papa ſolet dici ſtupor orbis, cauſa timendi;
Sed quia mirificè duo ſunt, magis ergo ſtupendi.
Binos phœnices non legimus orbe videri:
Summi pontifices duo ſunt nunc, ſcandala cleri.

Poſt hæc, viz. anno Domini MCCCCXLVII. mortuo Papâ Eugenio, in Papam eligitur epiſcopus Bononienſis, Thomas nomine, et vocatus eſt Nicolaus quintus.

CAP. IX.

De arreſtatione Walteri Stewart, et de Taxa.

ANNO Domini milleſimo quadringenteſimo viceſimo quarto, decimo tertio die menſis Maii, in caſtro de Edinburgh arreſtati ſunt, de mandato regis, Walterus Stewart primogenitus D. Murdaci ducis Albaniæ et comitis de Fife, Malcolmus Fleming de Cumirnald, et Thomas Boyd de Kilmarno filius; Walterus apud inſulam de le Bas deputatus eſt arctæ cuſtodiæ, Malcolmus apud Dalketh ad tempus

ſtetit, dehinc caſtro Sancti Andreæ deputatur, Boyd libertati donatur. Et incontinenti poſt eorum captionem, xxj. die menſis Maii, rex coronatur, ut ſuprà, apud Sconam: et ſexto die ſuæ coronationis tenuit parliamentum ſuum apud Perth, ubi multa propoſuit pro regni republica profutura. Sed et quia nuper de manibus Anglorum liberatus, modicum eidem de regalibus redditibus, terris aut poſſeſſionibus, præter cuſtumas, wardas et relevias, ad ſtatum ſuum ſuſtinendum remanſerat; de conſenſu ſtatuum pro financia ſuæ liberationis ad taxandum regnum, duodecim ſciz. denarios de libra omnium bonorum, firmarum terrarum et annuorum reddituum, ac etiam granorum et beſtialium, tam ſpiritualium quàm temporalium virorum, pro duobus continuis annis, levari ſtatuit, de conſenſu ſtatuum, et mandavit. Auditores et receptores hujuſmodi financiæ electi ſunt et ſtabiliti, reverendus in Chriſto pater dominus Willelmus epiſcopus Dumblanenſis, et Walterus abbas Sancti Columbæ de inſula Æmonia: qui primo anno receperunt et deliberaverunt regi fere quatuordecim millia marcarum, ſed ſecundo anno incredibiliter minus receperunt. Unde plebeii cauſabant ſe per tales taxas depauperari. Propter quod rex abſtinuit ſe ab hujuſmodi impoſitionibus uſque annum Domini MCCCCXXXIII. Quo in anno, propter ardua contingentia et expenſas faciendas penes ambaſſatam mittendam regi Franciæ, pro matrimonio contrahendo cum filia ſua primogenita et primogenito regis Franciæ Delphino, fecit impoſitionem duorum denariorum libræ univerſaliter per regnum fiendam. Quâ per auditores, abbatem ſciz. Sancti Columbæ præmiſſum, et magiſtrum Johannem Schewes officialem Sancti Andreæ, receptâ, populus contra regem cœpit murmurare, dicens, ſe per hujuſmodi geldas in bonis quam multipliciter deteriorari. Quod audiens rex, confeſtim auditoribus juſſit omnia recepta collectoribus reddi, et per eoſdem unicuique, quod ſuum erat, redonari. Eodem anno, ſciz. Domini MCCCCXXIV. arreſtavit rex Duncanum comitem de Levinax, et in caſtro de Edinburgh cuſtodiæ deputavit. Conſimiliter Robertum de Graham, et ipſum apud caſtrum de Dunbar incarceravit. Eodem anno, die combuſta eſt villa regia de Linlithqu, navis etiam eccleſiæ ejuſdem, et palatium regis, de nocte.

CAP. X.

De arreſtatione et decollatione ducis Albaniæ Murdaci Stewart.

EOdem anno, xiij. die Martii, tenuit rex apud Perth ſecundum ſuum parliamentum, et in die nono ejuſdem arreſtari fecit dominum Murdacum ducem Albaniæ comitem de Fife et Menteth, ac etiam dominum Alexandrum Stewart filium juniorem ejuſdem, (quem die coronationis ſuæ præcinxit in militem) cum viginti ſex aliis, videlicet, Archibaldum tertium comitem de Douglas, et Willelmum Douglas comitem de Angus, Georgium de Dunbar comitem de March, Alexandrum Lindeſay, Adam Hepburn de Haliz, Thomam Hay de Zeſter, Walterum et Walterum de Haliburton et de Ogilby, David Stewart de Roſſyth, Alexandrum de Seton de Gordon, Patricium Ogilby

gilby de Ochtirhous, Johannem Red Stewart de Dundonald, David Murrave de Gask, Johannem Stewart de Cardine, Willelmum Hay de Erol constabularium Scotiæ, Johannem Scrimgeour constabularium de Dundé, Alexandrum de Irvyne de Drum, Herbertum Maxwel de Carlaverok, Herbertum Herrice de Terreglez, Andream Gray de Fowlis, Robertum Conyngham de Kilmauris, Alexandrum Ramsay de Dalwoulsy, Willelmum Crechtoun ejusdem.

Quo etiam die arrestavit dominum Johannem de Montegomorri ejusdem, et Alanum de Ottirburn secretarium ducis, et incontinentè misit et accepit castra de Faukland et Down in Menteth, de quo extrahi fecit Isabellam duciſſam, filiam dicti comitis de Levinax; et hos omnes deputavit custodiæ castri Sancti Andreæ. Paulo post domino Johanne de Montegomorri et Alano de Ottirburn libertati donatis, translatus est dux ad castrum de Carlaverok, et duciſſa ad Tamptallon. Et anno sequenti, in festo videlicet inventionis sanctæ crucis, Jacobus Stewart,* qui solus de filiis ducis inarrestatus, manus regis evasit, vir ad temeritatem expeditus, burgum de Dunbretan, propterea manu armatâ custoditum, violenter combussit; ubi dominum Johannem Red Stewart de Dundonald, aliàs de Burley, patruum regis, et secum triginta duo viros interfecit. Propter quod rex nimium commotus fecit utrobique dictum Jacobum, tanquam regis felonem persequi fugientem. Tandem necessitate compulsus, fugæ consuluit, et ad Hiberniam pro præsidio, unà cum domino Finlayo episcopo Lismorensi, sive Ergadiensi, fratre ordinis Prædicatorum, cum aliis suis complicibus evolavit, ubi paulo post mortuus est episcopus; sed et dictus Jacobus postea ad Scotiam nequaquam est reversus. Quinto die post inventionem crucis præsentati sunt regi quinque de sequacibus dicti Jacobi, et apud Strivelyn equis tracti et patibulis sunt suspensi.

Eodem anno, decimo octavo die mensis Maii, rex continuavit parliamentum suum apud Strivelyn: in quo, vicesimo quarto die mensis ejusdem, rege præ tribunali sedente, et insignia regalia deferente, accusatus est Walterus Stewart heres Albaniæ, et convictus, et ante castrum decollatus.† Similiter et in crastino, pater ejus dux, et frater ejusdem dominus Alexander,‡ ac ejusdem avus comes de Levinax, condemnati sunt sententiâ capitali: quorum vicissim una et eadem assisa fuerunt, Walterus Stewart de Athole patruus regis, Archibaldus tertius hoc nomine de Douglas, Alexander Stewart de Mar, Willelmus Douglas de Angus, Willelmus de Sancto-claro de Orkenay, Alexander insularum de Ross, et Georgius de Dunbar Marchiæ comites, Jacobus Douglas de Balvany†, et Robertus Stewart de Lorn domini, Johannes de Montegomorri ejusdem, Gilbertus de Hay de Erol constabularius Scotiæ, Thomas Somervile ejusdem, Herbertus Herrice de Terreglez, Jacobus de Douglas de Dalketh, Robertus Conyngham de Kylmauris,

*Qui Grossus dicebatur, *addit MS. Cupr.* †Homo procerrimæ staturæ, amantissimæ personæ, sagacissimæ eloquentiæ, omnibus placentissimus, dilectus universis; et tandem per assisam de roborea convictus, ante castrum decollatus est. Cujus mortem deplorant non solum qui eum noverant, sed etiam ob prædicabilem ipsius famam qui eum nunquam viderant, *Ibidem.* ‡Non inferioris proceritatis et condecentiæ, homines giganteæ staturæ, necnon eorundem Walteri et Alexandri, ex parte matris avus, comes de Levinax, homo octogenarius capitali sententia co demnati sunt, *Ibid.* †Abircorn *pro* Balvanay, *Ib.*

Alexander

Alexander Levynſton de Kalendar, Thomas Hay de Lochchorwart, Willelmus Borthuik ejuſdem, Patricius Ogilby vicecomes de Angus, Johannes Forreſter de Corſtorphin, et Walterus Ogilby de Lunchrethin, milites. Quo etiam die equis tracti ſunt ac ſuſpenſi quinque de ſatellitibus dicti Jacobi Stewart: ubi etiam tunc rex recognovit regiæ ſuæ coronæ le Torwode et Novum-parcum.

CAP. XI.

De legatione, hinc inde inter reges Franciæ et Scotiæ miſſa pro filia regis Scotiæ.

IMmediatè poſt parliamentum miſit rex dominos de Montegomorri, de Elioniſton, et Kilmauris, ac Umphredum de Conyngham, milites, ad oppugnandum municipium de Lochlomond, ex parte dicti Jacobi Stewart * cuſtoditum, quod redditum eſt eiſdem nomine regis eodem anno, octavo die menſis Junii. Anno præcedenti nata eſt Margarita primogenita regis, delphiniſſa poſtea Franciæ. Eodem anno in Francia bellum de Vernolæ Perſiæ, de quo ſuprà, lib. xv. cap. xxxv.

Anno Domini milleſimo quadringenteſimo viceſimo quinto, poſt bellum de Vernolæ, venit dominus Johannes Stewart de Dernlé conſtabularius Scotorum in Francia, comes Heboricarum, id eſt Evereys, dominus de Concurſald et Albaniæ, archiepiſcopo Rhemenſi concomitatus, in ſpectabili comitiva, ad renovandas ligas, confœderationes et antiquas amicitias inter regna Franciæ et Scotorum à tempore Caroli Magni † continuatas; ac etiam ad petendum dominam Margaritam, regis dictam primogenitam, nobiliſſimo principi Ludovico, regis Franciæ heredi ac Viennenſi duci, matrimonio copulandam: quod ad maximum decus Scotiæ cedit, ſi circumſtantia materiæ debitè penſaretur; tum primò cùm ad virum ſpectet petere mulierem, hic non qualiſcunque vir, ſed Chriſtianiſſimi regis primogenitus, qui ad hoc, ut creditur, et ſcriptum eſt, natus eſt homo princeps fratrum, firmamentum gentis et populi ſtabilimentum: de quo dicta domina, quamquam infans et juvencula, admirando dicere poteſt, "Unde hoc mihi, ut veniat "regnum Franciæ ad me." Tum ſecundò, cùm tam reverendus paranymphus archipreſul et dux Rhemenſis, ducum protopar, et tam in temporalibus quàm ſpiritualibus primus, et primas in univerſo ſub rege regno Franciæ, digniſſimus tanti matrimonii intermedius et nuncius. Huic tam præclaræ ambaſſatæ rex placidè annuens, ‡ miſit continuò ipſi regi Franciæ in ſolemni legatione venerabiles viros dominos Henricum Lychton epiſcopum Abirdonenſem, Eadwardum Lawedre archidiaconum Laudoniæ, et Patricium Ogilby militem, vicecomitem Anguſiæ et † juſtitiarium Scotiæ, cum certis inſtructione et commiſſione. Unde ſic hinc inde actum eſt, quòd poſt quinque annos, quando uterque exſtitit nubilis, venerunt miſſi à rege Franciæ *le here maitre d'otel* regis, unà cum famoſo clerico magiſtro Aymericio, et nomine

* Bennii ad cornu regis, *addit MS. Cayr.* † Jam per octingentos annos et plus continuatas, *ibid.* ‡ Confœderationem innovavit, et continuo miſit, &c. *ibid.* † Magnum juſticiarium Scotiæ, *ibid.*

procuratorio

procuratorio affidaverunt prædictam regis noſtri primogenitam; quam paulo poſt, ſciz. An. Dom. MCCCCXXXV. miſit rex pater ad Franciam, venerabili turmâ conſtipatam, et ſequenti anno deſponſatur.

CAP. XII.

De deſponſatione primogenitæ regis Scotiæ cum Delphino Franciæ.

PRæfuerunt etenim claſſi dominus Johannes Crennach Brechinenſis epiſcopus, et dominus Willelmus de Sancto-claro comes Orchadiæ* navigii admirallus. Cum quibus erant valentes milites et armigeri inſignes DD. Walterus Ogilby regis theſaurarius, Herbertus de Herris, Johannes Maxwell de Caldorwood, Johannes Campbell de Loudon, Thomas Colvile et Johannes Wiſcharde milites, magiſtri Johannes Stewart præpoſitus de Methfen, et Mauritius de Buchanan theſaurarius Delphiniſſæ, clerici; Alexander de Seton, magiſter de Gordon†, dominus de Graham, Henricus Wardlaw de Torry, Willelmus Cairleil, Andreas Gray de Foulis, David Kenedi et David Ogilby: cum quibus centum et quadraginta generoſi domicelli et electi, in decenti et parili apparitura compti et veſtiti erant, unà cum milleno cœtu armatorum in tribus notabilibus hulchis et ſex probatiſſimis bargiis: quarum uni præfuit Perys Percipey Gallus, quæ tam pernici gradu et quaſi pennigero volatu currere videbatur, quòd omnes et ſingulas naves ſecum velificantes infra dimidii diei curſum amittere‡ putaretur. In qua locata fuerat domina Delphiniſſa. Contra quam, et ob quam capeſſendam, Anglici centum et octoginta naves mari commiſerunt, et coram Raſe de le Bretaign, apud Sanctum Matthæum de Tradis, adventum ejus exſpectaverunt: juxta quos ſubitò appropiavit claſſis Flemingorum, deferens de Rochel vinum Flandriæ ſubvehendum; quam ſine reluctatione Anglici cœperunt, ſed inde parvum gaudium reportaverunt; quia in craſtino inopinatè claſſis Hiſpaniæ Flemingos, et eorum naves recuperantes Anglos inanes dimiſerunt. Interim et dum hæc agerentur, feliciter Delphiniſſa evaſit, et portum de Rochel applicuit, et apud Prioratum de Nevile diſtantem à Rochel per duas leucas, quaſi impercepta pervenit: ubi ad tempus perhendinavit, quouſque D. epiſcopi Rhemenſis, Pictavenſis et Xantonenſis, valentes etiam domini de Gravel, Galcorte et Pontiſſy ipſam recipientes, honorificè locaverunt in honeſto loco‡ per duos menſes et ultrà, donec apud Towris in Turane matrimonium celebraretur: quod ibi factum cum maximo honore per miniſterium Rhemenſis archiepiſcopi, in præſentia regis et reginæ, necnon et reginæ Siciliæ matris reginæ Franciæ.

Nuptiis ſic ritè celebratis, Scoti variis muneribus contentati, exceptis paucis cum Delphiniſſa remanentibus, proſperè ad propria pervenerunt. Pro coſtagiis hujus dominæ ſiendis ad tranſitum Franciæ, noluit rex taxationes imponere regno; ſed curialiter petiit et ſingillatim à majoribus uniuſcujuſque ſtatûs, et eccleſiaſticis beneficiatis; qui, juxta ſuas facultates, abſque quacunque exactione, contribuebant hilariter et gratanter.

*Panitarius regis, *addit MS. Cap.* †Qui poſt fuit comes de Huntley, *ibid.* ‡*Al.* perdere. ‡Decenti palatio *pro* honeſto loco, *ibid.*

CAP. XIII.

Quòd taxæ de facili non ſunt levandæ.

QUamquam rex deditus fuit rerum acquiſitioni, tamen, conſcientiâ ſtimulatus, peroptimè novit injuſtas exactiones et violentas extorſiones, quæ in talliis dominorum circa ſubditos fieri ſolent, multum Deo diſplicere. Gladius enim datur principi cùm inungitur, et militi cùm accingitur, ad defenſionem eccleſiæ et membrorum ejus, non ad ſpoliationem. Propter quod ait Apoſtolus; " Non ſine cauſa gladium " portat: Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei qui malè agit." Unde cupidi principes fiunt matricidæ, qui gladium ſuum vibrant in eccleſiam et pauperes. Sed omnes qui ſic gladium accipiunt, gladio peribunt; hoc eſt, qui, nullo jubente vel conſentiente, in ſanguinem armantur innocentem, ut ſcribit Auguſtinus contra Manichæos. De quæſtis autem, et taliis, et ſimilibus exactionibus intellige ſane, quòd non debet rex, ſive dominus quicunque, à ſubditis petere, niſi ea quæ anteceſſores eorum bonâ fide, ſine dolo et coactione, perceperunt, non ſecundùm malam conſuetudinem, ſed conventionem illam laudabilem quæ inter primos dominos et eorum ſervos poſita eſt, cum inſtrumentis et teſtibus, quæ annuum cenſum et alias ſervitutes et pactiones legitimè continent. Et juxta hunc modum omnia quæ ritè à principio ſunt poſita, dummodo non ſint contra Deum, nec ſint turpia lucra, dominis ſunt reddenda; quia quilibet in traditione ſuæ rei legem quam vult poteſt ponere. In quo caſu legem ſcienti et volenti non infertur dolus.

Item poſſunt principes et domini collectas aliquas petere, inſpectis tamen ſuâ neceſſitate, communi utilitate et ſubditorum facultate, dummodo ſine exactione leventur. Sunt tamen caſus in quibus poteſt princeps vel dominus, ſupra cenſum vel ſervitium debitum, petere et percipere collectam; viz. pro defenſione patriæ, maximè civitatis ſuæ, caſtri vel villæ. Ad hoc enim tenentur omnes, non ſolùm res ſuas partiri, ſed etiam corporaliter laborare, ut in vigilando, &c. Item, ſi dominus vult ire in exercitum, indictum ab eccleſia vel principe, contra hæreticos vel paganos, nec de ſuo ſine gravi damno haberet, ſed deficeret ſibi in expenſis, poteſt moderatum auxilium petere à ſubditis. Item, ſi in guerra juſta, vel bello juſto ex parte ſua, ſit captus, et non ſufficiat ad redimendum ſe, ſine gravi damno, tenentur ei ſubditi competens auxilium ferre. Item, ſi dominus vellet adire principem pro aliquo privilegio, ſibi et ſubditis utili et honeſto, nec ſibi ſufficeret in expenſis, ſine gravi damno. Et in aliis caſibus ſimiliter emergentibus, ſine gravamine ſubditorum, ex charitate, et non ex violentia, poteſt petere. Addunt etiam quidam, ſi cum igne, vel furibus, vel rationabili liberalitate ad paupertatem fuerit deventus. Et ſemper rationabilem cauſam intellige, in qua valent auxilium poſtulare. Unde ſemper quæcunque malâ fide recipit reſtituere debet; utpote, quæ ad equos ſuperfluos, curioſam maneriorum ſtructuram, robas nimis ſumptuoſas, teſſares et talos, vel convivia luxurioſa, et hujuſmodi, ſine ratione rapiant, reſtituere tenentur. Unde notandum eſt, quòd miles in ſcaccario duo puncta tranſit directè, et tertium ex tranſverſo: ſic milites in dominio ſuo in

duobus

duobus caſibus juſtè accipiunt à ſubdito, ſciz. debitum cenſum, et tranſgreſſionis rationabilem emendam. Quod verò ultrà accipiunt, niſi in notatis caſibus, rapina eſt. Ideo docuit Baptiſta, ut milites eſſent contenti ſtipendiis ſuis, dicens; *Neminem concutiatis neque calumniatis, ſed contenti eſtote ſtipendiis veſtris.* In hac auctoritate prohibentur eis, primò, duo peccata, per quæ ſolent potentes à pauperibus pecuniam extorquere, ſciz. comminatio et calumnia: primum ubi dicitur, *Neminem concutiatis*; ſecundum, *Neque calumniatis*, &c. Deinde oſtendit eis, quòd ſtipendiis ſuis, id eſt, patrimoniis, vel militum feodis, debent eſſe contenti. Unde, ſi ultra iſta accipiunt, proditores ſunt: ſpoliant enim Dei filios, eorum bonæ fidei commendatos, niſi hoc faciant in præmiſis caſibus, quibus hoc licet. Aliàs conqueritur Dominus de hujuſmodi, dicens, *Populum meum exactores ſui ſpoliaverunt.*

CAP. XIV.

Quòd de facili ſtatuta non ſunt facienda, et de regali feſta Natalis.

ANNO Domini MCDXXV. undecimo die Octobris, tam validus ventus ſubitò eſt exortus, ut à magnis retroactis temporibus non recolunt homines conſimilem audiviſſe. Cujus violentiâ naves et batellæ undique quaſſatæ perierunt. Similiter* et coram Leth, navis immaniſſima Lumbardorum, quæ *le Crake* vocatur, fracta eſt ipſâ eâdem horâ mutationis novæ lunæ: unde tota illa luna, ſive menſis, erat valde periculoſa et ventoſa; nunc ventus, nunc pluvia, nunc ſubitò aura levis, et ſubitò in ventum agitata.

Eodem anno dominus rex natale ſuum in caſtro S. Andreæ tenuit feſtiviùs ipſum uſque feſtum Epiphaniæ continuando: cui interfuerunt quaſi omnes regni principes et magnates, comites videlicet de Douglas, Mar, Murave, et de Angus. Ibi etiam fuerunt ambaſſatores Flandriæ, Johannes viz. de Mentyney, et magiſter Bouding clericus, pro redemptione merchandiæ, quæ, mandato regis, paulo ante ſeceſſit in Zelandia ad portum de Middilburgh: quod factum fuit propter intolerabilem deſpectum irrogatum mercatoribus Scotiæ ante reditum regis de Anglia, et propter literas markæ quamplurimum ipſis mercatoribus derogantes. Unde propter reductionem merchandiæ ad Flandriam ſatisfactum fuit regi, et ut inſuper ipſi mercatores privilegiis amplioribus potirentur.

In ſequenti Quadrageſima tenuit rex parliamentum ſuum apud Perth, quod propter ſuperveniens feſtum Paſchæ prorogavit, et continuavit ad Edinburgh, incipiendo ibi duodecimo die Maii. In quo fecit varia et diverſa ſtatuta, quædam regno, ſi ſervarentur, ſatis profutura. Sed, quia ſcriptum eſt in canone; "Parum eſt jura condere, niſi eſſent "qui ea executioni demandarent:" nunc, quod dolenter refero, nec eſt qui ſervet vetera, cùm nova ignorentur: quanquam, ut dicit ARI-

*Similiter in *le Rade* apud Leth Lumbardorum navis immaniſſima, quæ *le Crake* dicitur, agitata eſt, et ad terram prope Granton fracta ipſa eâdem horâ mutationis novæ lunæ: unde tota illa luna, ſive menſis, erat nimium ventoſa, quin et periculoſa; quia ſtatim ventus, et ſtatim pluvia, et ſtatim aura levis; nunquam duabus horis in eodem ſtatu permanſit, *MS. Cuprenſ.*

STOTELES,

STOTELES, leges antiquæ debent esse magnæ stabilitatis et reverentiæ, et non de facili novas superaddere. Unde dicit, quòd faciliter condere novas leges, et faciliter mutare antiquas, est mirabiliter civilitati nocivam; quia hoc nihil aliud est nisi assuefacere ad solvendum leges, et ad parvipendendum obligationem legis. Et ideo melius est sinere modicos et leves errores, quàm solvere leges antiquas; quia qui frequenter leges mutant, plus nocent quàm proficiunt, quia assuefaciunt cives ad non observandum statuta principum et præcepta. Unde tenet Aristoteles, quòd qui faciliter legem mutant, legis virtutem debilitant. Sed si essent aliquæ leges antiquæ, quæ manifestam continent perniciem civilitatis, de maturo consilio abrogari deberent. Et ideo signanter dicit VALERIUS de institutis Marsilienſium, quòd, in eorum civitate, à condita urbe servatus est quidam gladius usque nunc, quo noxii jugulantur, rubigine quidem peresus, et vix sufficiens ministerio; sed judex, maturus in minimis rebus, omnia antiqua consuetudinis monita servanda censeret. In horum figuram lex Mosaica in lapidibus scripta erat. Leges etiam Romanorum in duodecim tabulis eburneis scribebantur in stabilitatis signum, et in indelebilitatis futuris memoriale sempiternum.

CAP. XV.

De parliamento apud Inverneſs, et de arreſtatione Catervanorum.

UNUM certè inter cetera statuit rex, regno et reipublicæ statutum utilissimum; hoc est, quòd ars arcitenentium quasi ab omnibus, saltem diebus festivis, sub certis pœnis pecuniariis, prævisis et erectis in singulis villis, præcipuè ad ecclesias parochiales, metis ad sagittandum, exerceretur. Post cujus mortem lugubrem, omnes quasi indifferenter arcus et arcilia rejecerunt, et cum lanceis equitare se dederunt; ita quòd nunc in curia magnatis, ubi sunt centum homines, octoginta lanceas, et vix sex reperies arcitenentes. Propter quod nunc de Scotis Angli veraciter dicere queunt, " Arcus fortium fractus est:" et nos vice versâ de illis, " Et infirmi accincti sunt robore." Lege igitur, si libet, veteres chronicas, et reperies Anglos sæpiùs vicisse Scotos virtute sui arcûs.

An. Dom. MCDXXVI. monomachia, sive duellum, inter generosum armigerum Henricum Knokkis defensorem, et quendam plebeium scissorem. Hic scissor deponens querelam apud regem super Knokkis, quòd de eo obloquutus fuerat, qui propterea conventus, et delata super eo negans, scissor eum de proditione appellans, apud Edinburgh sub castro, in præsentia regis, dimicatum est ad tempus, sed jussu regis separantur.

Anno sequenti fecit rex reparari turrim de Inverneſs; ubi anno sequenti, sciz. Domini MCDXXVII. tenuit suum parliamentum. In quo arrestari fecit Alexandrum de Insulis, et matrem suam comitissam de Ross, filiam et heredem domini Walteri Lesly,* et omnes notabiliores quasi de Borea, quorum unumquemque sagaciter et singillatim

*Addit MS. Cupr. Comitis ejusdem, ducis de Leygaroch in Francia post mortem fratris sui domini Normanni Lesly, qui manu forti cœperunt civitatem Alexandrinam tempore ultimi regis David: ubi etiam arrestari fecit quasi omnes sarcacinos, satrapas et primores satellites Catervanorum duces de Borea, &c.

invitavit

invitavit ad turrim *, et ſeorſum in arcta poni fecit cuſtodia. Interim dum ſic iſta ſe haberent, rex metrificavit, dicens ſuis aſtantibus;

Ad turrim ſortem ducamus cautè cohortem:
Per Chriſti ſortem, meruerunt hi quia mortem.

Ibi arreſtavit Angus Duff †, cum quatuor filiis ſuis, ducem quatuor millium de Strathnarvern, Kenethum More, cum genero ſuo, ducem duorum millium, Johannem Roſs, Willelmum Leſly, Anguſium de Moravia, et Mackmaken duces duorum millium; necnon et alios exleges catervanos et magnos pro modulo ſuo capitaneos ‡, ad numerum circiter quinquaginta. Ubi convicti et adjudicati morti ſunt Alexander Makreury de Garmoran, dux mille hominum, et Johannes MacArthur, princeps magnus apud ſuos et dux mille hominum; hi duo decapitati ſunt. Ubi etiam ſuſpenſus fuit Jacobus Cambel, accuſatus et convictus de occiſione Johannis de Inſulis §. Reliqui verò miſſi ſunt ſparſim hinc inde ad diverſa dominorum caſtra per regnum; ubi poſt tempora, diverſi diverſis mortibus adjudicati, alii libertati donantur.

CAP. XVI.

De conflictu et fuga de Badzenach, et nativitate Jacobi ſecundi regis noſtri.

QUanquam igitur inſtructus fuit dominus rex præmiſſum dominum de Inſulis ſecutum fuiſſe conſilia, dum compos fuerat ſui, minus convenientia, monuit eum tamen ſæpiùs, et ſalubriter, mores ſuos in melius mutare, et à modo geſtus laſciviores declinare, et ſic ſe in poſterum erga regem et ſuos liegios exhibere, ut perinde mereretur ampliorem ejus favorem aſſequi, et de ſpeciali retinentia computari. Quem, ſe bene facturum promittentem, rex libertati donavit, attendens ad illud VALERII de memorialibus dictis, dicentis; "Si egregrium eſt hoſtem "dejicere, non minus tamen laudabile infelicis ſcire miſereri; quia, "ſicut infinitam gloriam bellica virtus, ita præcipuum amorem cle"mentia meretur." Ad propria igitur dictus dominus de Inſulis reverſus, inferiorum conſilia ſecutus, villam regiam de Invernes contemptibiliter combuſſit. Propter quod rex nimium offenſus, congregavit exercitum anno Domini MCDXXIX. et in quodam mariſco de Lochabir fugavit dictum Alexandrum, habentem ſecum de Roſſenſibus et inſulanis ultra decem millia virorum, in vigilia nativitatis beati Johannis Baptiſtæ: ubi, viſo regis vexillo diſplicato, receſſerunt ab eo duæ tribus, ſciz. de Clan-katan et Clan-cameron, et regis imperio ſe ſubdiderunt. Et in feſto palmarum ſequenti, tribus de Clan-katan occidit in quadam eccleſia quaſi totam progeniem de Clan-cameron, ad numerum....

Cernens igitur idem Alexander ſe non poſſe refugium, rege offenſo, infra regnum invenire, miſit ſibi legationem tractans de pace. Sed rex nullomodo tractatum admittens, poſuit ſe abſolutè Alexander in miſericordia regis, et pridie ante feſtum Sancti Auguſtini doctoris, coram

*In qua ſedit conſilium, *MS. Cupr.* † Alias Macgye de Strathnavern, *ibidem.* ‡ Quorum, ob barbariem, nomina tædium ignoranti ea generaret, *ib.* § Cui paulo ante rex ſuam dedit remiſſionem, *ibid.*

magno altari Sanctæ-crucis de Edinburgh, camisiâ et femoribus tantùm indutus, flexis genibus, reginâ cum dominis majoribus regni intercedentibus, obtulit et reddidit regi nudum gladium: qui eum gratiæ admittens, misit eum castro de Temptalon sub regimine nepotis sui domini Willelmi comitis de Angus, donec ulteriùs aviſaretur quid de eo faceret. Matrem verò ejus comitiſſam de Roſs commiſit cuſtodiæ apud insulam Æmoniam Sancti Columbæ, in qua ſtetit per annum et duos menſes.

Anno Dom. milleſimo quadringenteſimo triceſimo nati ſunt gemelli fratres filii regis, apud monaſterium Sanctæ-crucis de Edinburgh, xvj. die menſis Octobris, id eſt, in feſto Sancti Michaëlis de Monte-tumba; quorum prior natus vocatus eſt Alexander, qui moritur infans; ſecundus vocatus eſt Jacobus, nunc, laus Deo, ſuperſtes et rex annorum XIV. Hos fratres in baptiſmate rex milites fecit, unà cum filio cujuſdam nobilis Romani principis domini de Portariis tunc ibi præſentis; necnon filios et heredes diverſorum magnatum, viz. Willelmum Douglas primogenitum et heredem domini Archibaldi tertii hoc nomine comitis de Douglas: qui quidem Willelmus, poſt mortem patris, fuit comes ejuſdem. Qui Archibaldus ſtetit comes novem annis.* Ad cujus comitatum ſucceſſit D. Jacobus de Douglas, filius domini Archibaldi primi hujus nominis comitis. Fecit etiam rex eo die militem Willelmum, filium dicti domini Jacobi heredem ſuum, nunc comitem ejuſdem, unà cum Johanne filio et herede Simonis Logan de Leſtalrig, Jacobum de Eadmunſton ejuſdem, primogenitum etiam D. Willelmi de Creichton cancellarii, necnon filium et heredem Willelmi domini de Borthwik, ætate tunc teneros, et noſtri regis nunc ſuperſtitis commilitones. Eodem anno rex de Flandria adduci fecit immanem fundam bombardicam æris metallo fabrifactam: in cujus circumferentia, groſſioribus grammatibus, ſic erat ſcriptum;

Illuſtri Jacobo, Scatorum principe digno,
Regi magnifico, dum fulmino, caſtra reduco.
Factus ſum ſub eo, nuncupor ergo Leo.

Eodem anno incepit peſtilentia volatilis in Edinburgh, menſe Februarii.

Anno Domini MCCCCXXXI. indictione nona, die Veneris, ſeptimo Septembris, anno primo domini Eugenii Papæ IV. inchoatum eſt concilium Baſilienſe. Eodem anno, ob certas cauſas, rex arreſtari fecit Archibaldum tertium hoc nomine comitem de Douglas, et dominum Johannem Kenedi militem, nepotes regis †: comitem miſit cuſtodiæ caſtri de Lochlevin, et nepotem ſuum ſervavit in caſtro de Strivelyn, ubi ſic arctè cuſtodiebatur uſque ſequens feſtum Sancti Michaëlis. Qui rex tunc ad parliamentum ſuum, tentum apud Perth, ad inſtantiam reginæ, epiſcoporum et prælatorum, comitum et baronum, remiſit omnem offenſam utrique comiti, Douglas viz. et Roſſenſi, ipſo Kenedi adhuc cuſtodiæ conſervato.

* *Addit lib. Cupren.* Et anno milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo, ipſe adoleſcens quindecim annorum capite plexus eſt apud Caſtrum Puellarum, rege præ tribunali ſedente, puero tunc decenni. † Ex parte ſororum ſuarum, *ibid.*

CAP.

CAP. XVII.

De planctu mirabili Catervanorum, et occisione comitis Cataneſiæ.

PAulo ante quidam inſulanus, Dovenaldus Balloch nomine, filius patrui dicti Alexandri de Inſulis, quaſi de latibulis caput erexit, et, cum aliis ſuis ſequacibus inſulanis, terram de Galeis apud Lochaber petiit: ubi ante ſe invenit dominos Alexandrum et Alanum Stewart comites de Mar et de Cathenes, cum valenti exercitu. Quos inconſternatè, cum minore tamen potentiâ, aggrediens, dictum dominum Alanum, filium domini Walteri comitis Atholiæ, cum ſexdecim armigeris de domeſtica familia ejus, cum multis aliis, apud Inverlocquhi interfecit, et comitem de Mar cum aliis hinc inde fugavit; et ſtatim ad Hiberniam præſidio ſe dedit. Eodem anno conflictum eſt acriter apud Stranavern * inter Anguſium Duffi, et Anguſium de Murrave, qui paulo ante carceres regis evaſerunt, libertati donati. Cum utrolibet ſummabatur de Catervanis mille et bis ducenti, et hi omnes unâ die mutuò ſe mactabant. De tanto numero vix vivi novem perſonæ evaſerant. De quo non modicum multis eſt mirandum, quòd ita animoſè ſeſe impeterent, quòd nullus ad ſalvandam ſuam vitam fugæ beneficio ſe muniret. Quod fit ideo, quia noſtri Scoti tranſmontani in confinio, ſive in marchia mundi, conſtituti, parum ſentiunt de torrida æſtate, ſive ſolis æſtu, quo ſanguis amicus naturæ ſiccaretur: et ideo inter ceteras nationes mundi audaciores naturaliter ſunt reperti. Ad propoſitum bene facit quod ſcribit VEGETIUS de re militari, lib. I. cap. iij. dicens; "Conſtat enim, in omnibus locis, ignavos et ſtrenuos naſci; "tamen gens gentem præcellit in bello, et plaga cœli ad robur, non "tantùm corporum, ſed etiam animorum, plurimum confert: viz. "omnes nationes quæ vicinæ ſunt ſoli, nimio calore ſiccatas, ampliùs "quidem ſapere, ſed minus habere ſanguinis dicunt, ac propterea con"ſtantiam et fiduciam comminus non habere pugnandi, qui metuunt "vulnera qui exiguum ſanguinem ſe habere noverunt. E contra Se"ptentrionales populi remoti à ſolis ardoribus, inconſultiores quidem, "ſed tamen largo ſanguine redundantes, ſunt ad bella promptiſſimi. "Tyrones, (id eſt, bellatores) igitur de temperatioribus eligendi ſunt "plagis, quibus et copia ſanguinis ſuppetat ad vulnerum mortiſque "contemptum, et non poſſit deeſſe prudentia, quæ et modeſtiam ſer"vat in caſtris; et non parum prodeſt in dimicatione conſilium." Hæc ille. Eodem anno hyems erat aſperrima, gelida et procelloſa, adeo ut beſtiæ et pecudes, tam domeſticæ quàm ſylveſtres, pro majore parte extinctæ ſunt. Eodem anno obiit Papa Martinus quintus: et quinto idus Martii mitratus eſt Papa Eugenius quartus. Eodem etiam anno abbas de Iona inſula, i. e. Icolmkil, fecit obedientiam manualem domino Roberto de Cardeney, epiſcopo Dunkeldenſi, tanquam dioceſano ordinario.

*Trans Alpes, *addit MS. Cupr.*

CAP.

CAP. XVIII.

De fundatione Cartuſienſium apud Perth in Valle virtuoſa.

SEcundo anno ante hoc, rex fundavit apud Perth nobile monaſterium ordinis Cartuſii; unde quidam:

Annus millenus vicenus ſicque novenus
Quadringentenus Scotis fert munera plenus.
Semina florum, germina morum, myſtica mella.
Cùm tibi, Scotia, ſit Cartuſia ſponſa novella.

In hoc monaſterio præfuit primò venerabilis pater Oſwaldus Prior, Alemannus, vir magnæ ſcientiæ, et ſanctitate vitæ præclarus; cui ſucceſſit dominus Adam de Hangaldſid Scotus, qui in partibus tranſmarinis per magna tempora religioſiſſimè in ordine ſtetit, ſed, ad inſtantiam regis, magnus Prior Cartuſiæ eum licentiavit, ſicut et prædeceſſorem ſuum, ad introducendum formam in religione Scotiæ. Sunt, ſicut audivi, nonnulli, qui derogant iſti ſanctiſſimo ordini; quia, ut allegant, non audiverunt de miraculis eorum de ordine, ſicut et de aliis ſanctis aliorum ordinum. Nec mirum: quia, in quantum poſſunt, hujuſmodi celant, ſoli Deo placere deſiderantes; et ideo dubitare de ſanctitate vel puritate ordinis, non ſolùm eſt ſacrilegium, ſed blaſphemum. Quia ſi iſtud eſt dubitare, eſt etiam dubitandum, an beatus Johannes Baptiſta, qui hanc vitam elegit ac duxit, ſit ſanctus; et idem Dominus Jeſus, qui, ante omnem prædicationem, eremum ingrediens, immediatè poſt baptiſmum hanc vitam ſuo exemplo in multis jejuniis, vigiliis et tentationibus conſecravit. Idem de Helia, et Heliſæo, et innumeris ſanctis patribus. Unde ſciendum eſt, quòd miracula communiter fiunt ad probandum ſanctitatem illius qui ea facit, quando aliquod dubium poteſt inſurgere circa ſanctitatem ejus; vel fiunt ad alicujus vel nonnullorum infidelitatem convincendum vel confutandum, dicente ISIDORO de ſummo bono, libro primo: "Miracula in ſignum ſunt non fidelibus, "ſed infidelibus; quia ſignum fidelibus non eſt neceſſarium, qui jam "crediderunt, ſed infidelibus, ut convertantur." Hæc ille. Ubi autem per ſcripturam ſanctam, vel evidentiam, conſtat de ſanctitate talis perſonæ, raro fiunt miracula. Nam non legimus, Johannem Baptiſtam in vita ſua aliquod feciſſe miraculum; cùm tamen inter natos mulierum major eo non ſurrexit. Et ideo cùm quærerent Phariſæi à Johanne Baptiſta, de ſanctitate ejus admirantes, quis eſſet, non produxit miraculum ſed ſcripturam, dicens; *Ego vox clamantis in deſerto.* Secundò auſteritatem vitæ ſuæ, cum abrenunciatione temporalium omnium, et perſeverantia uſque in finem, quod eſt impugnabile genus probationis ſanctitatis, ut in ſcripturis ſacris valde habetur. Quia hoc eſt tollere crucem, et ſequi Chriſtum. Et iſtud non eſt niſi juſtorum et ſanctorum, ut in Pſalmo: *Aperite mihi portas juſtitiæ*, i. e. ſanctitatis et virtutum; *ingreſſus in eas confitebor Domino*, ſcilicet, laudabo eum perſeveranter. Sequitur; *Hæc porta Domini, juſti intrabunt in eam:* quia talis vita, cum perſeverantia, duntaxat eſt electorum Dei. Quia cœlum et cella vicina ſunt. Unde quidam;

Cella

Cella Dei ſedes, in qua ſibi ſi bene te des,
Hinc, cùm decedes, victor cum laude recedes.

Quia de cella nunquam, vel rarò, fit tranſitus, niſi ad cœlum. Nam cella diutiùs retinere non poteſt, niſi illos qui ſunt de electis Dei, dicente BERNARDO, " A cella enim frequenter in cœlum aſcenditur: " vix autem unquam à cella in infernum deſcenditur, niſi, ſicut dicit " Pſalmiſta, *Deſcendant in infernum viventes*, non *deſcendent morientes.* " Hoc enim modo cellarum incolæ illuc ſæpe deſcendunt. Nam, ſicut " aſſiduè contemplando cœleſtia gaudia reviſere amant, ut hæc ardentiùs appetant; ſic et inferni dolores, ut horreant et refugiant. Et hoc " eſt quod inimicis ſuis imprecantur orantes, ut deſcendant in infernum viventes. Moriens autem vix aut nunquam aliquis in infernum " à cella deſcendit: quia vix unquam aliquis, niſi cœlo prædeſtinatus, " uſque ad mortem in ea perſiſtit." Hæc Bernardus ad fratres de monte. Ad hoc operatur quod dicitur;

Cella tenor legis, cœleſtis regia regis.
Hîc in mente legis, qualiter acta regis.
Si quærat tua vis cælos, eſt cella ſuavis;
Quærere ſi tua vis, eſt tibi cella gravis.
Cellula, cælorum via pervia, duxque piorum,
Ad loca ſanctorum rapitur pia turba tuorum.
Mente tibi munda glutinatus, morte ſecundâ
Non condemnatur, ſed ſurſum glorificatur.

CAP. XIX.

De commendatione ordinis Cartuſienſis, et aliis incidentibus.

PRobatio igitur ſanctitatis Cartuſienſium per miraculum eſt valde deficiens: quia etiam per malos fiunt miracula, Chriſto atteſtante qui ait, *Nonne in nomine tuo prophetavimus? nonne dæmonia ejecimus? Quibus dicetur, Amen dico vobis neſcio vos.* Cauſam, quare non omnibus ſanctis miràculorum virtus attribuitur, aſſignat AUGUSTINUS, dicens; " Ideo non omnibus ſanctis iſta miracula attribuuntur, ne per" niciofiſſimo errore decipiantur infirmi, æſtimantes in talibus factis " eſſe majora dona, quàm in operibus juſtitiæ, quibus vita æterna " comparatur." Concludendo igitur, quis ſanæ mentis poſſet dubitare de ſanctitate ordinis Cartuſii? qui relinquentes voluntariè mundum, patrem, matrem, agros, &c. abrenunciantes omnibus pompis, divitiis et mundanæ gloriæ, includunt ſe infra unam manſiunculam, in fame et ſiti et continua continentia laudantes Deum; ſuſtinentes humili corde temptationes, prout Creatori placet eos viſitare. Et ſic finientes dies ſuos. Deſiperet qui aliter ſaperet, cùm repugnaret verbis Sp. Sancti, dicentis de talibus per Pſalmiſtam, *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ doctrinæ, quam abſcondiſti timentibus te!* Et ſi vis ſcire qui ſunt, ſequitur; *Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ à conturbatione hominum.* Multi, legimus, fuerunt, qui de miraculis Cartuſienſium quæſierunt; qualis inter alios fuit ille Petrus abbas antiquus Cluniacenſis, qui fuit avidus indagator miraculorum, præcipuè religioſorum, componens

volumen ſatis authenticum de hujuſmodi, quod, quando venit ad miracula ordinis Cartuſienſis, ſic inter cetera ſcribit: " In illo ſacro ordine multa miracula facta ſunt; ſed pauca, quæ hîc pono, ab iiſdem vix etiam potui cum magno labore extorquere. Quia, tanquam humiles, nolentes in talibus gloriari, abſcondunt illa, celant et excuſant. Hujus nihilominus ordinis legimus præclariſſimos vitæ ſanctos miraculis inſignibus corruſcantes, viz. Hugonem epiſcopum Lincolnienſem in Sabaudia oriundum, Anſelmum epiſcopum Bellicenſem, Stephanum Dienſem, et duos Hugones Bellicenſes epiſcopos. Et ſi iſti ſancti fecerunt, quia et fecerunt miracula perſtupenda, ſicut patere poterit eorum hiſtorias intuenti; majus tamen miraculum eſt, hominem mortuum et fœtentem peccatis, non ſolùm quatridianum, ſed per decem, viginti vel triginta annos in eis putreſcentem, ſuſcitare ad vitam ſpiritualem per bona exempla, bonam doctrinam, per orationes et ſimiles actus ſpirituales, ſicut ſubitò videmus homines vanos ad hujuſmodi ordines convolare. Nonne igitur tibi videtur ſupra omnia miracula corporalia, quòd ille, qui heri ardebat in divitiis et avaritiis, nec ſufficiebant ſibi modi vel artes ad congregandum per fas vel nefas, quod hodie, omnibus renuncians, velit perpetuò vivere in paupertate? Legimus, quòd cuídam juriſtæ, volenti infra annum noviciatus recedere temptatus de ordine, quia viderat ſepeliri quendam monachum cum cinere et cilicio ſine pompa, apparuit ei Angelus dicens, Ex hoc vis recedere? Revertere; quia omnes, in hoc cœmeterio ſepulti, ſunt in gloria æterna, excepto uno converſo proprietario. Propter quod quidam;

" *In cella ſtabiles nil formidare tenentur:*
" *Nam cœli vigiles hos vallant atque tuentur.*
" *Hos faciunt fortes, quos reddit cella gravatos.*
" *Dum ſomnum capiunt, tollunt ſuper aſtra beatos,*
" *Qui tibi dat dorſum, te deſerit atque retrorſum,*
" *Mortuus introrſum cadit in tormenta deorſum.*
" *Nulli namque datur quod ſub cella moriatur,*
" *Si non ſalvari meruit, ſurſumque levari.*
" *Hoc ſonat incluſa Cartuſia, quod caro tuſa.*"

Hæc de Cartuſienſibus ſufficiant ad declarandam devotionem regis, hunc ordinem in Scotiam adducentis; cùm tamen, ut audivi à notabili clerico dicente, ſe legiſſe in una tabula provinciali hujus ordinis in quadam eccleſia, omnes et ſingulas domos uniuſcujuſque provinciæ; et inveniſſe in Scotia quatuor domos hujus ordinis, viz. Bewlyne in Roſſia, Pluſquhardy in Murrave, Archatane in Lorne, et in valle S. Johannis. Ubi autem illa vallis fuerat, neſcitur: ſed nunc apud Perth dici poteſt vallis Sancti Johannis, quæ in cartis fundationis loci dicitur Vallis virtuoſa. Hanc narrationem audivi à dicente per multos annos antequam fuit cogitatum, hanc domum Cartuſii ibidem fundari.

CAP.

CAP. XX.

De combuſtione Pauli Crawar arch-hæretici, et de Lolardis.

ANNO Dom. MCDXXXII. incepit volatilis peſtilentia in burgo de Hadington. Eodem anno Maria domina inſularum et comitiſſa de Roſs liberata eſt à cuſtodia quâ detinebatur in Æmonia, et regi præſentata apud Perth tempore ſui parliamenti, ad feſtum purificationis. Anno ſequenti accuſatus eſt Paulus Crawar Teutonicus, xxiij. die menſis Julii, apud Sanctum Andream, et hæreticus obſtinatus repertus, convictus eſt et condemnatus, et ad ignem applicatus et incineratus. Hic, ut dicitur, miſſus fuit ab hæreticis Pragenſibus de Bohemia, qui tunc in maleficiis nimium prævalebant, ad inficiendum regnum Scotorum, recommiſſus per ipſorum literas, tanquam præcellens arte medicinæ. Hic in ſacris literis et in allegatione Bibliæ promptus et exercitatus inveniebatur; ſed ad inſipientiam ſibi, omnes quaſi illos articulos erroneos Pragenſes et Wiklivienſes pertinaciter tenebat: ſed per venerabilem virum magiſtrum Laurentium de Londoris, inquiſitorem hæreticæ pravitatis, qui nuſquam infra regnum requiem dedit hæreticis, vel Lolardis, confutatus eſt. Hujus ſectæ hæreſiarcha fuit quidam Petrus Crek, olim Anglicus, ſed nunc Boëmita ſacrilegus; inter quos fuerunt tres ſectæ, prima Thaboricarum, à monte Thabor dicta, in quo Chriſtus poſt reſurrectionem Spiritum Sanctum dedit diſcipulis: cui præeſt quidam ſacerdos ſimplex literaturâ, Procopius nomine; cujus titulus eſt, *Procopius, miſeratione divinâ, magiſter in ſpiritualibus Thaboritarum.* Secunda ſecta eſt Orphanicorum, cui præeſt dictus Petrus Crek. Tertia ſecta dicitur Pragas gentium. Hæ ſerpentinæ ſectæ in verbis perfectionem prædicant, ſed factis contrariantur. Nam ipſi in ſolemni apparatu veſtium, et pompatice inceſſu equorum, ad inſtar regum, cum numeroſa multitudine intraverunt civitatem Baſilienſem, epulantes ſeorſum apud ſe ſplendidiſſimè in pretioſiſſimis vaſis propriis aureis et argenteis uſque ad infimum ſervitorem, ſingulos in concilio tranſcendentes; ubi pro tunc fuerunt quinque cardinales, duo patriarchæ, Antiochenus ſcilicet et Alexandrinus, duo archiepiſcopi, Mediolanenſis ſcilicet et Lugdunenſis, et quamplurimi epiſcopi et prælati, necnon ſpectabiles ambaſſiatores diverſorum principum et regnorum. Prædictus Procopius tunicâ talari cum manicis, ad inſtar fratrum minorum, de nigro panno ruſſetico incedit, et ſic ceteros præcedit, pileum habens in capite de pellibus matrinis ad modum pilei doctoralis. Quandò more ſuo Miſſam celebraturus, ſacris non indutus veſtibus, epiſtolâ, evangelio, ac omnibus aliis in Miſſa uſitatis, horiſque canonicis ſpretis et neglectis, Miſſam cum oratione Dominicâ incepit. Quâ finitâ, adjungit, *Dominus quidem Jeſus poſtquam cœnavit*, &c. uſque ad verba conſecrationis corporis et ſanguinis incluſivè: in cratera uſuali et pane communi cum magna quantitate conficit: de quo tam ſe quàm ceteros ſuos familiares excommunicat. Hæ ſectæ Purgatorium non credunt, omnem religionem deteſtantur, peregrinationes abhorrent, ordines et claves eccleſiæ ſpernunt, articulum de reſurrectione mortuorum negant. Sed labor concilii ſtetit circa quatuor articulos præcipuè reconciliandos, videlicet,

videlicet, de communione ſacramenti ſub utraque ſpecie, et de publica punitione peccati mortalis notorii, de dotatione et poſſeſſione eccleſiæ, et de libera prædicatione verbi, an ſciz. indifferenter omnibus liceret: quia iſti quatuor propoſiti erant per hos hæreticos. Secta horum Pragenſium feliciter fuit deſtructa per ſagacitatem concilii Baſilienſis, qui de ſacramentis, vel de ſacris ordinibus, ut præmittitur, nihil curabant, ſed et ipſa ac pia religioſorum loca funditùs evertebant. Adierunt primò magnates et magiſtratus Bohemiæ, informantes eos, quòd licitè poterant rectificare clericos et prælatos delinquentes, præter licentiam ſpiritualis poteſtatis; et, per conſequens, ad poteſtatem ſecularem pertinere, auctoritate propriâ judicare de poteſtate ſpirituali, et punire eam per ablationem poſſeſſionum et rerum temporalium; dicentes, quòd poteſtas ſpiritualis eſt ſubjecta temporali poteſtati in temporali regno. Quorum perſuaſio verſipellis, blæſis titillationibus circumlita, multùm allexit eos ad auferendum eccleſiæ temporalitates. Unde cùm eccleſiæ eſſent poſſeſſionibus ſpoliatæ, prævaleſcentes hæretici ſic effecerunt, ut ipſi magnates nil plus in proprio poſſiderent quàm ipſi hæretici, dicentes, omnia * debere eſſe in communi. Unde tandem uxores et dominas, et earum filias, indifferenter, etiam in præſentia patrum et ſuorum virorum, lenocinanter ſcortabant: quòd ſi quis, propter hoc, ſe gravari cauſabat, eum, tamquam hæreticum, hæretici morte affecerunt. Unde cùm concilium Baſilienſe veris rationibus et irrefragabilibus diſceptationibus ipſos hæreticos confutâſſet, venerunt ipſi olim magnates † pedeſtres, nihil aliud præter baculos manibus ferentes, et petierunt ſe ad poſſeſſiones ſuas reſtitui debere. Quibus à concilio reſponſum eſt, ſe juſtè et meritò hæc debere pati; quia in eo quo quis peccat eſt puniendus; et qui ſtultus fuit in culpa, ſapiens debet eſſe in pœna. Propterea eos dimiſerunt inanes et vacuos, nunquam in ſe vel heredibus, nec ad proprietatem vel uſumfructuum, terrarum et poſſeſſionum, vel aliarum rerum temporalium reverſuros. Ecce quàm ſubtiliter hujuſmodi hæretici et Lolardi in veſtimentis ovium intrant, ſed intrinſecùs lupis rapidiores inveniuntur. Ideo quotieſcunque repullulare incipiat hujuſmodi hæretica in regno Lolardia, vel hæreſis Lolardica, ſtatim inquiſitores, invocato, ſi opus ſit, brachio ſeculari, eam ſuccidere nitantur: dicente HIERONYMO; "Dum parvus eſt hoſtis interfice, ut nequitia "elidatur in ſemine. Reſecandæ ſunt, inquit, putridæ carnes, et ſcabioſa "ovis à caulis eſt repellenda, ne tota domus ardeat, et pecora corrum-"pantur. In Alexandria namque una ſcintilla fuit, ſed, quoniam non "ſtatim oppreſſa eſt, totum orbem ejus flammâ populata eſt." Hæc ille.

CAP. XXI.

Adhuc de eiſdem Lolardis.

ISTI etenim, juxta divinum oraculum, ſunt falſi prophetæ, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium, intrinſecùs autem ſunt lupi rapaces. A fructibus eorum cognoſcetis eos. Iſti ſunt vulpes Samſonis,

* Juxta jus gentium et naturale, *addit MS. Cupr.* † Magnates et magiſtratus Bohemiæ ad concilium pedeſtres, nihil aliud præter cambucas et baculos, &c. *ibid.*

qui

qui facies diverſas habentes, caudis tamen conjunctis meſſem ſuccendebant, et quia partes vulpium erunt in inferiora terræ introibunt. Iſti ſunt genimina viperarum, qui, partum eccleſiæ militantis minimè exſpectantes, ventrem cleri et eccleſiæ dirumpunt. Iſti ſunt colubri in via, ceraſtes in ſemita; necnon et pygmei ſuper humeros gigantum, putantes aliis altiùs ſpeculari. Iſti ſunt ludentes et deludentes, inextricabilem labyrinthum rationibus texentes, ubi nunc quidem quo egrediaris, introeas; nunc verò quo introieris, egrediaris. In Conſ. lib. III. proſa 12. Iſti ſunt poëticæ muſæ, de quibus profertur primo de Conſ. proſa 1. Quis, inquit, has ſcenicas dimeritriculas permiſit accedere, quæ potius ejus dolores augeant quàm minuant? Reverendi vultûs, muliere, id eſt, fide vera, ſupra verticem reſidente, ævo plenâ, magiſtrâ omnium virtutum, ſuperno cardine dilapſâ, coloris vividi atque inexhauſti vigoris ultra communem valentiam hominum, oculis ardentibus, ſtatura diſcretionis, ambiguæ veſtis ex ſubtili artificio, ſummæ verticis cacumine pulſantis cœlum. Cujus veſtes violentorum, id eſt, Lolardorum, ſciderant manus; heu! in extrema parte lectuli conſedente. Iſti ſunt ſtellæ erraticæ, ſeſe contra motum firmamenti retorquentes, ſiderum vias radio rabido deſcribentes, ſuæque vitæ rationem contra cœleſtis ordinis exemplar formantes. Iſti ſunt exclamantes tragici et fabuloſi, à veritate averſi, qui nominis celebritatem per hypocriſis claritudinem vulgi opinionibus abſtulerunt. Qui cum falſo prædicantur, ſuis ipſi neceſſe eſt nec laudibus erubeſcant. Iſti ſunt, qui viventes in carne ſupplantaverunt eccleſiam, non triumphatores et amici Dei, ſed truphatores et inimici ejus. Qui arte Jacobinâ eccleſiam alterâ vice ſupplantantes, gregem dominicum varietate colorum per virgas magorum ab unitate ſegregârunt. Iſti ſunt Berengariani, qui corpus Domini in altari et ſanguinem in figura duntaxat, aſſeverant. De quibus magiſter, ut Johannes eſt Elias, petra autem erat Chriſtus. Iſti ſunt hypocriſantes Phariſæi, phylacteria in frontibus ferentes, calcaneis non corde ſe ſpinis compungentes; de quibus hiſtoria ſcholaſtica ſuper evangelium. Iſti ſunt Eſſæi, juramenta in perjuria pervertentes, qui, prætextu religionis, oves ad hœdos ſuo fermento de ovili Chriſti evocant atque trahunt. Iſti ſunt Sadducæi, legem Chriſti refutantes, et Pentateuchon cum libris Moyſi approbantes. Iſti ſunt Stoici et Epicurei, qui, reſurrectionis fidem abnegantes, infidelibus deteriores effecti, habentes quidem ſpeciem pietatis, ſed virtutem ejus abnegantes: et hos, inquit Paulus, devita. Iſti ſunt Wikleviſti, Huſſitæ, Procopiani, Pragenſes, archipythonis diſcipuli, nubes ſine aqua, quæ à ventis circumferuntur, qui viam Cain ambulaverunt et errores Balaam, mercede effuſi in ſacroſancto Baſiliæ concilio confuſi, ſicut in contradictione Koræ, perierunt.

CAP. XXII.

De eodem.

ISTI ſunt filii Rachelis, et fures deorum; ſacramenta ſcilicet in ſacrilegia prophanantes, myſteriaque fidei depravantes. Iſti ſunt Caci calculatores, qui pridem retroverſis veſtigiis in caveam abducunt. Sunt

etiam Centauri ſuperbi, quos, in nube et alto genitos, Hercules domare non potuit. Iſti ſunt de ſecta Nicolaitarum, qui in primitiva eccleſia uxores duxerunt, ut cetera bona, communicandas, quibus concordat illud Lolardorum præcipuum principium, *Creſcite et multiplicamini, et implete terram.* Iſti ſunt Arriani, quorum pœna necdum apud inferos taxatur, ſecundum Auguſtinum, quorum ſemina ad fructum et manipulos nondum ſuccreverunt. Iſti ſunt inimici crucis Chriſti, quos ſæpe dicebam vobis, nunc autem flens dico, quorum finis interitus, et gloria in confuſione eorum, qui terrena ſapiunt. Iſti ſunt bubones, qui, ut abſorbeant oleum, lumen fidei exſtinguunt. Iſti ſunt qui, Eliacis et academicis ſtudiis enutritos, peritiores ſuos conantur ducere in errores. Sed abite potius, ô Syrenes. de Conſol. primo, proſâ 1. Iſti ſunt filii Phares, non Saram, tunicam Chriſti inconſutilem non coccino conſuunt, ſed dilacerant. Iſti ſunt execrati et ex Hydra procreati, cui, unico abſciſſo capite, plura ſuccreſcunt. Iſti ſunt Satanici ſeminis ſatores, qui terras pervagantes, Job ſimplicem et rectum, id eſt, populum Domini peculiarem, ulcere peſſimo perfidiæ ſauciant, ſemivivo relicto. Iſti ſunt apoſtatantes à fide, qui, recidivo cum Morpheo legem amoris infringentes, ſponſam eccleſiam triumphantem ornatam monilibus renuunt et relinquunt. Iſti ſunt cynomia, et muſca canina, ac locuſta cum longa haſta, et brucus, cujus non eſt numerus, ad fructum eccleſiæ exſtirpandum: ad quem reſecandum ſunt in penetralibus regum et dominorum, ut ranæ coaxantes, de quibus Petrus truſit cynomiam et comedit eos, ranam et diſperdidit eos, id eſt, diſperſionem bonorum et poſſeſſionum eccleſiæ, ut patuit in Pragenſibus. Iſti ſunt qui in labores hominum non ſunt, et ideo cum hominibus non flagellabuntur, ſed cum dæmonibus: propterea tenuit eos ſuperbia, prodiit quaſi ex adipe iniquitas eorum, tranſierunt in affectum cordis. Cogitaverunt et locuti ſunt nequitiam, iniquitatem in excelſo locuti ſunt. Poſuerunt in cœlum os ſuum, et lingua eorum tranſivit in terram. Ideo deſcendent in infernum, quaſi plumbum in aquis vehementibus. Et quia infamant et denigrant omnem religioſum ordinem, et ipſi nullius ſunt ordinis; ibunt, ut ait Bernardus, ubi nullus eſt ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat. De iſta materia require ſuprà libro xv. cap. xx. Hæc ſufficiant de Lolardis. Hoc anno fuit mirabilis eclipſis ſolis, xvij. die menſis Junii, horâ quaſi tertiâ poſt meridiem, et per dimidium horæ tenebræ, tanquam in nocte, ſupergreſſæ ſunt, ita ut nihil pervium fuit viſui humano. Unde et vulgariter dicta fuit nigra hora.

CAP. XXIII.

Quòd Anglici ſubtiliter conati ſunt inducere Scotos ad cifrandam ligam inter Franciam et nos.

CIrca idem tempus venit quidam miles de Anglia, dominus de Scrope nomine, miſſus à rege et conſilio Angliæ domino noſtro regi, cum inſtructionibus et commiſſione; unde rex inductus convocavit apud Perth concilium generale in Octobri, ubi propoſitâ materiâ de pace cum Anglicis habenda, et præcipuè ubi ipſi de facto Roxburgh et Berwik, et omnia alia, reſtituerent, quæ regno Scotiæ, tranſacto certo tempore,

tempore, injuſtè abſtulerant, et reſtituendo perpetuam pacem peterent; in præſentia regis, ſedentis ante magnum altare de Perth chori fratrum prædicatorum, reſponſum eſt plane à majoribus eccleſiarum prælatis et regni proceribus, Pacem cum libertate ſe concorditer affectare. Deinde deducendo vota ſingulorum petendo devenit ipſa deliberationis materia ad abbates de Scona et Æmonia, à quibus concorditer reſponſum eſt, quòd rex Scotiæ non poſſet liberè materiam pacis tractare cum rege Angliæ, et hoc propter confœderationem cum rege Franciæ, quam allegabant examinatam per univerſitatem Pariſienſem, et confirmatam per ſummum pontificem. Ad quam obſervandam idem rex Scotiæ recenter præſtitit ſolemne ſacramentum, cum diverſis aliis hinc inde allegationibus, pro parte negativa cooperantibus. Et quia eo die coïre nequiverant in una et eadem ſententia, quia nocte ſuperveniente terminabatur dies, quæſtio de pace iterum in craſtino repetita eſt, et hinc inde, ut priùs, dominis de conſilio deliberantibus, et ad pacem cum libertate condeſcendentibus, remanſit materia indeciſa. Sed partem negativam ſuſtinentibus oppoſuit ſe venerabilis in Chriſto pater dominus Johannes Fogo, magiſter in ſacra pagina, digniſſimus abbas Melroſenſis, præmittens, ut aſſeruit, omnium per ſe dicendorum tanquam fontalem originem ac fundamentum, videlicet quòd impletio divini præcepti non poteſt licitè, nec debet, dependere ex voluntate aut conſenſu cujuſcunque creaturæ alterius ab operante. Et ex hoc inferre ſe dedit, quòd nullus regum poterat licitè juramento ſe obligare alteri regi nunquam habere pacem cum tertio, niſi ad voluntatem ipſius cui ſe ſic obligaverat. Deinde ad propoſitum induxit, quòd nec rex Franciæ potuit licitè juramento ſe obligare regi Scotiæ, nunquam habere pacem cum rege Angliæ, niſi ad voluntatem regis Scotiæ, aut è converſo. Ex hoc iterum affirmavit, quòd iſte articulus, ſine pluri, et ſecundùm quod ab abbatibus ordinis S. Auguſtini præmiſſis allegabatur, ſcilicet, quòd rex Scotiæ non poterit licitè facere pacem cum rege Angliæ, niſi ad voluntatem et ex conſenſu regis Franciæ, ſecundùm quod litera jacet, et ſecundùm ſenſum grammaticalem, quem primò generat in animo auditoris, malè ſonat, et continet in ſe errorem, &c. Ad iſta breviter dicendo taliter fuit altercatum, quòd nil ulteriùs proceſſum eſt ad læſionem confœderationis, ſed finaliter compertum eſt, Anglos ad id intentâſſe, ut ſchiſma in noſtro regno ſuſcitarent; cùm conſtat liquidò, ipſos nequaquam propoſuiſſe noſtra nobis reſtituere velle.

CAP. XXIV.

De altercatione inter prælatos regni, et de receptione caſtri de Dunbar.

IPSI etenim Angli ad modum doloſi lupi ſe gerebant. Cùm enim magna, ut in fabula, rixa inter paſtores et lupos exorta eſſet, et nullo pacto pacari quibant, miſerunt tandem lupi paſtoribus legationem, dicentes; "Multùm vobiſcum affectamus pacem: ſed quia ſo-"lùm canes ſunt cauſa controverſiæ, removete canes, et oves non at-"tingemus; et ſic pace perenni potiemur." Quo audito, paſtores canes exiliabant, et lupi oves immoderatiùs ſtrangulabant. Et ſic deluſi paſtores, tam canes quàm oves amiſerunt. Auditis igitur à magiſtro Laurentio

Laurentio de Londores, licentiato in theologia digniſſimo, propoſitionibus et allegationibus abbatis de Melros, minùs placidè in auribus ejus, qui et tunc erat inquiſitor hæreticæ pravitatis, hujuſmodi propoſitiones ſonuerunt; propter quod ſcripſit ſibi, redarguens eundem in ſuo fundamento ſive fontali origine poſitionis, et ſibi vice verſâ abbas reſcripſit epiſtolas admodum evectivas. Propter quod monitus et citatus fuit ſolemniter per inquiſitorem, ad revocanda maledicta et ſcripta, vel ad ea debitè defendenda. Quo in Sancto Andrea certo die comparente, ceſſit inquiſitori, et hinc inde caritativâ tranquillitate ſopiti, reges præmiſſi, tam Franciæ quàm Scotiæ, ſolitâ confœderatione unanimes perſeverant. Anno Domini MCCCCXXXIII. dominus rex miſit dominos Willelmum comitem Anguſiæ, Willelmum de Creichton ſuum cancellarium, et Adam de Hepburn de Hales, milites, ad cuſtodes caſtri de Dunbar cum ſua litera patente, retento ſecum apud caſtrum de Edinburgh domino Georgio de Dunbar ſecundo hoc nomine comite Marchiarum. Qui cuſtodes deliberaverunt caſtrum nunciis regiis abſque mandato comitis. Cujus cuſtodiam commiſit rex dicto domino Adam de Hepburn. Et anno ſequenti apud Perth in ſuo parliamento, vij. die Auguſti, propter commiſſa patris ſui, exhereditavit eum, allegantem, ſe habere regis remiſſionem pro propriis commiſſis. Sed volens rex ſibi aliqualiter mitiùs agere, cinxit eum ibi comitem Buchaniæ. Et, poſt mortem regis, conſenſu trium ſtatuum, conceſſa eſt ſibi, et filio ſuo ac heredi Patricio, de ipſo comitatu annuatim ſumma cccc. marcarum. Et hoc uſque ad ætatem legitimam regis nunc ſuperſtitis, quem dictus comes de ſancto fonte levavit. Eodem anno exſtitit horrendum gelu, quod duravit per tres menſes et duas ſeptimanas, excepto quòd degelabat in feſto Sancti Felani per diem naturalem, per quod molendina feliciter rotabantur, aliàs, ob defectum molitionis, maximus defectus panis exſtitiſſet.

CAP. XXV.

De conflictu de Piperden, et morte comitis Marriæ, et de comite Averoyſe.

ANNO Dom. MCCCCXXXV. circa feſtum Sancti Petri ad vincula, obiit dominus Alexander Stewart comes de Marria, baſtardus filius domini Alexandri Stewart comitis de Buchania, filii domini Roberti ſecundi regis. Hic fuit vir magni conquæſtûs, qui in juventute erat multùm indomitus, et ductor Catervanorum. Sed poſtea ad ſe reverſus, et in virum alterum mutatus, placenter trans montes quaſi totam Aquilonem gubernabat. Homo magnarum opum et ingentium expenſarum, clari nominis, et famoſus in diverſis regionibus habebatur. Cujus induſtrioſæ probitati adſcripta eſt victoria facta apud Legez* pro parte Johannis ducis Burgundiæ; et ſimiliter apud Harlaw de inſulanis ſibi attribuitur præconium triumphale. Potens enim erat valde in rebus animatis et mobilibus. Quibus omnibus, utpote baſtardi, ſucceſſit rex. Anno ſequenti conflictus de Piperden, x. die Septembris,

*Leodium, *MS. Cupr.*

ubi

ubi devicti ſunt Angli, et capti de marchianis et eorundem caſtellanis ad ſummum MD. per dominos Willelmum de Douglas comitem Anguſiæ, Adam Hepburn de Halez, et Alexandrum Ramſay de Dalwolſi. Occubuit ibi, ex parte Scotorum, dominus de Elphinſton, et, ex parte Anglorum, Henricus de Clenehale ejuſdem, et utriuſque regni interfecti non ultra numerum XL. mediocrium perſonarum. Captus etiam fuit ibidem dominus Robertus Ogil junior, miles. Eodem anno deſponſata eſt domina Margareta, primogenita regis, cum Delphino Franciæ: de quibus eodem libro, cap. xj. cum ſequenti. Internuncii fuerunt Scoti præcipui in hoc negotio duo valentes milites, viz. dominus Johannes Stewart de Dernley comes de Averoyſe, miſſus à rege Franciæ cum archiepiſcopo Rhemenſi, et D. Patricius de Ogilby juſtitiarius Scotiæ, miſſus regi Franciæ cum epiſcopo Abirdonenſi, ut præmiſſum eſt. Ut autem de qualitate iſtorum militum aliqua interſeramus, ſciendum eſt, quòd dominus de Dernley captus fuit ab Anglis in conflictu de Crevance apud Gallias, et uno lumine diſoculatus, et triginta millibus coronarum redemptus, et tanto cariùs appretiatus quanto cum rege Francorum ſpecialiùs commendatus. Qui ante hoc devicit Anglos ſæpiùs, et ſemel apud Broſignere, ubi ex parte Anglorum ceciderunt MCC. quorum ſex capitanei, et duo locum-tenentes; et CC. fugientes interfecti ſunt à Brigantibus: ubi capti ſunt * ſeptem capitanei, cum aliis generoſis centum et octoginta. Sicut enim D. Johannes Stewart comes Buchaniæ, filius D. Roberti ducis Albaniæ, gubernatoris Scotiæ, conſtabularius fuit Franciæ, ita iſte D. Johannes Stewart conſtabularius fuit Scotorum in Francia; qui fundavit notabile collegium Aurelianis, in honorem glorioſæ virginis Mariæ, unius præpoſiti, et alterius magiſtri ſcholarum, qui informabit certos pueros perpetuè chorizantes in ipſo collegio. Cujus fundationis occaſio fuit hæc; quòd in civitate Aurelianenſi intuitus eſt ipſe fundator quendam immanem lapidem, de quo cùm ſibi à dicentibus audierat, quòd nullus artifex ipſum lapidem cuicunque ædificio aptare poterat, ſicut ſæpiùs experiri tentabant: Et ego, inquit, in honorem noſtræ Dominæ, ſculpere faciam de eo imaginem ejus. Quod et factum eſt, præcellenti figurâ formata; in cujus honorem collegium fecit et dotavit.† Hic poſtea ab Anglis interfectus eſt.

CAP. XXVI.

De obſidione de Roxburgh.

POST cujus mortem dominus Patricius Ogilby effectus eſt conſtabularius Scotorum in Francia, magnificè apud regem et regnicolas appretiatus: qui apud Santlice, uno die, novem Scotos generoſos balteo militari præcinxit, viz. Alexandrum Berkley, et Laurentium Vernor, Walterum Leſly, Johannem Turnbole, Willelmum Roſſy, Thomam Lovale, Gilbertum de Hay, et Nicholaum King. Sed tandem, ad mandatum regis Scotiæ, domum reverſurus, in mari periit apud Pen-

*Ubi capti ſunt Johannes de Lepide, frater comitis de Southfolk, locum tenens inferioris partis de Normandy, et alii ſeptem capitanei et locum-tenentes, *MS. Cupr.* †Dehinc Hieroſolymis ſanctum ſepulchrum petiit, et poſtea, &c. *ibid.*

mark in le coſte de Bretanze. Qui fuit acer ingenio, clarus eloquio, virilis animo, et omni morum probitate conſpicuus atque fidus.

Eodem anno, circa feſtum quod dicitur Ad Vincula, tranſtulit ſe rex ad obſidendum caſtrum ſuum de Marchemond, i. e. Roxburgh: ad quod capeſcendum ſubmonuit indiſtinctè omnes ſeculares, tranſigentes annos diſcretionis, i. e. intra decimum ſextum et ſexageſimum, nullis excipiendis, præter paſtores et cuſtodes boum arabilium, et paucorum officiarium et ſervitorum prælatorum, et qui de neceſſitate et merito forent excuſandi. In iſta enim expeditione ſummabantur viri armatorum equeſtrium ducenta millia, præter pedites et carriagia, de quibus totidem et ultra feruntur eſſe recenſiti, qui per quindecim dies obſidioni vacabant, et nihil inibi laudis reportantes, ſed artilia et ſagittas quaſi totius regni temerè et incautè amittentes, infecto negotio inglorii ad propria noſtri remearunt.

Eodem anno legatus domini Papæ Eugenii intravit regnum, ante feſtum natalis Domini, vocatus Antoninus epiſcopus Urbinatenſis, et admiſſus per regem et clerum in concilio generali, apud villam de Perth inchoato, quarto die Februarii: ſed, propter præventam mortem regis, ſequenti principio Quadrageſimæ ſecutam, nihil legationis exercuit. Paululum ante hoc, ſciz. xvij. die Januarii, obiit dominus Robertus de Cardine epiſcopus Dunkeldenſis, qui navem eccleſiæ ſuæ de Dunkeld opere ſumptuoſo à fundamentis uſque fere tecturam conſtruxit, et in magno ſenio ibidem vitam terminavit, ſepultuſque eſt ſolemniter in interiore capella navis ad auſtrum. Cui per electionem ſucceſſit magiſter Jacobus Kenedy, nepos regis ex ſorore ejus comitiſſa Anguſiæ, qui inibi ſtetit pontifex per duos annos, et dehinc tranſlatus eſt ad epiſcopatum Sancti Andreæ. Cui ſucceſſit, ex proviſione Apoſtolicæ ſedis, ad requæſtum regis, venerabilis vir, et omni morum probitate conſpicuus, magiſter Alexander Lawedre rector de Ratho, frater uterinus recolendæ memoriæ domini Willelmi epiſcopi Glaſguenſis et regni cancellarii. Hic dominus Alexander fuit decus morum et cenſor virtutum, qui nondum conſecratus vix ſtetit per annum præſul. Qui tanto majoris triſtitiæ, non ſolùm clero, ſed et regno, reliquit materiam, quanto majore dote privilegiavit eum Altiſſimus, et prærogativa morum ſpecialioribus titulis decenter inſignivit. Hic obiit in Edinburgh, xj. die Octobris, A. Dom. MCCCCXL. et ſepultus eſt in eccleſia parochiali de Lawedre, loco ſepulturæ ſuæ parentelæ. Poſt quem electus eſt magiſter Jacobus Bruce rector de Kylmany, et conſecratus in Dunfermelyn iv. die Februarii, primâ dominicâ Quadrageſimæ, anno Domini MCCCCXLI. et primam Miſſam feſtivè celebravit apud Dunkeld, in feſto Sancti Adamnani, anno ſequenti. A. Dom. MCCCCXLVII. obiit cancellarius regni apud Edinburgh. Poſt quem electus eſt et confirmatus eodem anno magiſter Willelmus Turnbole, cuſtos ſigilli privati regis, in epiſcopum Dunkeldenſem. Eodemque anno effectus eſt epiſcopus Glaſguenſis. Cui, ex electione et curiæ confirmatione, nunc dictæ eccleſiæ Dunkeldenſi præeſt magiſter Johannes Raylſton, ſecretarius domini noſtri regis. Anno quo ſuprà, ſciz. Dom. MCCCCXXXV. fuit magna cariſtia; ita ut, in Jedwode-foreſt et Thevidalia, bolla tam farinæ quàm ſalis vendebatur pro XVIII. ſolidis.

CAP.

CAP. XXVII.

De proditioſa morte regis noſtri Jacobi primi.

ISTE igitur annus fatalis percuſſit iſtud nobile regnum, et nimium concuſſit: qualiter autem et quemadmodum, propoſui deferre per ſcriptum, eo quòd ſcribenda non occurrunt ad votum. Sed et nunc duplex me materia provocat ad ſcribendum. Illinc me virtutum ſuarum naturalium et moralium prærogativa ad ſermonem trahit; hinc ad ſingultum retrahunt damna communia. Nunc igitur lugubriora ſcripta depromere cogor, quæ tamen nimium contraria ſunt voto. Sed quia ſors habet humana ſolvere debita morti, mors tamen amara ſorti non parcit humanæ, (genera ſingulorum, et ſingula generum, in carne viventia ſub ſua lege concludens) ecce regem noſtrum caſus fatalis extremitati regiminis ſubjecit, et tenuis ſolutionis anticipans terminum ante diem, ſi Deus dediſſet, extorſit debitum, dum adhuc ordiretur, tela interciſa. Veram igitur ſententiam ſentio dicentis, " Subitò cùm non " ſuſpicatur infortunium accidit, calamitas irruit, morbus invadit, mors " intercipit, quam nullus evadet." Hanc infortunabilem mortem, ut dicitur, regi intulit patruus ſuus comes Atholiæ inveteratus dierum malorum, qui latenter, ut dicitur, aſpirabat ad regni apicem nanciſcendum. Propter quod, ut poſtea ad notitiam devenit, auctor et inſtinctor fuit ac conſiliarius præcipuus ad perdendum ducem Rothſaiæ, necnon ducem Albaniæ Murdacum, et ejuſdem binos filios. Qui ipſi comiti, vitâ comite, ſi ſors ſuſtineret, de jure regno præficerentur. Ipſe etenim, ut confeſſum eſt, inſtruxit nepotem ſuum Robertum Stewart, et Robertum Graham, cum nonnullis aliis complicibus, ad ipſum regem ſicariè occidendum, ut vel ſic ipſe quaſi imperceptibiliter regni gubernacula conquireret; et de filio regis, tunc ſeptenni, ad libitum, quamvis non ad licitum, tractaret, ut ad minus cum futuro rege ipſe conſors eſſe putaretur. Sed, ut ſcribit poëta LUCANUS,

Nulla fides regni ſociis, omniſque poteſtas
Impatiens conſortis erit. Nec crede conſorti.
Fraterno primi maduerunt ſanguine muri.

Præmiſſus igitur Robertus Stewart, nepos comitis Atholiæ, domeſticus intimior et conſanguineus regi familiarior, de quo verificatur, *Nulla pejor peſtis quàm familiaris inimicus*, cum dicto Roberto Graham, et ſeptem aliis, de nocte, infra ſacrum tempus Quadrageſimæ, xxj. die Februarii, regni ſui XXXII. anno, vitæ verò XLIV, infra monaſterium fratrum prædicatorum de Perth, crudeliter et inſidioſè proditores peſtiferi, reginâ etiam graviter vulneratâ, primò cubicularium ſuum Walterum Straiton, adoleſcentem extra cameram à rege miſſum ad cellam pro vino, deinde ipſum regem, occiderunt. Nec fuit de ſuis qui eidem opem contulerint, vel ad vindicandum pro tunc mortem ejus ſe poneret, præter D. David de Dunbar militem, fratrem domini Georgii comitis Marchiæ, qui, auditâ ſeditione, de villa feſtinavit, thalamum regis, proprio cruore volutati et exanimis, intravit, et ipſos, poſt perpetrati ſceleris flagitium, extracto enſe, inſequens, ab eiſdem manu ſiniſtrâ quaſi cunctis digitis mutilatus, graviter vulneratus abſceſſit.

CAP.

CAP. XXVIII.

De deſcriptione et virtutibus ejus.

IN igitur hujus illuſtriſſimi regis noſtri morte doloroſa, quotquot regnicolæ ſumus, bibimus de calice amaritudinis, quem propinavit nobis Altiſſimus. Cujus hauſtu bibulo inebriavit nos abſynthio, et felle potavit mors ejus æmula. Quem ad huc dum ordiretur tela vitæ, dominus pro velle ſuccidit, cum abbreviato ordinario vitæ curſu. Antequam ad ſenilem creſceret ætatem, mors præcurrens ipſum nimis tempeſtivè rapuerat, et raptum feſtina in Cartuſii ſanctuario receperit ſepultura. Heu! Adæ peccatum et noſtrum, propter quod immortalitatis exutus aptitudine, moriendi inevitabili neceſſitate, non ſolùm ipſe, ſed in ipſo omnis ſua poſteritas ſententialiter ſunt addicti. Et ſic de radice corrupta corrupti proceſſere ramuſculi, et de parentis vitio notam progenies ſubſecuta contraxit, ut ex acerbitate uvæ, quam parens comederat, filiorum dentes in poſterum obſtupeſcant. Unde mors, tributum, ſibi in humano genere ſic univerſaliter conſtitutum, ſine perſonarum delectu, à ſingulis exigens, hoc à legifero noſtro rege Jacobo præterire noluit non exactum, dum ipſum nuper, ſi fas ſit dicere, tam importunâ impietate conveniret, et tam oneroſâ immanitate exigeret, ut ſui regiminis tempora breviori, quàm expediret, curriculo terminaret, non ſolùm in amaram ſuæ regiæ peculiaris ſanguinitatem familiæ, ſed in univerſorum trium ſtatuum tam ſalubris conſultationis quàm piæ ſubventionis carentiam et defectum. Hic enim valde circumſpectus erat et induſtrioſus, præſtans virtute et ingenioſus; de cujus probitatis et virtutis præconio, non quidem de ſingulis generum, ſed de generibus ſingulorum, breviter conferamus. Fuit enim ſtaturâ mediocris, paulo minus brevis, corpore conveniens et oſſibus groſſus, artubus fortis et incredibilis vigoris, ita ut ultrò ad colluctandum ſecum laceſceret quemcunque ſtaturâ procerum, hoc tamen maximè timens, ne in tali colludio timeretur: optimus arcitenens, et haſtiludiator gnarus; ultra communem uſum hominum lapidis jactor et mallei projector: tanquam alipes velociſſimus curſor, eques ſtrenuiſſimus et viator. Hic etenim in muſica, non ſolùm in ſono vocis, ſed et in artis perfectione, quemadmodum in tympano et choro, in pſalterio et organo, tibia et lyra, tuba et fiſtula, non inquam avide ad uſum, ſed ad ſummæ perfectionis magiſterium, natura creatrix quædam vis et potentia divinitùs humano generi inſita, ultra humanam quodammodo æſtimationem, ipſum vivaciter decoravit, præſertim in tactu citharæ, tanquam alterum Orpheum, principem et prælatum omnium citharœdorum citharizantium in citharis ſuis delectabiliter et dulciter illum prædotavit. In hoc patuit ipſum naturalem fore Scotum, ipſos etiam Hibernienſes in modulationibus lyricis mirabiliter præcellentem. De quibus congratulando, propter hujuſmodi artis peritiam, loquitur auctor de mirabilibus Hiberniæ, diſtinctione tertiâ, dicens:

CAP.

CAP. XXIX.

Quòd peritus fuit in arte muſicali.

IN muſicis inſtrumentis commendabilem invenio gentis iſtius diligentiam; in quibus, præ omni natione quam vidimus, incomparabiliter inſtructa eſt. Non enim in his, ut in Britannicis, quibus aſſueti ſumus, inſtrumentis tarda et moroſa eſt modulatio, verùm velox et præceps, ſuavis tamen et jucunda ſonoritas, miraque in tanta tam præcipiti digitorum rapacitate muſica proportio, et arte per omnia indemni, inter criſpatos modulos organaque multipliciter intricata, tam ſuavi velocitate, tam diſpari paritate, tam diſcordi concordiâ, conſona redditur et completur melodia, ſeu Diateſſerone ſeu Diapente chordæ concrepent, ſemper tenera Bemol incipiunt, et in Bemol redeunt, ut cuncta ſub jucunda ſonoritatis dulcedine compleantur. Tam ſubtiliter modulos intrant et exeunt, ſicque ſubtuſo groſſioris chordæ ſonitu gracilium tinnitus licentiùs ludunt, latentiùs delectant, laſciviúſque demulcent, ut pars artis maxima videatur arte velari, tanquam ſi latens ferat ars depreſſa pudorem. Hinc accidit, ut ea, quæ ſubtiliùs intuentibus, et artis arcana diſcernentibus, internas et ineffabiles comparant animi delicias; ea non attendentibus, ſed quaſi videndo non videntibus, et audiendo non intelligentibus, aures potius onerent quàm delectent, et tam confuſo inordinatoque ſtrepitu invitis auditoribus faſtidia pariant tædioſa. Olim dicebatur, quòd Scotia et Wallia Hiberniam in modulis imitari æmulâ nitebantur diſciplinâ. Hibernia quidem tantùm duobus utitur et delectatur inſtrumentis, citharâ ſciz. et tympanâ; Scotia tribus, citharâ, tympanà et choro; Wallia, citharâ, tibiis et choro. Æneis quoque utuntur chordis, non de inteſtinis vel corio factis. Multorum autem opinione hodie Scotia non tantùm magiſtram æquiparavit Hiberniam, verùm etiam in muſica peritia longè jam prævalet et præcellit. Unde' et ibi quaſi fontem artis jam requirunt. Hæc ibi. Venerunt itaque peritiores arte illâ de Hibernia et Anglia, et de incomparabili præcellentia et magiſterio muſicæ artis regiæ admirantes, eidem præ ceteris gradum attribuunt ſuperlativum. Ceterùm quàm diu hujus regni orbita volvitur, ejuſdem prædicabilis practica, laudabilis rectoria, et præcellens politia accipient præconii incrementum.

CAP. XXX.

Adhuc de virtutibus regis noſtri.

ET non ſolùm hujuſmodi arti muſicæ per intervalla inventus eſt indulgere, ſed, pro qualitate temporis et conſonantia morum horum qui ejus præſentiam regiam et ex intimis affectabant, abſque aliquali deſidia, nunc operi artis literatoriæ et ſcripturæ, nunc protractioni et picturæ, nunc in jardinis herbarum et arborum fructiferarum plantationi et inſerturæ, nunc honeſtis ludis et ſolatiis, ad refocillandum ſuorum ſequacium animos, ſine offendiculo, complacenti inſtabat curæ. Nec enim ipſius regiam magiſtatem deterruit in quacumque arte mechanica, honeſtis perſonis congrua, diſcendi labor vel ſcientia, qui graviùs neceſ-

ſitate ingruente ſolet affligere generoſos: ſed quodam modo rex, humilitatis et ſcientiæ gratiâ, contra conſuetum, ſine alterius violentia, ſe ſibi præfecit pædagogum et coactorem. Incredibili æſtu amabat ſcientiam ſcripturarum. Amabat et exercitium diverſarum et laborioſarum practicarum. Unde tranſlatus in Angliam, tanquam alter Joſephus ductus in Ægyptum, etſi linguam quam non noverat audivit, artes tamen mechanicas, et ſcientias morales, quas non noverat, didicit et intellexit. Unde Dominus erat cum eo, per quem erat vir in cunctis proſperè agens. Teſtatur hoc ſua mirabilis ſolertia in regione aliena, in qua præſumptum erat, ipſum olim nunquam cum libertate reverſurum ad propria, pro eo quòd rex Angliæ Henricus V. conatus fuit ſubigere ſe et regnum Scotiæ ſuæ ditioni, et perpetuæ ſervituti, ſicut patet per literas, regi noſtro per eundem traditas, ad conſentiendum præmiſſis, vel perpetuè carceribus deputari; quod potius elegit, quàm regnum Scotiæ ſervituti ejus ſubjicere, ſicut patet per eaſdem patentes, quarum tenor talis eſt:

Henricus, Dei gratiâ, rex Angliæ et Franciæ, dominus Hiberniæ, Jacobo regi Scotorum, ſalutem, et ut debitè faciatis quæ hortamur. Quomodo anteceſſores noſtri et progenitores, reges Angliæ, jure ſuperioritatis et directi dominii, ab antiquiſſimis retroactis temporibus, viz. à tempore Locrini filii Bruti, regno Scotiæ et ipſius regibus in temporalibus et annexis eiſdem præfuerunt; et ab ipſis regibus pro regno Scotiæ, et ejuſdem regni proceribus, à quibus habere volebant, liegium homagium et fidelitatis juramentum receperunt, vos latere nullatenus dubitamus. Et, ex quo iidem anteceſſores et progenitores noſtri, à dictis temporibus et citra, in poſſeſſione juris et dominii prædictorum vel quaſi fuerunt; Nos, eorundem juris et dominii poſſeſſionem continuantes, nihil novi innovantes, ſed jura et prærogativas coronæ noſtræ ſervare volentes illæſa, prout ad id, ex virtute per nos præſtiti juramenti, ſumus obligati: Idcirco vos tenore præſentium requirimus, monemus, et hortamur, quatenus, conſideratis Chriſtiani ſanguinis effuſione aliiſque periculis et damnis, quæ ex præmiſſis, ſi non fierent, poſſent veriſimiliter evenire, nobis homagium et fidelitatem prædictam facere, prout prædeceſſores veſtri, juſtè et legitimè reges Scotorum, et præſertim Wſllelmus, qui Henrico ſecundo et Johanni filio ſuo, et Alexander, qui Henrico tertio attavo et Eadwardo tritavo noſtris, et Johannes de Balliolo, qui eidem, Eadwardo regibus Angliæ, his quaſi noviſſimis temporibus fecerunt; die Lunæ, xxiij. die menſis præſentis Auguſti, apud Edinburgh, (ubi tunc et ob hanc cauſam, et etiam propter pacem et tranquillitatem regnoum Angliæ et Scotiæ, eſſe intendimus) futuro veniatis, et vos omnes prælatos et proceres regni Scotiæ ad eoſdem diem, locum et actum venire faciatis. Certificantes vos et ipſos, quòd, non ex præſumptione ſeu elatione cordis noſtri, ſed ut vos ad debitum, quo nobis aſtricti eſtis, inducamus, requiſitionem hujuſmodi facimus, et vos hortamur. Etiam affectantes, quòd citiùs et libentiùs, cauſâ et vigore iſtius noſtræ requiſitionis, homagium et fidelitatem, nobis debita, faceretis, quàm (contumaciâ et rebellione veſtris id cauſantibus) ad extendendum brachium potentiæ noſtræ provocaremur. In clementia ſummi Judicis, qui tribuit unicuique quod ſuum eſt, confidentes, ſperamus

ramus, ut ipſe (veſtris rebellione et obſtinatiâ perſeverantibus) ad conſervationem juris noſtri, et confuſionem æmulorum noſtrorum et rebellium, in proſperitate dirigat actus noſtros. In cujus rei teſtimonium has literas fieri fecimus patentes, apud villam de Novo-caſtro ſuper Tyne, die ſexto Auguſti, anno regni noſtri primo.

Ad proceres Scotiæ.

Henricus, &c. univerſis ducibus, comitibus, aliiſque proceribus regni, ſalutem, et ut debitè faciatis quæ hortamur. Ea propter nos regem Scotorum, per noſtras certi tenoris literas, requiſivimus, monuimus, et hortabamur, quatenus, conſideratis Chriſtiani ſanguinis effuſione aliiſque periculis et damnis, quæ ex præmiſſis, ſi non fierent, veriſimiliter poſſunt evenire, nobis homagium et fidelitatem prædictam, (prout prædeceſſores ſui, juſtè et legitimè reges Scotorum, regibus Angliæ, progenitoribus noſtris, à retroactis temporibus conſueverunt) die Lunæ, xxiij. præſentis menſis Auguſti, apud Edinburgh, (ubi tunc ob hanc cauſam, et etiam propter pacem et tranquillitatem regnorum tam Angliæ, quàm Scotiæ, eſſe intendimus) facturus veniat, prout in noſtris literis, inde confectis, pleniùs continetur. Cùm ergo in actis noſtris inter reges Angliæ et Scotiæ, qui fuerunt, habitis, inter cetera reperimus, quòd è vobis, à quibus rex Angliæ voluerit, ſibi liegium homagium et fidelitatis juramentum facient et præſtabunt; idcirco vos omnes et ſingulos, tenore præſentium, requirimus, quatenus præfatum regem Scotiæ ad faciendum præmiſſa inducatis. Et, ſi ipſe veſtris exhortationibus noluerit aſſentire, vos nihilominus, dictis die et loco, coram nobis compareatis, liegium homagium et fidelitatis juramentum nobis facturi, ceteraque acturi quæ qualitas acti exigerit, et de jure fuerint facienda. Alioquin juſtitiam noſtram proſequi intendimus, prout de jure meliùs poſſumus, et divinæ placuerit majeſtati. In cujus rei teſtimonium, &c.

Hæc litera non fuit proceribus regni præſentata.

Ubi etiam non multâ, quinimmò paucâ vel nullâ, proprii redditûs ſtipe ſuffultus, à natali ſolo in externa regione conſtitutus, quod quidam gradus eſt ad ſcientiam, ob amorem diſcendi occaſionem dedit ad ſtudendum. Ipſe etenim non ſolùm erat naturali ingenio callens, ſed et morali philoſophiâ multis etiam claræ ſcientiæ viris præditus et prædoctus, qui in tantum philoſophiam et ceteras artes liberales in regno ſuo introduci affectans, quòd, ad ipſius inſtantiam, multiplicatis interceſſionibus, et diverſis literis propriâ manu cancellatis et ſignatis, cùm tamen ipſe pro tunc in captivitate fuerat detentus, pro privilegiis Univerſitatis in ipſo regno fiendæ ſummo pontifici ſcripſit et obtinuit. Suæ ſiquidem regiæ ſolertiæ convenire ſentio, quod ſcribit Alexander de naturis rerum; O felicia antiquorum tempora! in quibus ipſi imperatores, mundum regentes, ſeipſos philoſophiæ dederunt, ut patuit de Alexandro Macedone, de Julio Cæſare, de Ptolemæo rege. Cujuſlibet enim regni gloria crevit in immenſum, quamdiu artium liberalium ſtudia in ipſo floruerunt. Victoria enim militiæ et gloria, quoque philoſophiæ quaſi ſimul cucurrerunt; et meritò, quia philoſophia vera docet juſtè et rectè regnare. *Per me* enim *reges regnant*, ait Sapientia. Unde quidam;

Regna

Regna beata forent, ſi vel contingeret eſſe
Philoſophos reges, vel reges philoſophari.

CAP. XXXI.

Adhuc de eodem.

PRæterea namque in his, quæ ſunt virtutum etiam cardinalium opera, utpote prudentia et juſtitia, fortitudo et temperantia, et hujuſmodi, quæ ſinceræ mentis exhibent efficaciam, exſtitit et etiam in corporali, ut præmiſimus, exercitatione laborator ſtrenuiſſimus. Nam, pro acquirendis vel tuendis religioſorum, aliorumque ſubditorum et liegiorum, neceſſariis, utrobique infra regnum, cauſâ exigente, in propria perſona ipſorum loca ſive monaſteria frequentiùs adibat, et, pace inibi reformatâ, divertit ſe ad alia, quæ reipublicæ utilitati ingruerant convenientia. Omnes eccleſias et religioſorum ordines, pro qualitate viventium, videbatur æqualiter diligere et fovere, religioſas perſonas et eorum vitam religioſam, ut audivit, collaudans. Et, ſiqua fortè minus laudanda inter eos inveniens, charitativè et ſeorſum arguens et verecundè diſſimulans placidè non pertulit, donec qualicunque viâ accommodâ ad normam vivendi inflecterentur. Igitur, ut omnia ordinatè inter religioſos agerentur, poſtquam de captivitate ad propria eſt reverſus, audito quòd religioſi ſui regni abutebantur tenere ſua capitula generalia, prout de jure communi et etiam de facto in Anglia obſervatur, dolore quodam ſaucio tactus intrinſecus, et religioſo zelo inductus, ſcripſit ſuam literam omnibus prælatis ordinum Benedicti et Auguſtini, quos infra regnum ſpecialiter tangit hujuſmodi obſervantia, regaliter et charitativè ſub hac forma:

CAP. XXXII.

De bona litera regis Jacobi primi religioſis directa.

JACOBUS, Dei gratiâ, rex Scotorum, venerabilibus in Chriſto patribus, abbatibus et prioribus ordinum et regularium Sanctorum Benedicti et Auguſtini, ſalutem, et ad perfectionis ſublimiora conſcendere incrementa. Caſus procliviorque minaciorque ruina ſacræ religionis, à primæva ſuæ inſtitutionis fundatione indies declinantis, ſolicitare nos compellunt, ut veſtros torpentes animos, et ſomnolentiæ ſuæ ignaviam acriùs excitemus. Proinde expergiſci vos convenit, et ad cor reducere, quatenus in regno noſtro monaſticæ religionis perfectio quammaximè remiſſa, prælatura ad exterminium tendit, ubilibet defamata in opprobrium redacta eſt; quaſi olim mater Jeruſalem, à degeneribus filiis contempta, et ab ignobilibus patribus repudiata, et ipſa nimirum, quod dolenter referimus, amaritudine repreſſa, ad terram ſupina proſternitur proſtituta. Contra cujus miſerandam, immo miſerabilem, jacturam clamat in aures Domini filia Sabaoth, ſancta Sionis eccleſia, quòd, angelico reſpectu nitens olim ejus regularis diſciplina, terribilis ut caſtrorum acies ordinata, ſui vobis aufert imaginem, per diſſolutionis patres et indiſciplinatos filios, eo quòd, veſtris perniciosis opere et exemplo, ſqualida nimis et compaſſione digna, contumeliis affecta relinquitur et afflicta.

afflicta. Ob igitur hæc et præmiſſa, noſtra anima ſauciatis præcordiis et dolore cordis tacti intrinſecus, cupientes ſummoperè quantocius præmiſſa reformari, veſtras religioſas paternitates, in viſceribus Jeſu Chriſti exhortando, requirimus et monemus, quatenus excuſationibus in peccatis et dilationibus quibuſcunque ſemotis, ad reformationem hujuſmodi veſtræ ſacræ religionis, nimium, ut præmiſimus, collapſæ, loco et tempore congruis, convenire ſtudeatis, et, diligenti conſideratione atque maturo tractatu adhibitis, vias accommodas ſecundum Deum reperire procuretis, præcipuè in capitulis generalibus celebrandis, quemadmodum ad ſuum ſtatum priſtinum religionis fervor valeat faciliùs reſpirare. Ne, ob veſtræ incuriam diffidiæ, regalis munificentia, quæ olim, pro conſervatione ſui et ſubditorum ſalute, veſtra monaſteria priſcis temporibus notabiliter dotavit, nobiliterque ditavit, pœniteat ſe muros marmoreos erexiſſe, cùm perpenderit vos religioſos mores tam impudenter amiſiſſe. Itaque viriliter exſurgat contra hanc ignominioſam peſtem ſancta ſeveritas, ut, fervore ſpiritûs ampliùs concepto, rigor diſciplinalis omnes hujuſmodi occaſiones amputet diſſolutionis, attendentes quòd, ubi gubernaculum diſciplinæ contemnitur, nihil ſupereſt, niſi quòd religio naufragetur. Nos igitur, attentos vos reddere volentes, intendimus, dum præmiſſis ſtudueritis, operam impendere, vos et facta veſtra, ſecundùm Deum, per omnia regali munimine dirigere et defenſare; contradictores, ſi qui fortè fuerint, in quantum tenemur, compeſcere et propulſare: vos etiam tales oratores, qui pro noſtro regio ſtatu intercedant, habere gaudebimus. Quibus ſemper regni noſtri proſperabuntur honor et profectus. Veſtras paternitates inſpiret Altiſſimus ad veſtræ religionis cultus, et ſecundùm Deum ſucceſſus proſperos et votivos. Dat. ſub teſtimonio ſigilli noſtri privati in parliamento noſtro apud Perth xvij. die menſis Martii, anno regni noſtri decimo nono.

CAP. XXXIII.

Quòd ſummam tranquillitatem et pacem introduxit regno.

FEcit enim multa bona in vita ſua, regno perpetuè profutura. Unde cùm ſibi conſtiterat regnum Noricis obligari pro inſulis in inæſtimabilem ſummam, à multis retroactis temporibus inſolutam, miſit rex ſuum militem intimum dominum Willelmum Creichton, et magiſtrum Willelmum Fowles cuſtodem ſui ſigilli privati, cum honorabili familia, regi Norwegiæ in ambaſſata; ubi ſic per inſtructionem et induſtriam regis actum eſt, quòd de præteritis quitantiam reportarunt, et ab hinc ſolveretur tantùm annuatim niſi ſumma centum librarum Sterlingorum.

Fecit etiam pacem inter regnum noſtrum et Hollandos, qui, ante reditum ejus de Anglia, mercatoribus Scotiæ intulerunt innumerabilia damna. Firmam pacem ſtabilivit in regno. Nec magnates vel mediocres inter ſe rixantes paſſus eſt aliquatenus compertâ diſcordiâ, ut aſſolent, deſævire. Sed ubicunque etiam et in finibus regni audierat oriri diſcordias, ſtatim ad ſcripturam breviloquam, ſub ſigneto miſſam, ſopitæ ſunt; quia in tantum regnicolæ timebant eum offendere, quòd nuſquam reperiebatur tam alti cordis et potentiæ vir, qui præcepti ſui ſcripturæ, vel etiam nuntio verbali, contradicere fuerat auſus vel reniti.

Quòd ſi quis obſtiterat, ſtatim pœnam luit: ſicut de facto accidit, ſtatim poſt adventum ejus ad regnum, quòd quidam, in malefactis famoſus, de tranſalpinis partibus rapinam fecerit de duabus vaccis à quadam paupercula Sunamite. Quæ ab ambrone querulis rogatibus reſtitutionem petiit de ſpolio, aliàs ſeipſam conſtrinxit juramento, ſe nequaquam calciari, donec regi conqueſtionem de eo faceret. Mentieris, ait raptor mulieri, antequam præſentiâ ejus potieris, te faciam calciari. Et incontinenti cum quodam malleolo, et clavis ferreis, affixit plantis pauperculæ duas ferraturas equi. Nunc, inquit, calciata recedas, et in optione tua ſumas, an loquelam gemitus effundas, vel de me regi tuo conqueras. Quæ, poſtquam ſanata de læſione convaluit, regem adiit, facti ſeriem retexuit, et, in argumentum querelæ, cicatrices vulnerum in pedibus oſtendit. At rex confeſtim accito curſore ſcripſit vicecomiti et magiſtratibus, in cujus vicecomitatu raptor reſidebat. Qui mox ligatum regi præſentari fecerunt reum apud Perth. Ubi de roborea et maleficio convictus, ſtatuit ipſum rex collobio lineo contegi, in quo depicta fuit hominis imago, connectens quaſi ferraturas equi plantis mulieris: et ſic continuè binis diebus per vicos villæ, ad ſpectaculum intuentium, circumduci ligatum, deinde ad caudam jumenti trahi et patibulo ſuſpendi fecit. Conſultè itaque fecit rex, quòd tam acriter in principio tam patulum facinus punivit. Quia, ut ait CASSIODORUS, occurrendum eſt in principio, ne tractu temporis impunita malitia convaleſcat, et vires iniquitati diſſimulatio vel indulgentior gratia ſubminiſtret, ſed clariùs audita correctio doceat imperitiam, et compeſcat audaciam. Scivi etiam, propter quod loquor, quendam magnum nobilem, regis conſanguineum propinquiorem, in curia regis reſidentem, neſcio quâ occaſione, ſed quia in aula regis alteri dedit alapham, rex ipſam manum ferientem ſuper tabulam commenſalem extendi juſſit, et juveni illi alaphizato cultellum tradidit, præcipiens, ſub pœna mortis, ut illam manum ſic cancellatam feriret, et volam perforaret. Quo audito, regina cum dominabus, prælati cum clericis, ad terram proſtrati, vix per horæ ſpatium remiſſionem reo obtinere valebant, percuſſore nihilominus ad tempus tam à curia, quàm à præſentia regis, ſequeſtrato. Ad memoriam fortè ejus pervenerat quod, libro de moribus, ſcribit SENECA, dicens: " Vitia tranſmittit ad poſteros, qui præſentibus culpis ignoſcit. Bonis " nocet, qui malis parcit."

CAP. XXXIV.

Quàm felici pace omnes regnicolæ gaudebant in vita regis.

SEdebat igitur tunc populus in opulentia pacis, à raptoribus ſecurus, in jucunditate cordis, ſerenitate mentis, et tranquillitate animi: eo quòd rex ſapienter è regno pepulit ſimultates, compeſcuit rapinas, diſcordes ſedavit, et inimicos concordavit. In hoc enim, ut ſcribit CASSIODORUS, virtus regis extollitur, et gratia ejus ſervatur, ſi in æquitate pacis populum dirigat, et in juſtitiæ vigore conſervet. Hæc enim eſt bonarum artium mater decora. Hæc mortalium genus reparabili ſucceſſione multiplicans facultates, et tantarum rerum ignarus cognoſcitur, qui eam minimè quæſiſſe ſentitur. Tale bonum, inquit AUGUSTINUS,

eſt

eſt bonum pacis, ut in rebus creatis nil gratioſius ſolet audiri, nil delectabilius concupiſci, et poſtremò nihil utilius poſſideri. O qui nunc his diebus tranquillitatis et pacis caremus beneficiis! quàm lætanter vidiſſemus, et gratanter ſolito more recepiſſemus jucunda pacis jocalia! Sed et ipſum amatorem et conſervatorem pacis regem nunc amiſſum, quem tamen modico reſpectu inſtantis ſeculi appretiabamur, viventem vidiſſemus libentiùs ſi licentiùs, totiſque perſonam ejus amplexibus ſtrinxiſſemus. Sed, ut ait HILDEBERTUS,

Hoc eſt hîc homines ſemper cum tempore labi,
Et ſemper quâdam conditione mori.
Eſt hominis nudum naſci nudumque reverti
Ad matrem, nec opes tollere poſſe ſuas.
Eſt hominis putrere ſolo ſaniemque fateri,
Et miſeris gradibus in cinerem redigi.

Ubi eſt ergo nunc, ô rex, quo te videbimus? ſed unde eſt, quo te, ſicut ſolito, audiemus, quando, ut primo die ingreſſionis tuæ ad regnum de Anglia, cùm relatum tibi fuit à dicenti de negligenti regni gubernatione, furto, fraude et rapinâ expoſiti, dicebas voce virili; Si Deus mihi vitam dederit, ipſo auxiliante, et vitam ſaltem mihi caninam præſtante, faciam per univerſum regnum clavem caſtrum, et dumetam vaccam, abſque poſſeſſoris ambiguo ad modum cuſtodire? Quæ omnia pro tempore ſuæ gubernationis, ut præmiſerat, feliciter contigerunt.

Tunc nova gloria pectora ſobria clarificabat,
Solvit ænigmata, veraque ſabbata continuabat.
Patria luminis, inſcia turbinis, inſcia litis,
Cive repleta eſt, civeque læta eſt Iſraëlitis.
Patria ſplendida, terraque florrida, libera ſpinis,
Fida fidelibus eſt ibi civibus, hîc peregrinis.
Pax erat omnibus illa fidelibus, illa beata,
Irreſolubilis, invariabilis, intemerata.
Pax ſine crimine, pax ſine turbine, pax ſine rixa,
Meta laboribus atque tumultibus anchora fixa.
O bona patria! num tua gaudia priſca videbo?
Dic mihi flagito, verbaque dicito, dicque Videbis, &c.

CAP. XXXV.

Hîc deſlet autor ſeculum nequam, et regnum ſine rectore.

AUrea ſecula pacis et oſcula deperiere.
Secula perfida, ſecula fætida ſunt modo vere.
Secula fætida non voco ſordida, ſed voco ſordem.
Sordibus affiua non voco mortua, ſed voco mortem.
Perdita ſecula, moribus æmula nunc valuerunt,
Sunt ſine nomine qui ſine crimine vivere quærunt.
O mala tempora! perfida pectora nobilitantur:
Fraude carentia, criminis inſcia, bruta vocantur.
Fraus ore ſupplice, fraus dupla duplice tincta colore,
Fert dupla pallia, continet impia corde, mel ore.

Nunc

Nunc Venus æſtuat, ira tumultuat, æs dominatur;
Norma relinquitur, unio ſcinditur, ordo fugatur.
Stat petulantia, deeſt reverentia, luxus inundat;
Sobrius indiget, hypocriſis viget, error abundat.
Flet ſacra regula, venditur infula, Simon amatur;
Fictio judicat, aureus emicat, marca minatur.
Gratia deperit, et pudor interit, occidit ordo;
Ordo relinquitur, et malè pſallitur in decachordo.
Falſa dat oſcula, vera pericula, frater amico;
Lex ſacra rumpitur, et malè ſubditur æquus iniquo.
Sermo Dei tacet, ordo perit, placet alea fati;
Eſſe pium pudet, omnis homo ſtudet impietati.
Per caput iſtius iſte, per illius ille licenter
Jurat, et abnuit omne quod eruit irreverenter.
Per ſua lumina, per ſacra numina, per crucifixum,
Jurat alacriter atque procaciter urget idipſum.
Pejerat heu! leve ſicque lucrum breve fert homo fictus.
Nec ſibi criminis ultio fulminis irruit ictus.
Ceſſit epiſcopus, eſtque Dei domus abſque decore;
Zelus et igneus arcus et æreus abſque rigore.
Reſpice, reſpice nos patris unice virgine nate;
Da mala plangere, da mala ſumere, da tua, da te.
Aurea tempora primaque robora redde, rogamus:
Nos modo dirige, poſt modo collige ne pereamus.

Væ igitur nobis miſellis! rapinis et ærumnis expoſitis, quomodo licebit nobis vivere, qui pridem tam felicibus ſucceſſibus, diebus hujus inclitiſſimi noſtri regis, fuimus participes, et nunc, fortunâ axem verſante, contrariorum ſumus expertes! Verum quia Dominus dedit, Dominus abſtulit, voluntati ejus conformemus et noſtram, in eo conſolationis remedium aſſumentes, qui poteſt dejectos erigere, et à mœrentibus omnem lacrimam extergere, qui poſt tempeſtatem tranquillum, et poſt nubilum dat ſerenum. Sed nunc et ad tempus quomodo lacrimas continere valemus, rememorantes dies priſtinos hujus inclitiſſimi regis, quando nec in curia magnatum vel præſulum, comitum vel baronum, fuit opus cum armis incedere, quando diebus ſuis per totum regnum alicubi non inveniebatur lancea in equitura elevata, niſi ſolùm haſta regia? cui honorabilis et pendula affixa fuit gittona ſignifera, propter quod occurrit nunc memoriæ quod VALERIUS de memorabilibus dictis ſcribit, dicens: Maſſilienſium oppidum nulli cum telo intrare licebat, ut hoſpitia ſua, quemadmodum advenientibus humana erant, ita ipſis quoque tuta eſſent. Tunc equidem aderat illa aurea ætas, de qua præcecinit propheta ISAIAS, dicens: " Venite, aſcendamus ad montem et " ad domum Jacob, et docebit nos vias ſuas, et ambulabimus in ſemi- " tis ejus. Et judicabit gentes, et arguet populos multos; et conflabunt " gladios ſuos in vomeres, et lanceas ſuas in falces. Non levabit gens " contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium. Domus " Jacob venite, et ambulemus in lumine ejus." Hæc ille.

CAP.

CAP. XXXVI.

Quòd convenit reges habere fortes lateri ſuo aſſidentes.

IN tantum exercuit pacis ſchemata, quòd in die ſui funeris oblitus erat ſecum habere virorum fortium præſentiam et ſolatia. Et quia omnia ſuccedebant ſibi feliciter ad votum, nihil formidabat ſibi fore contrarium. Sed, ut ait AUGUSTINUS, magnæ virtutis eſt cum felicitate luctari, ne illiceat, ne corrumpat, ne ipſa ſubvertat felicitas; magnæ, inquam, virtutis eſt cum felicitate luctari, ſed majoris felicitatis eſt à felicitate non vinci. Exemplo igitur hujus diſcant reges, ut ſecum habeant collateraliter electos viros, quos nunquam patiantur à ſua præſentia abeſſe: quia magnæ providentiæ et cautelæ eſt prævidere illis, quæ, quamvis rarò, etiam interdum evenient dum non ſperantur. Et,

Felix quem faciunt aliena pericula cautum.

Quia, ut docet OVIDIUS de remedio amoris,

Cùm feriant unum, non unum fulmina terrent:
Uno percuſſo, turba pavere ſolet.

Ubicunque ergo, ut ait AUGUSTINUS, fuerit providentia, fruſtrantur univerſa contraria. Ubi autem providentia negligitur, omnia contraria dominantur. De regibus mundi potentioribus, fortioribus et ſapientioribus, legimus, eos ſemper conſtipatos fuiſſe non ſolùm die, ſed potiſſimè nocte, electorum fortium manu armatâ. Unde de ſapiente SALOMONE dicitur; "En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambi-"unt ex fortiſſimis Iſraël, omnes gladios tenentes, ad bella doctiſſimi, "unuſquiſque enſem ſuper femur ſuum propter timores nocturnos." Legimus etiam de invictiſſimo rege Carolo Magno, quòd circa lectum ejus, per ſingulas noctes, aſſiduè centum viginti fortes viciſſim tripartiti ad cuſtodiam ejus deputabantur, ut patet ſuprà lib. III. cap. lx. Legimus etiam opulentiſſimum regem Aſſyriorum Sardanapallum, quòd non curabat circa ſui cuſtodiam habere fortitudinis viros: propter quod præfectus ipſius Medis præpoſitus, nomine Arbactus, ſuper eum irruit, et indefenſum trucidavit, qui, in regem ſublimatus, regnum in Medos tranſtulit ab Aſſyriis, ut patet ſuprà lib. II. c. xviij. pro iſto vide ſuprà lib. IV. cap. xxviij. et lib. IX. cap. liv. Iſto modo, ut creditur, propoſuit comes Atholiæ, quòd, rege è medio ſublimato, ejus ſublimaretur in ſolio. Quia, ut communiter dicitur, habebat autoritatem per magna tempora, ex inſtructione cujuſdam mulieris ſortilegæ, ipſum cum magna ſolemnitate debere diademate ſpectabili coronari. Quod utique advenit, ad modum illius, de quo ſcribit Holkot, quòd clericus fuit in Anglia nigromanticus, cui dæmon apparens promiſit, quòd foret rex Angliæ, et cum tanta militia duceretur in medio regni Angliæ, ſicut unquam Eadwardum, filium Henrici, viderat equitare. Hic tandem in Northamptonia, tempore parliamenti, ſeditionem ſubtiliter inter proceres commovens, convictus fuit ſolemniter et tractus, ac tamdiu patibulo ſuſpenſus, quàm diu oſſa oſſibus adhærebant. Simile ſcribit Cæſarius de quodam converſo in dioceſi Colonienſi, quòd primò inter monachos didicit legere, occaſione cujus fecit ſibi ſcribi libros,

quos diligenter, ſed et contra prohibitionem abbatis, ſtuduit et intellexit, et aviditate diſcendi apoſtatavit. Cui apparuit Diabolus in ſpecie boni angeli, præcipiens ſibi, ut ſtudio vacaret, qui in proximo ad epiſcopatum promoveretur, et ad eundem dignus haberetur. Qui monita deceptoris ſtudioſè exſequens, tandem ſibi apparuit, admonens eum, ut, quanto citiùs poterat, ad Abirſtadenſem eccleſiam feſtinaret, quia ibidem ſede vacante in pontificem ſublimaretur. Lætus igitur de promiſſo ſtultus effectus feſtinavit ſe, et in domo cujuſdam rectoris eccleſiæ prope civitatem hoſpitatus, pallefridum perſonæ, cum toga ejus foderata, furatus, ad electionem profectus eſt: ubi ab exploratoribus arreſtatus, et de furto accuſatus, pro apoſtata denunciatus, ſtalatus et mitratus eſt. Sic dum ſitiret promotionem epiſcopatûs, adeptus eſt confuſionem furis et apoſtatatûs. Huic comiti per omnia contigit, ut in ſequentibus patebit.

CAP. XXXVII.

De inevitabili morte ejus et omnium.

QUID ultra moramur de inopinata morte regis telam protrahere, cùm certè ſcire debeamus, quòd de cœlis humanus ſpiritus oriundus, cœleſtis non fruatur gaudio manſionis, niſi carnis priùs ergaſtulum, quod de terra ſumpſit originem, terræ terrenis partibus recommendet? Scimus quidem cauſam doloris adeſſe. Modus tamen non debet deeſſe dolori, quia Dominus dedit et Dominus abſtulit ſicut ſibi placuit; in cujus manibus mors et vita conſiſtit. Qui enim dedit originem dedit et obitum: et ſic communis eſt lex tam vitæ quàm mortis, quòd nil immutat in paupere vel magnate. Cùm igitur in præſenti uſus ſit Dominus jure ſuo, regi non fecit injuriam: licet videatur manus ejus circa ipſum plena fuiſſe rigore, ut tam ſubitò raperetur intentus reipublicæ et ſummæ regni politiæ, in conſtruendis palatiis, reparandis caſtris, et armis defenſivis ad inimicorum molimina propulſanda. Quid plura? cùm obierat, abiit Scotorum honor et gloria; dum vixerit adiit mœror, dum moritur et ruina. Quàm intentus fuerat circa divina, capella ejus regia in multitudine cantorum, curiam ejus ſequentium, non ſine maximis et regalibus expenſis circa altare, quaſi cœlitùs præparata teſtatur, qui in ſonitu divinæ laudis dulciſſimos modulos effecerunt. Qui nunc poterit dicere cum HILDEBERTO,

Nuper eram locuples, multiſque beatus amicis,
Et riſere diu propria fata mihi.
Sæpe mihi dixi quia ſunt tam proſpera rerum,
Quid ſibi vult tantus, tam citus agger opum?
Heu! mihi nulla fides, nulla eſt conſtantia rebus;
Res ipſæ quid ſint mobilitate docent.
Res homines atque levis alea verſat in horas,
Et venit à ſummo ſumma ruina gradu.
Cuncta ſub ancipiti pendent mortalia caſu,
Et ſpondent propriâ mobilitate fugam.
Quicquid habes hodie, cras te fortaſſe relinquet,
Aut modo dum loqueris deſinit eſſe tuum.

Has

Has ludit fortuna vices, regeſque ſuperbos,
Aut ſervos humiles non ſinit eſſe diu.

Si itaque ſciamus, quòd proprio filio ſuo Dominus non pepercit, ne jus commune, aut communis regula, in humana natura exceptionem haberet, quæ, à mortalitate primæ corruptionis egreſſa, moriendi neceſſitatem incurrit; cur querelosis planctibus ulteriùs inſiſtamus, ſcientes ſcriptum eſſe, Quis eſt homo qui vivit, et non videbit mortem? Nonne pulvis in pulverem revertitur, et quaſi flos egreſſus homo conteritur, et fugit velut umbra, et nunquam ſtatu permanet in eodem? Habet humanæ conditionis fragilitas debita ſolvere morti, ſed neſcit importunæ mortis exactio quicquam de debito humanæ relinquere ſorti ſine differentia diſcretionis extorquens. Ideo nunc reſtat, ut in eo ſpiritum conſolationis ſumamus, qui ſummus eſt mœrentium conſolator, qui ſuâ ineffabili providentiâ diſpoſuit regem, patrem illuſtris et optimæ indolis, filium regem conſimilem relinquere affuturum, qui ſui pro tempore repræſentare poterit parentem, ut generoſa propago reſpondere valeat pro radice.

CAP. XXXVIII.

De epitaphio regis Jacobi primi inclitiſſimi.

HIC tumulatur honor, præclaro germine natus,
Effulgendo decor virtutibus almificatus,
Nobilitate nitens Jacobus, præluſtris, amœnus,
Ac meritis ditens, morum probitate ſerenus.
Hic pacis fautor, et legum maximus autor,
Livoris lautor, requietis ſtrenuus altor,
Cunctis lex patuit, dum vixit, fraude ſepultâ,
Furtum tunc latuit, labes non manſit inulta.
Hic animi cultu, verbo factoque facetus,
Ac hilaris vultu, ſic dapſilis agmine lætus.
Compluit hunc tanto dives natura decore,
Quod dici quanto vix poſſet fulſit honore.
Eccleſiæ cultor, cunctorum fotor egentum,
Et miſeris fultor, erector fraude cadentum,
Vivax ô quantis micuit, nec mentio tangit,
Clarus ab infantis annis, quem Scotia plangit?
Dicere quis tantas non poſſet proprietates,
Nec quot, nec quantas habuit rex hic probitates?
Sed fortuna nimis ſibi tu fueras inimica,
Spondens in primis, quod eris ſibi ſemper aprica.
Quàm citò vertiſti, faciendo ſuprema deorſum?
Vah! dum miſiſti ſubitò mortis ſibi morſum.
Proh! quòd deceptus fuerat rex ille virilis.
Proh dolor! electus erat inclitus ortus herilis.
En! rex prælaſſus, proditorum turbine victus,
Corruit, eſt paſſus, heu! proh dolor! ultus et ictus.
Heu! rex occubuit, qui turris, qui leo, qui lux,
Qui flos, qui gemma, qui ritè columnaque, qui dux.

Turris

Turris dejicitur, leo perdit robur, hebet lux,
Gemma nitens marcetque, columna ruit, moritur dux.
Dum moritur rex, læditur, en! lex peſte maligna,
Spargitur et grex, adveniens ſex dat ſua ſigna.
Heu! rex ſublimis Jacobus quoque nomine primus,
Eſt imus limus, olim rex, rector optimus.
Nemo diu manſit in culmine, ſed citò tranſit,
Eſt brevis atque levis in mundo gloria quævis.
Anno milleno quater C. ter quoque deno
Et ſexto, Chriſto de carcere permeat iſto.
Vixit rex annis X. quater, bis quoque binis.
Infra Cartuſiam jacet hîc tumulatus in imis.
Ter deca cumque duobus annis rex exſtitit iſte,
In Perth poſt moritur, quem luget Scotia triſte.

CAP. XXXIX.

Concluſio operis.

STationem hujus laborioſi operis hîc ſtatuo terminandam, ſupplicans lectori curiali, ut, in quibus fortè, ex minus accuratæ ſcripturæ teſtimonio exemplaria ſecutus, exceſſi, vel, ex aſſertione narrantium, ad unguem, ſecundùm rei geſtæ ſeriem, tranſgreſſum eſt, mihi non imputet, ſed, ſecundùm quod aliàs plenius ſciverit, errata ſine livore corrigat et reformet. Non enim negare potero, quin aliquando plura et potiora, ac etiam planiora ad intellectum legentis, occurrere poterunt, quæ meritò debeant repararî. Sed quia nihil in humanis inventionibus perfectum reperitur, imperfectum meum tolerabit benignitas pii lectoris, quem etſi utique decernere non audeat, excuſari, vel ſaltem, quæſo, non ſententiet me nimium inculpari. Propter quod lector hujus opuſculi priùs legat et intelligat, quàm vituperet; priùs à ſcientibus inquirat, quàm condemnet: attendens quòd non multum libenter hujuſmodi opus inſolitum ex propriis aggrediendum præſumpſi, ſed pro utilitate reipublicæ, pro ſolatio regis et regni, proque importuna ſupplicatione me ad hoc ſtimulantis manucepi; quod, Deo omnipotenti gratias agens, uſque ad finem perduxi. Scio enim quòd, ſi ulteriùs ab ſcribendum chronicas continuarem, non deeſſent qui dicerent me velle ſuperſtitibus aſſentire, et quæ beneplacita forent eis apicibus commendare. In viventis enim laudibus, et laudato locus vanæ exultationis offertur, et laudatori maximè nota aſſentationis affigitur. Ne propterea materiam obloquendi talibus miniſtrarem, hîc metam operis ponam, ſciens ſcriptum eſſe, *Ne laudaveris hominem in vita ſua*, tanquam ſi diceret, Lauda poſt vitam, magnifica poſt conſummationem. Sic quique faciunt, qui palpones eſſe refugiunt. Unde HIERONYMUS, in libro ſuo de illuſtribus viris, ſic inquit; "Ambroſius Mediolanenſis epiſcopus "uſque in præſentem diem ſcribit. De quo, quia ſupereſt, judicium "meum ſubtrahàm, ne in alterutram partem aut adulatio in me re- "prehendatur aut veritas." Ideoque ſtatutum eſt convenienter in pleriſque regionibus, et, ut audivi, in Anglia, quòd unumquodque monaſterium,

monaſterium, à regibus fundatum, haberet de ipſo loco ſuum certum ſcribam vel ſcriptorem, qui omnia notabilia, tempore regis, ſaltem in regno vel è vicinis, contingentia, ſecundùm quod veritas facti ſe haberet, cùm data annotaret, et ad proximum generale concilium poſt obitum regis omnes illi chronographi convenirent, et ſua verè dicta, ſive ſcripta, in medium producerent, et, electis à concilio ſagacioribus et in talibus peritis et expertis, ſcripta examinarent, et, diligenti habitâ collatione, de congeſtis ſummarium extraherent, et chronicam compingerent. Ac in cœnobiticis archivis librariorum pro authenticis chronicis, quibus fides daretur, ſcripta reponerent, ne temporum labilitate memoriæ geſtorum in regno deperirent. Sic conſulerem regem noſtrum velle conſtituere, ne, ſi præſens opuſculum, cum annali, ſic ut præmittitur deſcribendis, quod abſit, deperdatur, probitatis præcedentium memoriæ regum et pontificum, procerum et illuſtrium virorum, quoad incitamenta virtutum, et cautelam diſpendiorum, ob culpam incuriæ ignaviter amittantur. Quia, ut ſcribit HIERONYMUS ad Demetriadem, Scripturarum ardor nullà prorſus ætate extinguitur; immò, inquit, ut ſecularis autoris utar ſententiâ, ipſa magis ætate inflammatur. Inflammetur igitur, obſecro Altiſſimum, lecturâ hujus codicis ſaltem rex noſter modernus, et ſic tranſeat in regimine per bona temporalia, ut aſpiret ad æterna. Orans inſuper Chriſtum, quòd ipſum ex munere miſericordiæ ſuæ talem efficiat, ut habeamus aliquid æternâ memoriâ dignum, ſicut de egregiis anteceſſoribus ſuis regibus, quod miniſterio grammatum de ſe ad poſteros tranſmittamus.

HIC OPUS HOC FINIT, ET SCRIBERE DESINIT AUCTOR,
QUOD SCOTICHRONICON JURE VOCARE SOLET.
CONTINET ISTE LIBER ACTUS, GESTUS VENERANDOS
REGUM, PONTIFICUM, SIC PROCERUM POPULI.
QUINQUE LIBROS FORDUN, UNDENOS AUCTOR ARABAT,
SIC TIBI CLARESCIT SUNT SEDECIM NUMERO.
ERGO PRO PRECIBUS, PETIMUS TE, LECTOR EORUM,
UT SINT REGNICOLÆ SCRIPTOR UTERQUE POLI.

Non Scotus eſt, Chriſte, cui liber non placet iſte.

Auctarium Scotichronici, ſive notæ hiſtoricæ de Jacobo II. rege Scotiæ. E MS. Harleiano.

REGNA regens ſuperum mundi rex, gloria regum,
Regnantem Jacobum rege, præſens perfice ſcriptum.
Regia geſta palam veteres ſcripſere poëtæ:
Qualia, quæ, quando, quanta fuere patent.
Sic mundi fragilis ſucceſſio progenierum
Cernitur indigenis hiſtorialis, ut eſt.
Mira ſtilo veterum complectitur arſque poëtæ,
Quorum lecta nimis pluribus oda placet.
Poſteritas ſterilem poterit concludere vatem,
Pandere quem piguit geſta peracta priùs.
Proficit ingeniis ſolertia prona laboris,
Otia quo ſtudio vita domare queat.
Sed ſolet immeriti facilis labor adnihilari,
Quem nimium reprobus edidit auſus iners.
Pauca tamen proſâ nunc colligit iſta novella,
Tempore quæ noſtro ſors dedit acta recens.
Quædam præterita, quædam ſunt geſta moderna,
Quæ calamus patulo regia geſta notat.
Juſſerat hæc ſcribi pater illuſtriſſimus ortu
Rex, quarti Jacobi tempore partûs ovans.
Juſſu regis ea nova quæ ſiunt atque futura
Scribere dum valeo, ſcribo juvante Deo.

Quoniam nomina regum Scotiæ, et eorum geſta, ad longum in his chronicis deſcribuntur, ideo opus ad præſens non eſt in hoc opuſculo præſcripta repetere, niſi tantùm ſuccinctè geſta regia poſt mortem regis Jacobi primi colligere notanda, et ea curſorio et ſtilo plano in ſcriptis redigere. Mortuo igitur rege Jacobo primo, princeps Jacobus dicti regis filius, anno ætatis ſuæ ſeptimo, xxv. die Martii proximo poſt mortem patris, apud monaſterium Sanctæ-crucis, regali coronâ inſignitus, in regem unctus eſt: ubi magnates totius regni, mortem tanti principis condolentes, rabie doloris accenſi, dictos traditores celerrimè comprehendunt, videlicet Walterum comitem Atholiæ, et Robertum nepotem ejus, velut dictæ proditionis principales, Robertum de Graham, Chriſtal de Chaumer, cum multis ſuis complicibus, tanti ſceleris perpetratores, quos, ut jure decuit, turpiſſimâ morte occiderunt.

Anno Domini MCCCCXXXVIII. incepit cariſtia magna per totum regnum, ita ut bolla frumenti vendebatur pro xxx ſolidis; et iſta fames duravit fere duobus annis.

Anno Domini MCCCCXL. xxiv. die Novembris, arreſtantur comes de Douglas Willelmus, David frater ejus, cum Malcolmo Fleming domino de Commirnald, apud caſtrum de Edinburgh, et in monte ejuſdem caſtri capitibus detruncati ſunt. A. Dom. MCCCCXXIX. filia

regis

regis Jacobi, desponsata duci Britanniæ, transducta fuit in Britanniam per ambassatores dicti ducis.

Anno Domini MCCCCXLV. castrum de Edinburgh fuit obsessum per regem Jacobum II. detentum per D. Willelmum Creichton.

Anno Domini MCCCCXLVI. venerunt in Scotiam tres nobiles de partibus Almaniæ et Flandriæ, viz. Jacobus et Simon de Lalayng et Meredacus milites in comitiva multùm decora, et inierunt bellum personale cum domino Jacobo Douglas, germano fratre comitis de Douglas, Johanne Ross de Halket, et Jacobo de Douglas fratre domini Henrici de Douglas de Lochlevin militibus. Et hi sex milites in uno campo coram rege dimicaverunt apud Striveling; cujus belli triumphus pro omni parte stetit in honore, regiâ disponente prudentiâ judicis. Duellum inter Alexandrum Cuningham et Dalrymple apud Striveling, cujus finis regiâ disponente majestate sortibatur pro utroque honore. A. D. MCCCCXLV. bellum de Sark, ubi Scoti victores exstiterunt, multis Anglicis captivatis.

Anno Domini MCCCCXLIX. adventus Mariotæ reginæ, filiæ ducis Geldriæ, cum multis nobilibus, domino de Fere, domino de Rochbarone, et desponsatio regis Jacobi secundi, et coronatio dictæ Mariotæ apud monasterium Sanctæ-crucis solemnissimè celebratæ fuerunt, mense Julii, anno ut suprà. A. D. MCCCCL. viz. anno Jubileo, Willelmus comes de Douglas transtulit se versus Romam, in præclara societate militum et nobilium Scotorum. Sed rediit, societate dispersâ et habitu dissimulato, per Angliam. Et anno sequenti, viz. LI. in festo Carnisprivii, obiit dictus comes de Douglas apud castrum de Striveling. Post cujus mortem frater ejus Jacobus de Douglas comes combussit villam de Striveling, et maximum disturbium fecit in partibus australibus regni, cum suis fratribus, videlicet Archibaldo comite Moraviæ, Hugone comite de Ormont, et Johanne domino Balwane, et eisdem adhærentibus Scotis et Anglicis; propter quorum crudelem rebellionem rex Jacobus secundus curiosissimè se erexit, et dictos rebelles insecutus est. Ipsum Jacobum comitem de Douglas de suo regno penitus exstirpavit, Archibaldo comite Moraviæ interfecto, Hugone comite de Ormont et Johanne domino Balwaniæ suis germanis captis, et apud Edinburgh vicissim capitibus detruncatis.

Anno Domini MCCCCLII. nativitas regis Jacobi tertii, filii regis Jacobi secundi. Et notandum est, quòd rex Jacobus secundus genuit de dicta regina Mariota Jacobum tertium regem, Alexandrum ducem Albaniæ, et Johannem comitem de Mar, et duas filias, præter David quartum filium, et tertiam filiam in tenera ætate decedentem. A. D. MCCCCLIII. duellum inter dominum Alexandrum Narnen et dominum Jacobum Logan, in quo duello cecidit idem Alexander Narnen. Et eodem die eodemque loco bellum inter Walterum Heriot et David Glaffurd, et inter Willelmum Halket et Johannem Seton; quorum bellum, imperante rege, cum honore utriusque partis separatum est.

A. D.

A. D. MCCCCLV. erat magna mortalitas hominum peſtilentialis per univerſum regnum.

Anno Domini MCCCCLVI. rex Jacobus ſecundus, cum magna multitudine, movit ſe verſus partes boreales Angliæ; et dum venit ad aquam de Cayle, occurrerunt regi ambaſſatores de Anglia, ex quorum fraudulenta promiſſione à propoſito ingrediendi Angliam reverſus eſt in ſuum regnum. Quam fraudem ad ſtatim intelligens, infra viginti dies mirabilem multitudinem armatorum, priore acie majorem, Northumbriam in ore gladii et ignis deſtruxit, caſtra, turres, fortalitia et alia quæcunque munita loca aut terræ proſtravit, aut ſuæ ſub jugo celſitudinis ſubegit, et cum magno triumpho rediit et honore.

Anno Domini MCCCCLX. rex Jacobus ſecundus, ad debellandum hoſtes curioſiſſimè animatus, ex deliberato decreto ad invadendum Angliam ſe et ſuos nobiles bellicoſos peritiſſimè ordinavit, et circa finem Julii in multitudine magna, omni bellatorum genere munita, cum bombardis, genitoriis ſerpentinis, ceteriſque guerrarum bellicis inſtrumentis, caſtrum de Roxburgh hoſtiliter obſidebat. Rex vero in exercitiis bellicis obſidendi et machinarum directione artificioſus, ac ad crebros maturandum inſultus, proh dolor! nimis intentus, ad cujuſdam bombardi lapidem verſus caſtrum emittentis ſtallum prope ſtetit impavidus. Cujus cameram igneo impetu dirumpente, quâdam maſſâ metalli regio percuſſo femore, inclitiſſimus princeps mortuus eſt. Comes Anguſiæ eodem inſtante regi proximus vulneratus fuit. Hac de cauſa hujus illuſtriſſimi regis modum mortis exprimo, ut ceteri principes, tali exemplo docti, omne periculum utilitate carens et honore omnino vitare ſtudeant in futurum. Mortuo enim rege Jacobo ſecundo, curioſiſſimo pro conquæſtu juris regni ſui, die tertio menſis Auguſti, et in monaſterio Sanctæ-crucis honoratiſſimè ſepulto, anno ætatis ſuæ XXIX. In cujus morte in regno Scotiæ nunquam tantus dolor auditus eſt. Nobiliſſimi barones, in dicta obſidione exiſtentes, non terga vertentes, non adventus Anglorum præcaventes, nec quodcunque damnum aut periculum formidantes, ſed morte ſui principis crudeliores accenſi, incœpta non deſerunt ſed reſtaurant.

Scotichronici Compendium metricum.

QUONIAM hujus præcedentis Scotichronicôn voluminis prolixitas, hominum quoque memoriæ labilitas, et incerti temporis brevitas, non ſinunt univerſa quæ inibi ſcripta ſunt, animo ſcire, multa cupientis ſimul et ſemel comprehendere, ideo mihi præcedens chronicarum magnum volumen, per me priùs ſcriptum, revolventi, viſum eſt, pro ingenioli mei capacitate quædam inde extrahere, et in unius corpus codicilli quodam compendio, partim ex metris veteribus, et partim ex recentibus, ad propoſitum facientibus, quaſi ſub quodam epilogo ſummatim redigere, præcipuè quæ pertinere videntur ad notitiam temporum, inclitorum regum Scotorum; et de qua ſtirpe, quave regione, ad iſtas oras devenerunt, et quoto tempore et quanto ante Pictos, cum eiſdem et poſt eos viciſſim, regnaverunt; et qualiter nunc ſtirps Scotigena miſcetur cum Saxonica, qualiterque Britannia ſtirpe multigenâ variatur; et quomodo rex Scotiæ modernus, de jure debito, debet tam Scotiæ quàm Angliæ præfici regnis. Et primò ſupponamus de ſeptem mundi ætatibus. Quarum prima initium ſumpſit ab Adam, et duravit uſque ad nativitatem Noë; quæ habuit annos MDCXLII. et à nativitate Noë uſque ad diluvium ejus fluxerunt anni DC. qui ſimul juncti, ab Adam uſque ad diluvium, fiunt MMCCXLII. anni. Secunda ætas fuit à diluvio uſque ad nativitatem Abrahæ, habens annos DCCCCXLII. qui adjuncti annis ab Adam uſque nativ. Abrahæ fiunt MMMCLXXXIV. Tertia ætas verò initiatur à nativitate Abrahæ, et duravit ad David. Et infra iſtam ætatem, anno à creat. mundi MMMDCLXXXVIII. quo facta eſt egreſſio filiorum Iſraël de Ægypto, ubi ſteterunt annis CDXXX. Et egreſſi ſunt primo menſe, ſciz. Martio, initiante ſextâ feriâ, quæ eſt vij. Kal. April. et lunâ initiante xiv. Qui ſimul juncti, ſciz. anni ab Adam uſque ad David, fiunt MMMMCCIV. In hujus tertiæ ætatis anno DV. qui fuit ante captivitatem Troiæ CCCIX. ante conditionem urbis Romæ DCCLX. et ante Domini noſtri Jeſu Chriſti nativitatem MDLXI. Pharaone cum ſuis exercitibus ſubmerſo in mare rubro, ſexcentis ſcilicet curribus, L. millibus equitum et ducentis millibus peditum armatorum, Gaithelos, cum uxore ſua Scota, à qua Scotia denominatur, primò ad iſtas partes expeditionem movit. Quarta ætas incepit à David, durans uſque ad tranſmigrationem Babylonis factam à Nabochodonoſor rege Babylonis, in anno ejus XIX. ſub Sedechia rege Juda, in anno ejus XI. Et hæc ætas continet in ſe annos DCIX. qui ſimul juncti, ſciz. anni ab Adam uſque ad tranſmigrationem Babylonis, fiunt MMMMDCCCXIII. Quinta verò ætas exordium cœpit à tranſmigratione Babylonis, durans uſque ad nativitatem Chriſti ſub Octaviano, in anno imperii ejus XLII. et iſta ætas comprehendit in ſe annos CCLXXXVI. Et adjunctis annis ab Adam uſque ad nativitatem Chriſti, fiunt anni MMMMMCXCIX. Unde verſus:

Ætatem plebis à primo patre videbis
Ad Chriſtum, C. bis M. quinquies, I. removebis.

Sexta autem ætas incepit à nativitate Chriſti, et durabit uſque ad diem Judicii: et hæc ætas eſt ſola viventium in vita iſta. Septima verò ætas incepit à die aſcenſionis Chriſti, in qua ſciz. die fuit primò janua cœleſtis aperta per Chriſtum, et currit cum ſexta ætate, et durabit uſque ad diem Judicii: et hæc ætas bonorum quieſcentium et futuram reſurrectionem expectantium. Octava verò ætas incipiet à die Judicii, et durabit uſque in ſempiternum. In quo die boni et mali in propriis corporibus reſurgent, ut mali in eodem corpore quo peccaverunt, cum Diabolo et angelis ejus, puniantur; et boni in propriis corporibus quibus bene egerunt et meruerunt, cum Chriſto et angelis ejus, perpetuò præmientur, ac glorificentur, in cœleſti regno ſine fine lætentur, ad quos omnis perducat qui in hoc codice legere delectentur.

Et notandum eſt, quòd hæ ætates ſeculi non dicuntur propter numerum annorum, ut quidam volunt, ſed propter quædam nova quæ facta ſunt in cujuſlibet initio. Nam in principio primæ ætatis facta eſt mundi conſtitutio; in principio ſecundæ, mundi per diluvium purgatio; in principio tertiæ ætatis, conſtituta eſt contra originale peccatum circumciſio; in principio quartæ, regum inunctio; in principio quintæ, Iſraëlitici populi in Babylonem tranſmigratio; in principio ſextæ, Filii Dei incarnatio; in principio ſeptimæ, januæ Paradiſi apertio; in principio octavæ erit corporum reſurrectio, et omnium retributio.

Cap. I. *Quo tempore ante incarnationem Chriſti incepit Scota, à quâ Scotia.*

Quiſque loqui gaudet validus, de ſanguine puro
Quorundam precibus de Scotis dicere curo;
Unde ſui generis ortus primævus habetur:
Quorum poſteritas trans tempora perpetuetur.
Quicquid narrabo, per chronica priſca* probabo
De veterum geſtis, reliquorum ſum quia teſtis:
Scribere nam volui, mihi quæ præſentia vidi.
Si verum ſcribam, verum credo fore ſcribam;
Scripſero ſi vanum, caput eſt quaſi non mihi ſanum.
Adam primævum non incipiam numerare,
Quomodo nec dicam Noë cœpit generare.
Hoc genus à Japhet ejus nato juniori
Quamvis deſcendat, referam tamen à propiori:
Per quem dicatur ſtirps hæc et magnificatur,
Quingentis mille cum ſexaginta monoſque
Annis ut reperi, præceſſit tempora Chriſti;
Agnus ſub lege primus mactatus in æde.
Biblia teſtatur quòd tunc revocare paratur
Rex Pharo populum, fugientem per mare rubrum;
Cujus rex Pharo mergitur in medio.
Extunc Scotorum deſcribam tempus, et horum
Progeniem referam, per tempora continuatam.

*Al. *ſcripta.*

Cap.

Cap. II. *Gaithelos intulit lapidem.*

Poſtquam paſſus erat Pharao, miſerabile funus,
Nobilis exierat ab Ægypto Scythicus unus
Exul, qui lapidem Pharaonis detulit idem:
Ut liber fatur, Gaithilglas ille vocatur.
Hic bis undenus fuit à Japhet alienus:
Ut ſic credatis, dat linea ſanguinitatis.
Naufraga navigio qui plura pericula paſſus,
Ad terram tandem venit ſic equite laſſus.
Sed lapis hunc rexit, ipſum qui per mare vexit.
Hic lapis, ut fatur, hæc anchora vitæ vocatur.
Cúmque locum petiit ſecurus ad reſidendum,
Pluribus hunc annis Hiſpania cœpit alendum.
Cujus progenies nimis augmentatur ibidem,
Sicut ſcriptura teſtatur condita pridem.

Cap. III. *De eodem lapide.*

Poſt obitum regis Pharaonis mille duobus
Annis, ut recolo, tunc quidam nomine Milo,
Rex Hiſpanorum, qui plures magnus habebat
Natos, illorum tamen unum plus recolebat,
Scilicet hic Simon cognomine Brek fuit unus,
Cui pater exhibuit quoddam prænobile munus,
Scilicet hanc petram: Gaithilglas quam tulit æquam,
Perque fretum geſſit, ab Ægypto quando receſſit.
Milo prophetavit nato, qui quem recreavit
Lætare cœpit, hanc petram quando recepit;
Quod ſua regnaret ſtirps, hanc quoque locaret.
Ecce Deo dante ſicut fatum fuit ante,
Sic ſit in inſtante Simon Brek, quo mediante,
Sic augmentante ſobolis partem venientis
Ad ſe ſuſcepit Hibernia: quo reſidentis
Annos per multos, horum quos vidit adultos.
Quoſdam deduxit validus Lori nomine quidam
Primus ad Ergadiam: quo tempore concitò dicam
Iſti ſunt ducti, dicuntur poſtea Scoti.
Nam velut à Getia Geticus, ſeu Gotia Gothi,
Dicitur à Scythia Scythicus, ſic Scotia Scoti.
Quæ priùs Albania ſic fertur Scotia terra.
Scoti de Scota; de Scotis Scotia nota:
A muliere Scota vocatur Scotia tota.

Cap. IV. *Quot annis rexerunt Picti.*

Quod jam promiſi, tempus ſic ecce reliſi:
Bis bis centeno quater endeca, ſed minus uno,
Anno quo ſumpſit primos Ergadia Scotos,
Ut referunt iſti, fuit incarnatio Chriſti.

Annorum

Annorum ſumma Pictis præoccupatorum,
Hic dat Scotorum deca quinque centibinorum
Et annos quindecim, tres menſes jungito quidem.
Tunc Scoti quærunt quot anni præterierunt
Poſtquam vicerunt Pictos, qui tunc coluerunt
Albaniam, citra Drumalban, ſed minus ultra:
Ut Scoti valeant memoratum tempus habere,
Per Scotiam totam quo ceperunt reſidere.
Qui Picti terram rexere mille ducentis
Et pariter junctis viginti quatuor annis,
Ut verum renovem, menſibus atque novem.
Pictis amotis, datur hæc reſponſio Scotis:
D. ſemel et ter C. poſt X. ter, et X. quater inde,
Iſtorum numeri monſtrant, quo tempore Chriſti
Sed trans Drumalban cœpit regnare Kenedus
Filius Alpini, Pictorum fraude perempti,
In bello pridem quos Alpin vicerat idem.
Sed cùm ſeptenis Kenedus regnaverat annis,
Nititur in Pictos, ulciſci funera patris;
Quoſdam ſternendo bello, quoſdamque fugando.
Extunc Albaniæ regnum totale regebat,
Quæ priùs in parte regni dicta reſidebat;
Progenies cujus jus regni nunc tenet hujus.

Cap. V. *Primus rex regnavit in Ergadia.*

Ex annis Domini qui continuè renovantur,
Apparet per quot annos Scoti dominantur:
Sic patet in genere de tempore ſufficienter.
Reges nunc referam qui regnavere ſequenter.
In tamen Ergadia vixit per tempora multa
Hæc gens ſub lege naturæ, ſed ſine rege,
Donec ad Ergadiam tulit audax nomine quidam
Ferguſius lapidem, de quo ſit mentio pridem.
Hic primo rexit Scotos, lapidem quia vexit.
Quem Scoti lapidem ſanxere ponere ſedem
Regibus inde ſuis tantùm, ſed non alienis.
Ut Scona teſtatur uſque tunc lapis iſte locatur.

Cap. VI. *De continuatione regum uſque ad Kenethum.*

Primus in Ergadia Fergus rexit tribus annis,
Poſt Donegard quinis, Congal quater octo binis,
Endeca bis Gonren, ſed quatuor et deca Conal,
Quatuor et deca bis Edham, ſedecim Eoghedbuid,
Kinath Ker per tres rexit tantummodò menſes,
Sed Ferquhart annos per quatuor et duodenos.
Bis ſeptem Dovenald, octo bis Malduin annis,
Ter ſeptem Ferard, tredecim ſed rexit Eoghed,
Armkelleth uno, ſed tred. regnavit Eogan,

Rex

Rex Murdauch trinis, Eogan uno quoque binis,
Ethfin per deca ter, Fergus tres, ſed Sealvanach
Quatuor et deca bis: ſed Eogedanyngque tricenis,
Dungal ſeptenis, Alpinus ſed tribus annis,
Annis ſeptenis Kenedus filius Alpin.
Hi cum prædictis regnârunt tempore Pictis,
Quod trecentenos quater octoque continet annos;
His annis ſed tres debetis jungere menſes.
Chriſti tranſactis tribus annis atque ducentis,
Scotia catholicam cœpit inire fidem,
Româ Victore primo Papâ reſidente.
C. quater et deca ter à carne Dei numerabis,
In Scotia quando legem Chriſti renovabis.
Lex Chriſti colitur, hanc Palladio renovante,
Primus Cæleſtinus Scotiæ quem miſerat antè.
Præcedunt Scoti quingentis Anglicis annis,
Quamvis et credit ante hos Brutus, et obedit.
Albion in terris rex primus germine Scotus,
Illorum turmis rubri tulit arma leonis
Fergusius fulvo Ferchard rugientis in arvo.
Chriſtum ter centis ter denis præfuit annis.
Lilifer ille leo roſidus nunc pingitur auro.

Cap. vii. *De continuatione regum.*

Hic poſtquam Kenedus Pictos omnino fugavit,
Annos octo bis regnando continuavit.
Dovnald Macalpin poſt rexit quatuor annis,
Sed. Conſtantinus, Ed uno, Greg duodenis,
Dovnald undenis, Conſtantin biſque vicenis.
Malcolmus primus, ſic Indulf, quiſque novenis;
Sed Duff per ſenos menſes et quatuor annos.
Per tantum Culen; ſed Kened ſex quater annis,
Menſibus et binis: Conſtantinuſque per annum
Et menſes ſenos tantùm, Greg octo per annos.
Malcolm per deca ter, Duncan ſex, ſed deca ſeptem
Macbeth, ſed Lahoulan per menſes quatuor, atque
Malcolm Kenremor annos per ter deca ſeptem
Et menſes octo: cujus frater Dovenaldus
Annos complevit trinos regnando viciſſim.
Dum Duncan medio ſex menſes tempore vixit.

Cap. viii. *Dehinc reges Scotorum proceſſerunt de ſtirpe tam Sâxonum, ſive Anglorum, quàm Scotorum.*

Tunc ſtirps Scotigena, Saxonum ſanguine mixta,
Cœpit regnare; quod propono reſerare
Qualiter hoc eſſet, ut quivis diſcere poſſit.
De dicto nati Kenremore tres generati
Regnum rexerunt, quod ſucceſſim tenuerunt,

Quos Margarita peperit, regina beata,
Heres Anglorum regum, regina Scotorum.
Ex quo qui dubitat, Anglorum chronica quærat.
Per quam conjugium Scotis præbetur in uſum.
Non erat iſtorum generatio dico duorum
Fratrum primorum; genuit tamen ultimus horum,
Per quem Scotorum generando continuatur
Regia ſtirps, quorum ſucceſſio nunc reſeratur.
Annis ter trinis, et trinis menſibus, Edgar
Primus regnavit de natis quos generavit
Malcolmus cum dicta Margarita benedicta.
Hinc Alexander annis rexit deca ſeptem
Menſibus atque tribus, ſeptimaniſque duabus.
Iſte ſecundus erat fratrum: ſed tertius exſtat
David, vicenis regnans anniſque novenis
Menſibus et trinis. Tunc Malcolm filius Henri
Annis bis ſenis, et ſemis regna regebat.
Ut rumor geſſit, hic Malcolm virgo receſſit.
At Henricus erat natus regis quoque David,
Quem rex is David ex Matilda generavit,
Heres quæ fuerat Hundingtoniæ comitatûs.
Cujus ſic eſſet, ſi poſſet vivere, natus,
Qui bello moritur de Cothon, ſed ſepelitur
In abbatia nomine Calcovia.
Hæc Matilda datur de Senlize, quæ tumulatur
In Scona; cujus templum buſtum tenet hujus.
Quadraginta novem Willelmus rex erat annis,
Cujus Willelmi genitor dictus fuit Henri,
Et pariter comitis de Dundé, nomine David,
Tres ſibi ſorores fuerant, Britan. comitiſſa,
Quæ Margarita Conano conjugi data,
Hæc junior datur germana, ſed altra vocatur
Nobilis Adiſſa; fuit hæc Holland. comitiſſa,
Conjugioque datus erat huic de Roſs comitatus.
Morte præventam Matildam die, et innuptam.

Cap. ix. *De nobili politico Alexandro tertio.*

Hactenus hæc dicta ſcivi per chronica ſcripta,
A modo quæ novi ſcriptis deſcribere vovi.
Alter Alexander, quem rex Willelmus habebat
Natum, ter denis annis et quinque regebat.
Hic Alexander alium fertur genuiſſe,
Huic alium ternum pro certo dico fuiſſe.
Ternus Alexander ter denis rex erat annis
Et ſeptem fere. Væ Scotis, qui caruere
Principe tam grato, largo, mitique, beato,
Qui quinquagenus regum fuit ordine primus.
Hic princeps annos Domini poſt mille ducentos
Atque novem novies, ſed quatuor his ſuperaddes,

Kinghorn

Kinghorn non ritè perſolvit debita vitæ,
Scilicet Aprilis decimo quartoque Kalendas.
Quo decet obſequias celebrare perficiendas,
Ne valeant obitum monachi ſervare ſopitum,
A quibus incolitur Dunfermelyn, ſed ſepelitur.
Tanti tumba viri ſtudio meliori poliri
Debuit artificum, ſi funus haberet amicum
Poſt mortis morſum vertit dilectio dorſum,
Finitâ vitâ, finitur amor et ita.
Corpus prædicti regis, ſine prole relicti,
Poſt annis fere ſeptem Scoti doluere,
Quòd regem verè tot ariſtis non habuere.

Cap. x. *De rege Roberto Bruce.*

Tunc regni proceres in regem non potuerunt
Conſentire novum; quia diverſi petierunt
Diverſum regem, nec erat jus ſolvere legem:
Scilicet, ut junior ſoboles, ſpretâ ſeniore,
In regno regeret, dixerunt pro meliore.
Hinc dicti proceres Eadwardum conſuluerunt
Anglorum regem, cujus reſponſa fuerunt
Scilicet errorem ſe dixit per decretalem,
Ipſum ſi facerent Scotiæ dominum capitalem,
Donec judicio Scotorum diſcuteretur
Quiſnam rex verus illorum præficeretur.
Iſtud conceſſit pars magna coacta Scotorum,
Legibus obtentis, et libertatibus horum,
Quas juramento rex ſe ſervare fatetur,
Ne quid communi ſine conſilio renovetur.
Invito populo, Magnates ſic pepigerunt;
Fructus nunc audi, Scoti quos inde tulerunt.
Scotos elegit rex, quos jurare coëgit
Ut verum legerent regem, dum rege carerent:
Sic rex eligitur talis, quia de ſeniore
Sanguine regali Scotiæ, ſpreto veriore,
Qui comitis David de ſemine proveniebat,
Regis Willelmi dum ſanguis deficiebat.
Si petis, à comite quotus hic erat in genitura,
Quæ tibi nunc referam, ſi neſcis, diſcere cura.
Hunc comitem David dico natas habuiſſe
Tres: quarum ſenior matrem fertur peperiſſe
Prædicti regis, electi robore legis
Scotorum, qualis lex non eſt imperialis.
Quæ lex illa datur, quæ Scotis appropriatur,
Poſtquam venerunt ab Ægypto; quo didicerunt
Qualiter ornandus rex eſſet quiſque creandus.
Sic rex præficitur Scotiæ qui jure potitur.
Si quærat quiſnam, quiſquam fuit hic, modò dicam
Gratia cui nomen divina non dedit omen,
Ut regeret Scotos, quos non rexit bene notos.

Cap. xi. *De rege Roberto Bruce.*

Andreæ feſto, Domini poſt mille ducentos
Atque decem novies, cum binis inſimul annis,
Servando morem regis ſibi ſumpſit honorem;
Quem quinquagenum regum facit ordo ſecundum.
Dehinc ex toto Johanne rege remoto,
De Brois Robertus, regum de ſtirpe repertus,
Suſcipit in Scona regni Scotiæ diadema.
Hæc in Aprilinas ſexto ſunt facta Kalendas.
Promittunt veteres quòd erit hic belliger heros,
Qui ſua jura novans regna ſudabit ovans;
Stragibus immenſis ſudabit Scoticus enſis:
Corruet Angligena per eum gens, non ſine pœna.
Hactenus hi toti fuerunt ut plebs ſua Scoti.
Atque Deo dante, ſic à modo ſic velut ante.
Eſt totum cœnum cujus caput eſt alienum;
Sic populus tenuis quando ſit rex alienus.

Cap. xii. *De captione Berwici, &c.*

Anno poſt quarto Johannes venit Berwico,
Perfidus Edwardus, et cupidus ut leopardus:
Qui ſaltu prædam triplici capit inſidiatam,
Quem ſcuto triplici bis vellet imagine pingi.
In tribus eſt cupidus, qui rex eſt dictus iniquus;
Scilicet in mediis, minimis ſimul atque ſupremis:
Quod pictura notat, quam triplex forma figurat:
Infima ſit parva, quâ ſingula parva notantur;
Major ſit media, per quam majora petantur;
Maxima ſit tertia, quæ pingitur eſſe ſuprema;
Quæ notat immenſa præ cunctis eſſe petenda.
Natura regis his formis denotat ægis.
Sed nil poſſe dari cupido, qui vult ſociari
Omnibus eſt notum: quod dico perducere totum.
Nam, velut ex quodam dicto ſapientis habetur,
Qui cupit omnia, perdere ſingula jure tenetur.
Aprilis tertio, ſextâ feriâque Kalendas,
Hic villæ turmas cautè ſtatuit puniendas,
Cujuſdam fraude; qui ſemper erit ſine laude.
Vexillum cujus cives decepit, et hujus
Nomen cæletur comitis, ne fraus iteretur.
Cives bellando ſic vicit Marte nefando.
Dunbar mox adiit, quo plures inveniuntur
Magnates Scotiæ, qui caſtro decipiuntur.
In quo fortunâ ſic diſponente tenentur,
Ne ſociis extra pugnantibus opitulentur.
Extra vincuntur pugnantes, ſed capiuntur
Infra caſtellum, nequeuntes condere bellum.
Hic rex ſic totam Scotiam fecit ſibi notam:

Qui

Qui ſine menſura tulit inde jocalia pluta,
Et pariter lapidem, Scotorum quem fore ſedem
Regum, decrevit fatum, quod ſic inolevit:
Ni fallat fatum, Scoti quocunque locatum
Invenient lapidem, regnare tenentur ibidem.

CAP. XIII. *De perfidia Eadwardi Angli.*

Non tamen gazis rex regnum ſic ſpoliavit,
Sed, quod ſit pejus, magnates turpiter ejus
Duxit cum rege; tamen hoc fecit ſine lege:
Nam quod fecerunt pactum Scoti tenuerunt,
Quod prius infregit rex Edward; namque coëgit
Prædictum regem Scotorum quærere legem
Londonias propè, quo nullum poſſet habere
Qui poſt ſe ſtaret, ut regni jura probaret,
Quæ fuerant ſoliti ſemper habere Scoti.
Sic rex Edwardus ſolitas pervertere leges
Nititur, ut poſſet Scotiæ confundere reges.
Quas conſervare jamdudum, nec variare
Scotis juravit; varias tamen ille creavit
Leges et jura, necnon et talia plura,
Ut narrat proſa, quæ metro ſunt oneroſa.

CAP. XIV. *De Willelmo Wallace.*

Ut quondam didici, referunt ut juris amici,
Non ſervanda, vides eſt ubi fracta fides.
Ex quo cor validum Scoti ſumpſere, monente
Willelmo Wallace, et eos guerrare docente;
Ut quos captivos tenuit gens Anglica vivos,
Ad propriam Scotos facerent patriam redivivos:
Inſuper ut regem facerent regnare Johannem
In regno proprio; quia ſi vellent alieno
Regi ſervire, poſſent ſua jura perire.
Hinc tricenteno milleno ter minus uno
Annorum Domini, dicuntur vincere Scoti
Anglos infeſtos, quos reddunt funere mœſtos:
Ut pons teſtatur, ubi bellum grande notatur,
Qui Strivelyn juxta Forth amnem conditur ultra,
Septembris trino fuit Idus iſta ſuperno
Dono devotis gratia facta Scotis.
Congregat hinc Scotos dictus cognomine Wallace,
Sicut grana legit quod fertur Gallicè Valais.
Anglos proſequitur, ut bellum continuaret
Et libertatem Scotiæ bello renovaret.
Tunc Anglicorum ſubverſio tantaque talis,
Quam nunquam ſimilem ſentivit pars borealis.
Uſque Novum-caſtrum periit Northumbria tota,
Sic verſus Stanmor complent Scoti ſua vota.

Anno præfato Domini, redeunt iteratò
Angli Berwico pugnaturi, tibi dico,
Feſto Cuthberti vernali tempore certi.
Scoti ſpectabant; campo pugnare putabant
Ut promiſerunt Angli, ſed non tenuerunt
Quod promiſerunt, ſtatim ſed terga dederunt;
Quod cùm viderunt Scoti, triſtes abierunt.
Tunc rex aufugit, hinc triſtior Anglia mugit.
In Magdalenæ feſto propriore ſequente
Scotis Angligenæ dicuntur adire repente,
Minorum juxta foveas qui congrediuntur.
Quo plures partes utriuſque citò premuntur.
Anglorum plures occiſi nobiliores.
Quatuor exceptis, Scoti cecidere minores.
Attamen innumeri fuerant ad prælia Scoti:
Qui, cùm viderent ictus, ſua terga dederunt,
Immemores dicti quod profert philoſophia,
Virtus unita ſparſâ fit fortior ipſâ.
Si tantùm ſtarent fugientes agmine tanto
Iſtis, ut dicunt, eſſet victoria campo.

Cap. xv. *De variis regibus Angliæ.*

Hic tetigi quædam quæ nunc ſpecialiùs edam.
Regnum Britanniæ, quod propriè Magna vocatur,
Diverſis populis pro tempore ſubpeditatur.
Quatuor his tantùm, poſt tempus dico gigantum,
Britannis, Anglis, Danis, ſed modò Normannis.
At poſtquam Britones fuerant omnino fugati,
*Quod ſibi per partes ſeptenas diſtribuerunt;
Quas ſic diviſas appellari ſtatuerunt
Eſtſax, ac *Weſtſax*, *Middilſax*, *Cantia*, *Suthſex*,
Anglis quæ præſtat Northumbria, ſeptima reſtat.
Quamlibet iſtarum dux rexit particularum
Tanquam rex eſſet, Edbrictus donec obſeſſet
Dux Weſtſaxoniæ, poſt gentis rex alienæ,
Qui partes ſtravit, et eas ſibi ſubpeditavit.
Ac regni nomen pariter mutavit et omen,
Anglia nunc dicta, ſic eſt Britannia victa.
Attamen, ut fatur, prius Albion illa vocatur.
Nunc quærunt iſti Britones, quo tempore Chriſti
Regnum ſpreverunt, quod nunc Angli tenuerunt:
Quæ jam quæſiſtis ſolvuntur verſibus iſtis:
Mille quater deca tris fuit Adam Bruto prior annis;
D. ſemel et C. bis, cum ſexaginta tribuſque,
Dant annum Domini quo defecere Britanni.
Qui reges Britonum, ſeriatim ſi numerentur,
Nonaginta novem præciſiùs invenientur;
Ut patet in libro quondam *Bruth* intitulato.

Reges illorum, qui regnavere gradatim
Poſt tempus Britonum, narrabo nunc ſeriatim.
Nolo referre duces, qui regnum diſtribuerunt
Per partes ſeptem, quas, ut reges, tenuerunt:
Sed qui totale regnum, non particulare,
Rexerunt, digni tantummodò ſunt referendi.
Iſti totale dictum regnum tenuerunt,
Sed diadema quidem non omnes obtinuerunt;
Edbricht et Edvulphus, Elbold, Edbrictus, et Edred,
Hi reges quinque nondum ſumpſere coronam.
Inde monarchiam ſumpſerunt atque coronam
Alured, Eadwardus, Ethelredus, et Eadmond,
Qui, dum vivebat, Yrneſide nomen habebat,
Knout, Harfaw, Harald, Hardeknoutus, et Eadward,
Haroldus, Godwin, Will. dux, Will. Rufus, et Henry,
Stephanus, Henricus, Henricus filius Henri,
Magnanimus Richard, Johan. Henry quartus, et Edward.
Nunc dicam breviter iſtorum quis genuit quem,
Ut pateat quis vi regnavit, quis velut heres;
Illos non referam qui quemquam non genuerunt,
Sed tantùm qui ſe generando ſuſtinuerunt.
Filius Edbricti, primi regis fuit Edvulf,
Elbald Edvulphi, poſt Edbrit Edred et Alured,
Nati dicuntur ſic Edward filius Alured,
Edwardi proles Elſtan, Edmundus et Edred.
Edwyn et Edgarum natos dic matris Eadmund.
Edwyn Edgarum genuit prius hinc Ethelredum:
Sic Ethelred Edmund Yrnſide progenuit, ſed
Dicitur ex Emma poſt Edwardum genuiſſe.

Cap. xvi. *De Danis regibus, &c.*

Quomodo, nunc cura, Dacorum ſit genitura.
Non fuerant niſi tres Anglorum regna tenentes,
Knout, Harold, Harfaw, cui frater tertius Edward,
Natus Godwini comitis fuit ultimus Harold.
Nunc Northmannorum ſequitur generatio, quorum
Rollo dux primus, genitus de ſtirpe Dacorum,
Ex Dacia ſumpſit nomina Rollo Danus.
Rollo Willelmum, Will. Richard, Ricque Richardum,
Richard Robertum, Robertus Will. genuit Baſt.
Baſt. Henry genuit, Henry Mald, Mald parit Henry;
Henry Johan. genuit, Johannem Henricum genuiſſe
Dicitur; hic Henry ſic Edwardum genuiſſe,
Hic Ed. Edwardum; ſequitur Ed. qui genuit Ed.
Principem Wallenſem, Richard regis genitorem.
Poſt quem invaſit Hen. regnum; huic filius Henry
Deſtructor Franci alium fertur genuiſſe
Hen. natum tenerum, regis Carolique nepotem,
Et qui nunc ſupereſt, annorum circa viginti.

CAP. XVII. *De Normannis regibus.*

Quomodo gens regnat Northmannica dicere reſtat,
Quæ jus Anglorum vendicat eſſe ſuum.
Anno milleno ſexageno quoque ſeno,
Poſt incarnatum verbum de virgine natum,
Dux Northmannorum mare tranſit, vicit Haroldum,
Quem, præter legem, fecit gens Anglica regem,
Veris ablatis heredibus, atque fugatis,
Scilicet Edgaro, biniſque ſororibus ejus,
Quos rex Haroldus ſtuduit confundere; priùs
Edgar privatur vitâ, tunc illa fugatur.
Ut liber fatur quæ Margarita vocatur,
Una ſoror cujus fœtus proceſſit, et hujus
Quomodo narrabo fluxit generoſa propago.
Altera moralis Reymenſia fit monialis,
Quæ Chriſtiana ſprevit hæc gaudia vana.
Dux non intravit regnum ratione regendi,
Sed magis Haroldi petitur modus interimendi.
Hic qui germanam dicti ducis, ac uterinam,
Jam ſibi ſponſatam tranſmiſit vilè relictam:
Namque ſuas crines fecit mutilare per aures.
Quem dux deſpectum judicat eſſe ſuum.
Hinc trux intravit dux regnum, quo ſpoliavit
Haroldum timidè regnantem nam ſine lege.
Sic dux Willelmus regni ſit rex, ſed Haroldus
Si ſua non eſſet rem perdere quomodo poſſet.
Extunc injuſtè rexit gens dicta, quouſque
Stirps erat Anglorum Northmannis juncta, ſed horum
Conjugium referam, ne fallant à modo quemquam.
Ultimus Anglorum regnum qui rexerat horum
Tertius eſſe datur Edwardu, quique vocatur
Confeſſor, cujus generatio nulla: ſed hujus
Frater rex Edmund Yrneſide nomine quendam
Edwardum genuit: Edwardi filia cujus
Margarita fuit, de qua ſit ſermo, fugata,
Quæ poſt exſtiterat Scotiæ regina beata,
Conjuge Malcolmo, quibus eſt ſic perpetuata
Nobilis Anglorum regum ſtirps atque Scotorum.
Nam velut iſtorum natus rex, nomine David,
Progeniem regum Scotorum continuavit;
Sic horum nata, bona quæ Matilda vocatur,
Anglorum reges protendere prætitulatur,
Quam rex Henricus primus nuptam comitatur,
Normannos jure cujus regnare putatur.
Per prædicta feres quis regni nunc erit hæres
Anglorum jure; Britones nec ſint tibi curæ.
Si juſtus fueris, ſic reſpondere teneris:
Injuſtè ſobules ſatagit regnare ſororis,

Progenies

Progenies fratris dum juris ſit melioris,
Ut rex regnaret quem jus commune probaret,
Addiſcens audi quid fert epiſtola Pauli,
Peccato ſcinthis primùm tranſmiſſa Corinthis,
Quæ manet ingenita ſobolis errore ſopita
Paulus teſtatur propriè gens illa vocatur.

Cap. xviii. *De Roberto Brois.*

De Brois Robertus, regum de ſtirpe repertus,
Bis deca rex Scotus regnavit quatuor annis.
M. ſemel et ter C. bis et X. novem ſuperadde,
Tunc rex Robertus bonus eſt de tunere certus.
Ante ſuam mortem genuit ſimilem ſibi fortem,
Magnanimem David rex Robertus generavit.
Hic rex regnavit deca terque novem ſimul annis,
Nullum ſuperſtes heredem corpore gignit.
Marjoria tamen ſoror ejuſdem generavit
Waltero Stewart Robertum ritè ſecundum:
Qui regnando decemque novem feliciter annis,
Regem Robertum generavit denique ternum.
Hic ſedecim ſtetit annis, Jacobum quoque gignit
Primum, qui regit annis deca terque duobus;
Ac Jacobum noſtrum genuit rex iſte modernum
Tempore ſcripturæ, tunc lector ſit tibi curæ,
Quod fuit annorum ſeptemque decem numerorum
Quem Deus exaltet, regnum regat atque gubernet.

REcapitulationem metricam de ſupraſcripto Scotichronicôn libro ſuccinctiùs perſtrinximus: reſtat nunc breviter, ſed veraciter, genealogiam regis noſtri moderni Jacobi II. adoleſcentizantis retexere, tam ex parte regum Scotorum, uſque ad inclitiſſimum Kenedum, qui Pictos pepulit de regno, quàm regum Angliæ, ad quod jus ſibi, ut præmittitur, competere dinoſcitur, uſque ad Ine; à quo, ut quidam volunt, Anglia denominatur, qui primus Anglorum regum fidem ſuſcepit. Ut cùm idem rex noſter perpenderit, quanta fuerit anteceſſorum ſuorum probitas, qualiter in eis virtus enituerit, qualis ſplenduerit pietas, agnoſcat etiam quàm naturale ſit abundare divitiis, florere virtutibus, victoriis illuſtrari, et, quod his omnibus præſtat, Chriſtianâ religione et juſtitiæ prærogativâ fulgere. Ut enim ait Aluredus abbas; "Eſt ad optimos mores obtinendos maximum incentivum, ſcire ſe ab "optimis quibuſque nobilitatem ſanguinis meruiſſe, cùm ingenuum "animum ſemper pudeat in glorioſa progenie degenerem inveniri, "contra quaſi rerum ſit naturam, de bona radice fructus malos pullu-"lare." Sicut igitur in antiquatis chronicis et veracibus hiſtoriis potui reperire, à prædicto rege noſtro Jacobo ſecundo hoc nomine exordium ſumens, per rectam lineam paternalem, uſque præmiſſum regem Kenedum aſcendemus. Ut cùm hoc libello legerit tantam eorum gloriam morte ac vetuſtate periſſe, eoſque pro vitæ meritis cœleſte præmium, quod perire non poterit, meruiſſe; diſcatque ſemper divitiis

gloriæque mundiali præferre juſtitiam: poſt hoc fluidum regnum, immarceſcibilem in cœlis coronam conſequatur. Hi duo reges, ſciz. Ine et Kenedus, fuerunt primi monarchæ Scotiæ et Angliæ.

Hic igitur Jacobus ſecundus filius eſt inclitiſſimi patris regis ejuſdem nomine inſignitus: cujus facta commemorabilia in XVI. libro hujus Scotichronici intitulantur. Cujus fuit pater rex Robertus nomine tertius. Hujus pater rex Robertus ſecundus, quorum geſta in XV. libro commemorantur. Cujus pater inclitus ille bellator Walterus Stewart, (de quo Barbarius in libro Broiſaico ad plenum proſequitur) qui deſponſavit Marjoriam matrem hujus ſecundi regis Roberti, ſororem præcellentis regis David ſecundi; cujus actus XIV. libro habentur. Cujus pater inclitiſſimus rex Robertus primus; qui numero probiſſimorum qui erant ab initio apud herellos veteres, et undecimus poſt Godefridum de Bolonia, regem Romanorum, præconizatus eſt. Cujus laudes vendicant ſibi peculiariter magnum volumen, quod liber Broiſaicus appellatur; cujus etiam actus ſtrenui ſuprà lib. XII. et etiam XIII. notantur. Cujus pater fuit nobilis ille Robertus comes de Carrik, ex parte Marthæ comitiſſæ de Carrik. Cujus pater ille probiſſimus Robertus, cognomento Nobilis, dominus vallis Anandiæ in Scotia, et de Cleveland in Anglia. De hoc Roberto de Brois domino vallis Anandiæ vide ſuprà in libro X. cap. XXIX. Cujus pater inclitus ille Robertus de Brois ſenior, qui deſponſavit Iſabellam ſecundo-genitam nobilis David de Dundé, comitis de Huntingdon et de Garvioch, fratris excellentium regum Malcolmi virginis et Willelmi. Qui rex Willelmus genuit regem Alexandrum ſecundum, nobilem juſtitiarium: cujus laudes reſonant libro IX. Et iſte Alexander ſecundus genuit Alexandrum tertium, optimum regum, dolorosâ morte apud Kinghorn præventum: cujus laudes legiferæ reſultant decimo libro. Hic Alexander tertius genuit duos filios, ſcilicet Alexandrum et David, mortuos ante patrem. Genuit etiam iſdem Alexander tertius unicam filiam, nomine Margaritam, deſponſatam Herico regi Noricorum: ex quo ſuſcepit unicam filiam, nomine etiam Margaritam, in puellaritate defunctam. Et hîc finit tota progenies inclitiſſimi regis Willelmi, qui, ob æquitatis inflexibilitatem, dictus eſt Leo juſtitiæ: cujus laudes ſuprà libro VIII. et laudes fratris ſui Malcolmi virginis eodem libro.

Et quia, ut prædiximus, finit progenies regis Willelmi et ſuorum ſucceſſorum, idcirco ad David de Dundé, fratrem ſuum juniorem, neceſſariò exſtat recurrendum. Cujus pater manſuetiſſimi ſpiritûs Henricus comes de Huntingdon. Cujus pater ſanctiſſimus rex David, primus fundator quindecim monaſteriorum, et ampliator quinque epiſcopatuum ac etiam fundator: cujus laudes reſultant libro V. Huic regi, ſcilicet David, erant quinque fratres ſeniores uterini, quorum duo Scotorum reges, Eadgarus ſcilicet et Alexander Ferſe, incliti; quorum laudes reperies libro V. cap. XXXIV. cum ſequentibus. Sed quia hi deceſſerunt ſine liberis, progenies dicti regis David regnum Scotiæ hucuſque hereditavit. Cujus pater invictus rex Malcolmus Kenremor, et mater ſanctiſſima Margarita Scotorum regina: quorum laudes intonant liber noſter quintus, et etiam libri Turgoti Dunelmenſis monachi, epiſcopi Sancti Andreæ, et Aluredi abbatis Reyvallis. Cujus Malcolmi

Kenremor

Kenremor pater exſtiterat Duncanus, rex Scotiæ et Cumbriæ; qui raptorum et latronum ſæviſſimus erat ultor, ac diſcordantium piiſſimus concordator. Cujus laudes, &c. libro quarto, cap. xlix. Cujus pater Abthanus Crinyn de Dull, i. e. princeps, vel pater thanorum, quem quidam, vitio ſcriptoris, abbatem vocant de Dull: mater verò Beatrix filia Malcolmi regis. Qui tantâ victoriarum hoſtes vincendo triumphavit gloriâ, quòd in omnibus ipſe quibuſcunque ſui fit mentio ſcriptis, ſemper pro titulo rex victorioſiſſimus appelletur: cujus laudes ſunt libro quarto, cap. xxxviij. cum ſequentibus. Cujus pater innocens Kenedus ſecundus, nocentis proditricis feminæ fallaciis exſtinctus, ut in quarto libro, cap. xxx. cum ſequentibus, pleniùs continetur. Cujus pater Malcolmus primus, rex pacificus, et Deo devotus; qui ſolitus erat omni anno regni peragrare provincias, judicium ubique facere, raptorum et latrocinantium malitias reprimere. Cui primò dedit Eadmundus primus rex Angliæ, et heredibus ſuis, Cumbriam perpetuò poſſidendam: de quo libro IV. cap. xxvi. Cujus pater rex Dovenaldus II. laborioſiſſimus in agendis: de quo dicitur, quòd nunc in aquilonalibus Scotiæ partibus, nunc in Anglia de novo conquæſtis accedens et incedens, nuſquam quievit; ne quando deliciis aſſuetus, et ne occaſio negligens perdat inglorius quod ſui prædeceſſores vigilanti prudentiâ magniſque laboribus acquiſierunt: de quo lib. quarto, cap. xx. Cujus pater Conſtantinus, filius magni Kenedi, in bello Nigri-ſpecûs à Danis interfectus. Cui ſucceſſit frater ejus Hethus Alipes; qui propter agilitatem, ſive vivacitatem curſûs, vocatus eſt Alipes, quaſi alas in pedibus habens. Cui ſucceſſit rex Gregorius, Dungalli filius, qui primus in Scona coronatus eſt. Hic primò dedit libertatem eccleſiæ Scoticanæ, quæ ſub lege Pictorum oppreſſa erat; qui ſibi totam Hiberniam, et fere totam Angliam, ſubjugavit: de quo ſuprà libro quarto, cap. xvij. Sed et ante regem prædictum Conſtantinum filium glorioſi Kenedi, ſuſcepit inclitus miles patruus ſuus Dovenaldus, primus frater dicti regis Kenedi, regni gubernaculum; qui ad omnes actus bellicos fortis et pronus inventus. Cui ſucceſſit dictus Conſtantinus primus. Cujus pater ille invictiſſimus rex Kenedus primus, filius Alpini: qui uno et eodem die contra Pictos ſeptem potitus eſt bellorum victoriis; et ipſos, ac eorum promiſcui ſexûs generationem, totaliter de regno expulit et delevit. Nam tempore Diocleſiani firma amicitia quæ inter eos viguit quingentis annis et ultra, pro furto unius moloſi, ſubſtracti à Scotis per Pictos, erupta eſt. Et necdum ceſſavit quouſque rex iſte Kenedus, filius Alpini regis per Pictos interfecti, eos funditùs deſtruxit. Quibus regnis, ſciz. Scotorum et Pictorum, XVI. annis ſolus exſtitit monarcha glorioſus: qui cœpit regnare anno Domini DCCCXXXIV. et regnationis Scotorum in Albion inſula MCLXIX. ſed et exitûs eorum de Ægypto ſub primo rege Gaithelos, filio regis Neoli Athenienſium, et uxore ſua Scota, MMCCCXLIX. Hi reges præſcripti dignificant regem noſtrum modernum ex parte patris ſanctiſſimi regis David, ſcilicet Malcolmi Kenremor.

Venuſtant inſuper eundem progenitores incliti ex parte matris ejuſdem Sancti David, ſcilicet Margaretæ ſanctiſſimæ Scotorum reginæ: cujus pater Eadwardus II. qui deſponſavit Agatham, filiam imperatoris,

ris, ex qua genuit Eadgarum Ethelyng, Sanctam Margaretam reginam, et Chriſtianam ſanctimonialem. Hujus pater Eadwardi Eadmundus II. de Yrneſide, ſic ob ingentem fortitudinem vocatus; de quo ſcriptum eſt, quòd ſagitta ejus nunquam abiit retrorſum, et gladius ejus non eſt reverſus inanis. Cujus pater Ethelredus, qui Emmam filiam Richardi ducis Normanniæ, matrem dicti regis Eadmundi, deſponſavit. Cujus Ethelredi pater fuit cunctis prædeceſſoribus ſuis felicior, nulli ſanctitate inferior, omnibus tamen morum ſuavitate præſtantior, Eadgarus primus; in cujus nativitate audivit Sanctus Dunſtanus angelos concinentes "Pax Anglorum eccleſiæ hujus pueri qui natus eſt tempore." Qui per Anglorum regna XL. conſtrui feçit monaſteria. Cujus pater Eadmundus primus, homo ſimplex et rectus ac timens Deum, et uſque ad finem vitæ permanens in innocentia, Lincolniam, Leiceſtriam, Stanfordiam, Nótyngham et Derby, quinque nobiles civitates, quas eatenus coluerant pagani Saxones, de manibus eorum potenter extorſit, omnique infidelitate abraſâ, Chriſtianæ fidei lumine illuſtravit. Cujus pater rex Eadwardus primus, vir manſuetus et pius, omnibus amabilis et affabilis, adeo omnium in ſe provocabat affectum, ut eum, non tam in dominum et regem, quàm patrem, haberent. Tantâ dehinc modeſtiâ regebat ſubditos, tantâ juſtitiâ inter proximum et proximum judicabat, ut contra veritatem non dico nihil velle, ſed nec poſſe aliquid videre. Unde fertur quibuſdam iratus dixiſſe; "Dico vobis, ſi poſſem, vicem "vobis reddidiſſem." Quid non poſſet rex in ſubditos, dominus in ſervos, potens in infirmos, dux in milites! ſed quicquid non dictabat æquitas, quicquid non permittebat juſtitia, quicquid veritati repugnabat, quicquid regiam manſuetudinem non decebat, ſibi credebat impoſſibile. Hujus pater Aluredus devotiſſimus, qui ab ipſa infantia ſua legere ac diſcere dulce habuit: pſalterium, in quo maximè delectabatur, volumine parvo ſcriptum, in ſinu ſemper circumferebat; ut quod pectus illud interiùs ruminabat, ab exteriore ſui pectore non recederet. Et, quod nunc rarò invenitur in terris, illam maximam regis tradidit dignitatem, nullam in eccleſiis Chriſti habere poteſtatem. Illa eſt, inquit, vera regnantis dignitas, ſi ſe in regno Chriſti, quod eſt eccleſia, non regem, ſed civem agnoſcat; ſi non in ſacerdotibus legibus dominetur, ſed Chriſti legibus, quas promulgaverunt ſacerdotes, humiliter ſubjiciatur. Porrò Conſtantini, piiſſimi imperatoris, imitabatur exemplum: qui, cùm urbi præfuiſſet et orbi, ad Chriſti fidem converſus, tantam reverentiam ſacerdotibus exhibebat, ut cùm ad eum aliquando epiſcopi ſcriptas chartulis querimonias detuliſſent, convolvens eas in ſinu, juſſerit conſumi igni: Non eſt meum, inquiens, de ſacerdotibus judicare. Vocanſque epiſcopos; "Sanctiſſimi, inquit, patres, nolite "judicio contendere, præſertim apud vos, de quorum erratibus veſtra "intereſt judicare; ſed ſi quid inter vos ortum fuerit quæſtionis, mo"deſtè tractetur in eccleſia: nec aliquid, quod veſtram dedeceat ſan"ctitatem, ad eorum qui foris ſunt notitiam transferatur. Ego certè, "ſi quempiam de ſancto ordine veſtro cernerem cum muliere pec"cantem, proprio eos pallio operirem, ne qua religioni veſtræ impiis "detrahendi daretur occaſio." Hujus Deo devoti Aluredi pater fuit Ethvulphus, rex præcellens et circumſpectus, qui primus rex devotione

dedit

dedit tributum, i. e. denarium de omni domo Angliæ, Sancto Petro et ecclesiæ Romanæ. Cujus pater Edbrichtus, qui tantæ fuit probitatis, ut universam Angliam ex australi parte Humbræ, quæ pluribus regibus eatenus divisa subjacuerat, suo subjugaret imperio; et ita primus omnium monarcha Angliæ diceretur. Cujus pater Eaffa; cujus pater Eppa; cujus pater Ingels; cujus pater famosissimus rex, Ine nomine, qui primus Saxonum fidem sumpsit, et, relicto regno, peregrinus profectus est Romam; ibique feliciter peregrinans, tandem ad cœlestem mansionem feliciùs conscendit.

In sequentibus notatur quoto gradu distat rex noster Jacobus secundus ab Adam.

Hic rex Ine fuit XXXII. à Noë, et XLII. ab Adam patre omnium nascentium temporaliter. Unde noster rex modernus, dominus Jacobus secundus, est in gradu à S. Margareta regina duodecimus; et ab Egbricht, monarcha Angliæ, vicesimus primus; et ab Ine, primo rege Anglorum Christiano, vicesimus sextus; et à Woden quadragesimus tertius. Qui Woden tantæ auctoritatis fuit apud suos, ut feriam quartam, quam Romani gentiles diem Mercurii appellabant, ejus nomine consecrabant. Quæ consuetudo ab Anglis hodieque servatur; vocant enim eundem diem *Wodenesday*, id est, diem Woden. Et à Noë LVIII. et ab Adam LXVII. Horum recolendæ memoriæ inclitissimorum principum præmissorum, obsecro Altissimum, ut, ex magnæ misericordiæ ejus munere, dictus rex noster Jacobus, jam pubescens, moralis imitator existat; ut speciosâ ipsorum virtuosæ varietatis imagine depictus, fides ejus et devotio in Deum, et in ecclesiam, sollicitudo in subditos, misericordia in pauperes, et justitia ad omnes indifferenter augeatur. Non declinet ad dextram, neque ad sinistram; sed seipsum bonorum operum præbeat exemplum. Virtuosos foveat, plebeis faveat, reipublicæ intendat, et regni communia propriis anteponat. Corripiat inquietos, consoletur pacificos, et à suis semper plus appetat amari quàm timeri. Ecclesiasticis exhibeat se placidum, humilibus benignum, superbis rigidum, pœnitentibus misericordem, sed et rebellibus inflexibilem et obstinatum. Ita ut, post ejusdem vitæ discursum, habeant chronographi aliquid æternâ memoriâ dignum, quod ministerio scripturæ de se ad posteros, ut de bonis suis antecessoribus præmissum est, transmittere valeant. Quod sibi concedat Christus, AMEN.

Nomina episcopatuum in Scotia.

Episcopatus Scotiæ quatuordecim. ARCHIEPISCOPATUS S. Andreæ.

EPISCOPATUS Glasguensis, Dunkeldensis, Dumblanensis, Abirdonensis, Brechinensis, Moraviensis, Rossensis, Orcadensis, Candidæcasæ, Cathenensis, Ergadiensis, Sodorensis sive Manniæ, Lismorensis sive Insularum.

Incipit tabula MONASTERIORUM *Scotiæ, et primò de* ABATIIS *et fundatoribus.*

Inſula I, ſive IONA vel ICOLMKIL: cujus fundator Sanctus Columba, nigrorum monachorum.

SANDAL, in Kintyre, Ciſtertii ordinis: fundator Sourle MacLerdy.

GLENLUS, in Galweia, ordinis Ciſtertii: fundator Rotholandus, filius Octhredi, pater Alani de Galweia.

SEDES ANIMARUM, id eſt SAULSET in Galweia, ordinis Præmonſtratenſis; cujus fundator Fergus pater dicti Octhredi.

DULCICORDIS, id eſt NEW-ABBAY, in Galweia, Ciſtertii ordinis: cujus fundatrix Dervorgilla, filia Alani de Galweia, neptis David comitis de Huntingdon.

DUNDRANAN in Galweia, ordinis Ciſtertii: cujus fundator rex David.

TONGLAND in Galweia, ordinis Præmonſtratenſis: fundator Fergus de Galweia.

SACRI NEMORIS, id eſt HALIWODE, in Galweia: cujus fundator Dercongal.

CORSRAGUEL in Carrik, ordinis Cluniacenſis: cujus fundator Duncanus comes de Carrik.

KILWINYNE in Conyngham, ordinis Tironenſis: fundator Hugo Morvile, filius illius Hugonis qui fundavit Driburgh.

PASLETUM in Clyddiſdale, ordinis Cluniacenſis: cujus fundator Walterus Stewart.

JEDWOD ibidem, ordinis Sancti Auguſtini: cujus fundator rex Sanctus David.

KELSO in Tevidalia, ordinis Præmonſtratenſis: cujus fundator rex David.

MELROS in Tevidalia, ordinis Ciſtertii: cujus fundator rex David.

DRIBURGH in Tevidalia, ordinis Præmonſtratenſis: cujus fundator Hugo Morvile, nepos ex ſorore illius Hugonis qui interfecit Thomam Cantuarienſem.

SANCTÆ CRUCIS in Laudonia, ordinis Auguſtini: cujus fundator rex David.

NEUBOTIL in Laudonia, ordinis Ciſtertii: cujus fundator rex David.

INSULA MISSARUM in Stratherne, ordinis Auguſtini: cujus fundator comes Gilbertus ejuſdem.

CAMBUSKENETH apud Strivelyn, ordinis Auguſtini: cujus fundator rex David.

CULROS in Clakmannan-ſchire, ordinis Ciſtertii: cujus fundator Malcolmus comes de Fife.

DUNFERMELYN in Fothriff, nigri monachi, ordinis Benedicti: fundator [rex Malcolmus, poteſtate Margaretæ reginæ] rex Sanctus David [confirmavit.]

ÆMONIA inſula, ordinis Auguſtini: cujus fundator rex Alexander Fers primus.

LONDORIS in Irneſide, ordinis Tironenſis: fundator David comes de Huntingdon.

BAL-

Balmurinach in Fife, ordinis Ciſtertii: fundatrix Ermergarda regina, uxor Willelmi regis.

Scona in Gowry, ordinis Auguſtini: cujus fundator rex Alexander primus.

Cuprum in Angus, ordinis Ciſtertii: cujus fundator rex Malcolmus virgo.

Abirbrothoc in Angus, ordinis Tironenſis: cujus fundator rex Willelmus.

Deer in Buchania, ordinis Ciſtertii: cujus fundator Willelmus Comyn comes de Buchan.

Kynlos in Moravia, ord. Ciſtertii: cujus fundator rex David Sanctus.

Ferne in Roſs, ordinis Præmonſtratenſis: cujus fundator Ferquhard comes Roſſenſis.

Holme in Cumbria, ord. Ciſtertii: cujus fundator rex David Sanctus. Fundavit etiam duo monaſteria apud Novum-caſtrum, unum nigrorum monachorum, et aliud Præmonſtratenſis ordinis.

Summa xxxii.

Monaſteria Prioratuum Scotiæ, et de eorum fundatoribus.

Dunelmia, i. e. Durham, nigri monachi, ordinis Benedicti: cujus fundator rex Scotiæ Malcolmus Kanmor, vir Sanctæ Margaretæ.

Karleil: fundatrix Matildis regina Angliæ, filia dicti Malcolmi, ordinis Sancti Auguſtini.

Ornesay in inſulis, ordinis Sancti Auguſtini: cujus fundator Sanctus Columba.

Ardcatan in Lorn, ordinis Vallis-caulium: cujus fundator Duncanus MacCowle.

Candidæ-casæ in Galweia, ordinis Præmonſtratenſis: cujus fundator Ferguſius de Galweia.

Inſula Sanctæ Mariæ in Galweia, ordinis Sancti Auguſtini: cella Sanctæ-crucis in Edinburgh.

Mauchlyne in Coningham, ordinis Ciſtertii: cella de Melros.

Lesmahago in Clyddiſdale, ordinis Turonenſis: cella de Kelſo.

Coldingham in *le Mers*, ordinis Benedicti: cella de Dunfermelyn.

Inſula Sancti Colmoci, ordinis Auguſtini, in Menteth: cujus fundator Murdacus comes ejuſdem.

Sancti Andreæ in Fife, ordinis Auguſtini: cujus fundator Alexander Fers rex.

Maii in inſula, ordinis Auguſtini: cella Sancti Andreæ.

Inſula de Levin, ordinis Sancti Auguſtini: cella ejuſdem.

Urquhart in Moravia, nigri monachi, ordinis Benedicti: cella de Dunfermelyn.

Restinet in Anguſia, ordinis Auguſtini: cella de Jedwod.

Blantyre in Clyddiſdale: cella ejuſdem.

Canabi in Eſkdalia: cella ejuſdem.

Fivy in Buchan, ordinis Tironenſis: cella de Abirbroth.
Bewlyn in Roſs, ordinis Vallis-caulium: cujus fundator Joh. Biſet.
Scarynche in Lewis: cella de Inſula Miſſarum.
Pluscardi in Moravia, ordinis Vallis-caulium: cujus fundator rex Alexander ſecundus.
Monymusk in Mar, ordinis Auguſtini: cujus fundator epiſcopus Sancti Andreæ.
Strathfolan ibidem, ordinis Auguſtini: cella de Inſula Miſſarum.
Lochtay ibidem, ordinis Auguſtini: cella de Scona.
Cartuss. apud Perth, ordinis Benedicti: cujus fundator rex Jacobus primus.

Summa Prioratuum xxvi. de quibus conventuales xi. ceteri cellæ monaſteriorum.

Fratres prædicatores.

1. *Jacobitæ.*
Wigtoun,
Are,
Glaſgow,
Strivelyn,
Edinburgh,
Perth,
Cuprum in Fife,
Aberden,
Elgyn,
Inverneſs,
Monros,
Sancti Andreæ.
2. *Minores.*
Berwik,
Roxburgh,
Dumfres,
Lanark,
Hadington,
Inverkethyn,
Dundé,
Sancti Andreæ.
3. *Carmelitæ.*
Lufno,
Lythquu,
Tulilum,
Abirden,
Quenisferi,
Irwyn,
Inverbervy,
Banfe.
4. *Trinitatis.*
Fale,
Houſtoun,
Pebles,
Katnes,
Abirden,
Crennach,
Scotlandis-well.
5. *Templare ſive Hoſpitale Sancti Johannis.*
Torphechine.
6. *Bethlemitæ.*
Sancti Germani.
7. *Cartuſiæ.*
Perth.
8. *Antonii.*
Leth.
9. *Nullius ordinis.*
Soltre.

Ducatus

Ducatus Scotiæ.
Rothſaia,
Albania.

Comitatus Scotiæ.
Catenes,
Sutherland,
Roſs,
Moravia,
Buchania,
Garviach,
Garmoran,
Mar,
Mernis,
Angus,
Gowry,
Fife,
Marche,
Athole,
Strathern,
Menteth,
Levenax,
Wigtoun,
Douglas,
Carrik,
Crawfurde.

Avendale creatus eſt anno 1437.
Ourmonth creatus anno et 1445.
Eodem anno dominus de Gordon effectus eſt comes de Huntlé.

Præfecturæ ſive Præpoſituræ.

Abirnethy, quam fundavit Garnach rex, filius Macdonach, Pictus.
Sancti Andreæ, quam fundavit Conſtantinus ſecundus rex Scotorum.
Bothvill et *Lyncloudan*, quas fundavit Archibaldus primus comes de Douglas.
Dalketh, quam fundavit dominus Jacobus de Douglas pater.
Bothanis, cujus fundator Willelmus de Haya de Zeſter.
Maybol, cujus fundator Gilbertus Kenedi miles.
Corſtorphin, cujus fundator dominus Johannes Foſter pater.
Carnewith, cujus fundator dominus Thomas Summervil ejuſdem.
Methfen, cujus fundator Walterus Stewart comes Atholiæ.
Dunbar, cujus fundator Georgius Dunbar pater, comes Marchiæ.
Kilwinyn in Cowal, cujus fundator dominus Duncanus Cambel de Lowquhaw eodem anno 1443.
Fowlis, cujus fundator Andreas Gray ejuſdem.
Dirſtoun, cujus fundator Walterus de Haliburton miles A. D. 1444. Hic conſtituit præpoſitum, ſed nihil factum ad propoſitum.
Dominus Willelmus de Sancto-Claro comes Orcadiæ eſt in fabricando ſumptuoſam ſtructuram apud *Roſlyn*, et ad propoſitum ſimiliter dominus Alexander Home apud *Douglas*.

Monaſteria Monialium.

Inſula *Iona*, ordinis Sancti Auguſtini, quæ ferunt Rochetam: cujus fundator Sanctus Calumba.
South-Berwik, ordinis Benedicti, nigræ, quas fundavit rex David Sanct.
North-Berwik, ord. Ciſtertii, quas fundavit Malcolmus comes de Fife.
Egles in *le Mers*, ordinis Ciſtertii, quas fundavit comitiſſa Marchiæ.
Caldſtrem in *le Mers*, ordinis Ciſtertii, quas fundavit Coſpatricius comes Marchiæ.
Hadington in Laudonia, quas fundavit Ada comitiſſa, uxor Henrici de Huntingdon, ordinis Ciſtertii.
Sancti Bothani in Lamirmor, ordinis Ciſtertii, quas fundavit Eufemia comitiſſa Marchiæ.

Manuel in Strivelynſchir, ordinis Ciſtertii, quas fundavit rex Malcolmus virgo.
Elquho in Strathern, ordinis Ciſtertii, quas fundavit David Lindeſay.
Gulyne in Laudonia, cella de *South-Berwik*.
Lincloudan, dum eſſent, moniales erant nigræ, ordinis Benedicti, quarum fundator erat Uthredus pater Rotholandi fundatoris de Glenlus.
Trefontanæ in Lamirmor, cella de *South-Berwik*, quæ eſt nunc monaſteria de Driburgh.
Elbotil, cella de *South-Berwik*.
Moniales apud *Novum-caſtrum*, fundatæ per S. David regem Scotorum.

Vicecomitatus Scotiæ.

Berwik,
Roxburgh,
Selkirk,
Twedale,
Drumfres,
Nyddiſdale,
Wigton,
Are,
Lanark,
Dunbretan,
Strivelyn,
Lothian,
Clakmannan,
Kinros,
Fife,
Perth,
Angus,
Mernes,
Abirden,
Baumf,
Fores,
Invirnes.

Domini de Parliamento, præter duces et comites.

Hay conſtabularius Scotiæ.
Keth mareſcallus Scotiæ.
Dalketh. Lorn.
Graham. Haliburton.
Sinclar panitarius Scotiæ.
Cambel. Somervel.
Montegomorry.
A. 1433. creatus eſt dominus de Borthwik.
Anno 1445. erecti ſunt domini de
Creichton,
Abirnethy,
Glames,
Seton,
Leſly de Levin,
Hamilton,
Lindeſay de Byris,
Gray de Fowlis.

Notandum quòd Barbarius ponit *le Stewart* veniſſe de Wallia, et originem habuiſſe de Fleance de Waran; et quòd Walterus Stewart, qui fuit primus eorum, fuit in diebus regis Willelmi; et quòd compeſcuit Alanum de Galweia rebellantem regi, qui tamen nunquam fuit contrarius. Ponit etiam quòd dominus Alanus Stewart, filius dicti Walteri, fuit in expeditione cum Gaudefrido Bolon rege Jeruſalem, quando Antiochena civitas fuit capta. Cujus contrarium patet per verſum:

Cùm fuit urbs capta tam nobilis Antiochena,
Undecies centum, ſi ſubtrahas inde bis unum,
Tunc tot erant anni Domini de virgine nati.

Et obiit Alanus de Galweia

M. ſemel et bis C. ſi jungas X. ter et I. ter,
Hoc anno ſubiit mortis Alanus iter.

Per hoc patet, quòd inter hos duos Alanos fluxerunt anni centum et triginta tres. Quod filius eſſet ſequitur. Iſte enim Walterus Stewart fuit filius Alani de Galweia qui fundavit Paſletum, et patrem nunquam impugnavit,

impugnavit, ut fuit tunc alius Walterus Stewart ab eo de quo veraciter inquirendo potui informari. Pro iſto vide ſuprà libro nono, cap. xlix. Sed contrarium patet libro octavo, cap. xxv. ubi eſt obitus fundatoris de Paſleto, ſecundùm quod habetur ex chronicis ejuſdem monaſterii et aliorum antiquorum ſcriptorum: etiam ipſe fuit filius Alani, ſed cujus Alani non reperio. Pro quo vide ſuprà libro nono, cap. lvj.

* Ad evidentiam juris ſucceſſionis in regno Franciæ, pro quo iſte pedigradulus effectus eſt, notandum quòd in dicto regno non ſuccedit femina, neque maſculus deſcendens per lineam femineam. Ex quo ſequitur, quòd rex Angliæ Eadwardus de Wyndeſor, filius Iſabellæ filiæ regis Franciæ Philippi, inferiùs deſignati, non debuit in regno Franciæ ſuccedere. Secundò ſciendum eſt, quòd in ſucceſſione dicti regni Franciæ habet locum jus repræſentationis, quo jure nepos et filius filii excludit fratrem defuncti. Ex quo ſequitur, quòd ſi in regno Franciæ ſuccederet maſculus deſcendens per lineam femineam, Carolus rex Navarræ ſucceſſiſſet Ludovico Utin regi, avo ſuo, et non Philippus Longus frater ejus: qui tamen ſucceſſit de jure illo ſibi; tum quia Carolus ille rex Navarræ, licet eſſet nepos dicti Ludovici Utin regis, deſcendebat tamen per lineam femineam, quâ in dicto regno ſuccedere non poteſt: tum quia repræſentabat matrem, quæ ut præfertur ſuccedere non poterit. Sic ipſe filius ejus. Ideo ſucceſſit rex Philippus frater ejuſdem Ludovici Utin regis. Eodem modo dicendum eſt de Ludovico comite Flandriæ, reſpectu Caroli Pulchri; et hoc eodem jure Caroli Pulchri ſucceſſit Philippus de Valeſio, filius Caroli comitis Valeſii, qui fuit nepos Sancti Ludovici; et qui Carolus fuit ſecundogenitus Philippi primi hîc deſcripti, et frater germanus Philippi ſecundi hîc etiam deſcripti. Qui Philippus rex, filius dicti Caroli comitis, attingebat Carolo Pulchro regi in ſecundo gradu conſanguinitatis, et per lineam maſculinam, et non Eadwardus Wyndeſor rex Angliæ, qui deſcendit per lineam femineam. Ergo, &c.

Et finitur liber, xv. die menſis Maii, horâ octavâ poſt meridiem, Anno Domini MDX.

ROBERTUS SCOT.

* Huic paragrapho præfigitur in MS. Coll. Edinb. tabula quædam genealogica regum Francorum, quam, utpote minus accuratam, omittere viſum eſt.

FOREIGN OFFICE
LIBRARY